ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

SEU

Acta iuridica et soleinniora ex Supremo llomano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Kesponsa, et alia huiusmodi: praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studia redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum, <mi in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant

M **Volumen** II. *W*

EOMAB

"TYPIS STEBEOTYPIS EX OFFICINA S. C. DE PROPAGANDA FIDE

MDCCCLXXII

Reprinted with the permissioni of Libreria Editrice Vaticana

JOHNSON REPRINT CORPORATION
Ili Fifth Avenue, New York, N. Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W. 1

First reprinting, 1968, Johnson Reprint Corporation
Printed in the Ùnited States of America

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

Die xxv. Iunii Beatissimus Pater in Consistorio publico in aedibus Vaticanis habito, obedientiae testimonio et iuramento a recens creatis Cardinalibus iuxta praescriptas formulas excepto, illos cardinalitio pileo donavit: tum caeteris consuetis coeremoniis expletis, consistorium secretum habuit; in quo Eminentissimos Patres omnes adlocutus est, expromens, praeter caetera, animi sui desiderium Beatos Martyres Gorcomienses, et Beatam Mariam Franciscani a quinque 1. Christi Domini nostri Vulneribus in Albo Sanctorum adscribendi. Quapropter Emum ac Rmum D. Card. C. Patrizi, Episcopum Portus et S. Buphinae, uti S. B. Congr. Praefectum, eorumdem Beatorum causas in summa referre iussit, ut causa cognita Patres ferre sententiam possent. Tum Emus S. B. C Praefectus retulit primum de Beatis Martyribus Gorcomiensibus, qui fuerunt: Nicolaus Pie, Hieronymus Werden, Theodoricus de Ernbden, Nicasius Johnson> Willmdus de Dania, Gofiredus de Merveillc, Antonius de Werden, Antonius de Hornaire, Franciscus Rhodes de Bruxellis , omnes Sacerdotes Ordinis Minorum Observantium S. Francisci> et Petrus de Asca et Cornelius de Dorestate Laici eiusdem Ordinis. Praeterea Ioannes Sacerdos Ordinis S. Dominici, et Hadrianus de Hilvarenbeck et Iacobus Lacop Monachi Praemon slratenses: Ioannes Ostervican Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini; Leonardus Wichel, Nicolaus Poppel, Goffredus de Corcarci, et Andreas Valter, Sacerdotes saeculares et Parochi. Horum decem ac novem Beatorum Martyrium paucis exposuit, quod contigit die ix. Iulii ann. MDLXXII., cuius quidem causa fuit odium quo in Catholicam Religionem Calviniani Hollandiae, qui illos interemerunt, exardebant.

Tum etiam retulit de prodigiis, quae eorumdem Beatorum Martyrum intercessione patraverat Deus: tum denique anacephaleosim summatim exhibuit eorum quae in Causae confectione acta fuerant.

Post haec rogavit summus Pontifex congregatos Patres utrum ipsis ad solemnem eorumdem Beatorum Martyrum procedi posse videretur; qui omnes singillatim annuerunt verbo *Placet.* Tum vero Emus S. B. C. Praefectus referre coepit causam B. Mariae Franciscae a quinque 1. Ch. D. N. vulneribus, quae fuerat Tertiam professa Ordinis Minorum excalceatorum S. Petri de Alcantara, Provinciae Neapolitanae, ac de eius Vita et Virtutibus quae enarrantur breviter expositis, dicendi finem fecit, exhibitis •summatim iis quae in causa Beatificationis et Canonizationis eiusdem conficienda acta fuerant. Quibus peractis , Emi Patres a Pontifice eodem modo rogati, idem omnes singillatim responsum dedere. Tum Beatissimus Pater expromens ac confirmans suam utriusque Canonizationis faciendae voluntatem, alia consistoria se indicturum spopondit, non modo Emorum Patrum, sed et Episcoporum convocandorum votum ac suffragium rogaturus, ut in re tanti momenti prudenti consilio se gerat.

DEINCEPS HAS, QUAE SEQUUNTUR, ECCLESIAS PROPOSUIT AC DESIGNAVIT.

Ecclesiam Archiepiscopalem Colossei!, in Partibus Infidelium, Antistiti Antonio Rossi-Vaccari, Sacerdoti romano, Praesuli domestico SSmi Patris , Patriarchalis Archibasilicae Lateranensis Canonico, Presbytero adsistenti Cappellae Pontificiae, atque in S. R. Ecclesiae Camerariatu Auditori.

Ecclesiam Cathedralem Pharen, in Dalmatia , Be v. D. Georgio Dubocovich , Sacerdoti Dioecesano Pharen, in illa Cathedrali Praeposito , eiusdem Civitatis et Dioecesis Vicario Capitulari, et in Sacra Theologia Doctori.

Ecclesiam Cathedralem Guadixen. in Hispania, Bev. D. Mariano Brazmes Arredondo, Sacerdoti Legionen. Priori Curalo, et Canonico Poenitentiario in illa Cathedrali, et in S. Theologia Prolytae seu Licentiato.

Ecclesiam Cathedralem Aurien. in Hispania Rev. D. Iosepho de Cuesta y Maroto , Canonico Lectorali Salmanticae, in eius urbis Seminario S. Scripturae Professori, et in S. Theologia Doctori.

Ecclesiam Episcopalem Teien. in Partibus Infidelium Rev. D. Mariano Ortiz Urruela, Sacerdoti de Guatimala in illa Archiepiscopali Curia Promotori Fiscali, Cappellano ibidem in Mona*

sterio SSmae Conceptionis, in utroque iure Baccalaurea donato, ct Deputato Coadiutori cum futura successione Antistitis Thomae Michaelis Pineda y Zuldana Episcopi S. Salvatoris in America centrali.

Ecclesiam Episcopalem Nyssen. in Partibus Infidelium, Rev. D. Angelo Di Pietro Sacerdoti Tiburtino, Vicario Generali Ostien. et Veliternen. Deputato suffraganeo.

Postremo Beatissimus Pater, aperto, ut aiunt, ore recens creatis Cardinalibus, designavit singillatim iisdem Titulos:

Titulum Presbyteralem in S. Petro in Monte aureo Emo ac Rmo D Card. Cullen:

Titulum item Presbyteralem S. Mariae Transpontinae Emo ac Rmo D. Card. de Holenlohe, ipsum vinculo solvens Ecclesiae Archiepiscopalis Edessen. in Partibus Infidelium.

Titulum item Presbyteralem S. Laurentii in Pane et Perna Emo ac Rmo D. Card. Bilio.

Diaconiam S. Georgii in Velabro Emo ac Rmo D. Card. Matteucci, qui paucis post diebus Romae est mortuus.

Diaconiam item S. Mariae in Domnica Emo ac Rmo D; Card. Consolini. Denique eosdem recens adlectos Patres annulo donatos in suis aedibus Pontifex privatim excepit.

EX S, COSfiSEGATIOKE CONCILII.

MATRIMONII.

Die* 10 *Iunii* 1865.** ***Sess.* 24 *c.* I *Refor. Matr.

CouBpendioana faeti. Praevio brevi nuptiarum tractatu , an. 1849 matrimonium coram Ecclesia, post legum civilium observantiam iuxta Galliarum usum, celebratum est inter Caiam septemdecim annos natam, et Titium novem supra viginti annos natum. Duobus cum dimidio elapsis annis ex Iudicis sententia, Caia instante, divortium indictum est. Yerum anno 1861 ex aliorum consilio puella petiit, ut matrimonium declararetur initum ex defectu consensus. Dixi ex aliorum consilio; namque Caia in ea erat persuasione, ut matrimonium validum omnino reputaret, et eorum omnium memoriam amiserat, quae in iudicium poterant deduci favore nullitatis matrimonii. Episcopus autem Apostolicae Sedi preces supplicantis puellae remisit. S Congregatio Concilii eidem Episcopo rescripsit pro informatione et voto, et ut referret super antecedentibus, concomitantibus et subsequentibus celebrationem matrimonii. Quibus plenissime satisfaciens Episcopus, testibus pluribus extraiudicialiter auditis, suum votum emisit pro matrimonii nullitate. Hae accepta informatione et voto, SSmus mandavit rescribi ad Episcopum , ut tamquam S. Sedis delegatus processum conficeret, servata saltem in substantialibus forma Constitutionis Benedicti XIV., quae incipit: *Dei miseratione,* cum facultate etiam subdelegandi alium, seu alios ad viri aliorumque testium examen recipiendum, quatenus pro rerum et circumstantiarum adiunctis eorumdem examen haberi coram Episcopo nequiret. Quibus pariter satisfactum est. Quod tamen obtineri non potuit, fuit examen Titii eiusque Matris, qui coram ecclesiastica auctoritate sistere se noluerunt , quamvis curatum quam maxime fuerit ut ad examen inducerentur. Attamen Titius ad Archiepiscopum Parisiensem

«ui delegatio examinandi Titium commissa est, epistolam scripsit, qua mirabatur posse inquisitionem institui ad matrimonium solvendum, quod perpetuum inducit vinculum.

Ex transmissis porro processus tabulis ab episcopali Curia, praesente vinculi matrimonialis Defensore confectis, sequentem enarrationem desumimus.

Caia patre orbata in quodam gynaeceo christianam institutionem acceperat, ibique pietatis, virtutisque specimina praebuerat. Verum ab anno aetatis suae 12, capite laborans, indicia dedit cuiusdam levitatis atque aberrationis mentis. E gynaeceo porro matris domum deducta maiora eiusmodi indicia prodere visa est.

Modo anim augebatur conscientiae scrupulis, modo ad iram movcbatu si ipsius insanis ideis non obsecundaretur. Quidquid autem quibusdam temporis intervallis puella gereret, sive morali violentia a Matre coacta, sive proprio marte, id sine mentis rcflexione facere satis ostendcbatur. Haec autem potissima causa fuisse videtur ob quam, data sibi occasione,vidua eius Mater eam Titio nuptui tradere statuerit. Namque, iuxta Medicorum et vulgi opinionem ferebatur matrimonium esse remedium ad haec incommoda reparanda in puella. Titius praeterea multo ditior erat quam Caia, quamvis indocilitale ingenii, perditis moribus et ignobilitate publice notaretur.

Verum, hoc matris consilio eidem puellae patefacto, ipsa firmiter renuit verbis et factis Saepissime enim ore repetebat, se numquam Titio nupturam fore. Titii autem consuetudinem, quantum poterat, declinabat; ab eoque in uxorem expetita, respondebat constanter: *saper hac re cogitaho.* Non enim Caiae arridebat Titii adspectus, eiusdemque ratio se gerendi, qui deformis, ignobilis, ac stupidus eidem videbatur.

At utraque-Mater tum Titii, tum Caiae in eo plene conveniebant, ut matrimonium ipsum concluderetur Cum Caia nosceret utramque matrem matrimonii conditiones statuisse, postero die, eo Caia devenit, ut cum sua neple se natu minore e propria domo fugam arripuerit. Noctu enim per fenestram linteis simul colligatis exierunt, ut Parisios, sine quidem consilio, contenderent. At, prout erat expectandum, post non brevem itineris tractum curru etiam ex parte confectum, pedestres domum regressae sunt defatigatae, deperditae et flentes. Testes autem

omnes in processu affirmarunt, eiusmodi fugam arreptam a Caia fuisse ad evitandas nuptias cum Titio ad quas ineundas morali coactione impellebatur.

Verum hac fuga ne dum Caia obtinuit quod cupiebat, sed duriorem fecit suam conditionem. Eius enim Mater, eiusque Consobrinus magis magisque urgebant, ut matrimonium concluderetur; puellam veluti torquentes dedecoris nota, minis, aliisque moralibus mediis, quibus commoveri puellae animus cognoscebatur; maxime autem comminantes inclusionem in quibusdam remotis desertisque aedibus, a quibus Caia vehementer abhorrebat.

Ad rcperandam autem iniuriam, quae ex fuga dicebatur illata Titio eiusque familiae, duas epistolas scripsit Caia alteram ad amicam, ad Titii matrem alteram, in quarum prima expresserat, se multum amare Titium, eiusdemque nuptias exoptare. At de his epistolis Caiae Mater in iudiciali processu deposuit: se easdem scripsisse, quarum simile exemplum a filia exarari iusserat.

Statuto autem celebrandi matrimonii die, Caia eiusdemque propinqui ad domicilium sponsi demigrarunt; ea tamen in sua voluntate perstitit, prout testes referunt, repudiandi Titium, obtestans, se non posse affirmativam dare responsionem. Devenientes itaque sponsi solemni pompa ad civilem magistratum, ut iuxta Galliarum morem actus civilis matrimonio praemitteretur, timebat quam maxime Caiae Mater ne puella usque ad ultimum momentum matrimonio renueret. Quare tum Caiae Consobrinus, tum praesertim dicta Mater animi solicitudine suos oculos a sponsa non avertebant. Caia coram magistratu primo Tabellionem occulte interpellavit, an in sua adhuc facultate esset *negative* respondendi: cui ille, ex errore, *nequaquam* inquit: ac deinde in vultum Matris suae puella aspiciens, interrogationi a Praeside factae , *affirmative* respondit. Qua affirmatione pro matrimonio emissa, Mater ex ancipiti statu sublevata suspirium traxit.

Deinde ad ecclesiam parochialem procedentes ut matrimonium contraherent, in ipso ecclesiae ingressu Caia consistere videbatur: quare eius Consobrinus, quamvis non violenter, manu sua ad procedendum eam adegit, et coram Parocho ipsa matrimonii coeremonias confecit. Testes non desunt, qui in utroque actu*

sive civili sive ecclesiastico, fatentur, Caiam sibi laetissimam visam esse. Matrimonio vero celebrato domum sponsi devenientes, Caia nomen suum firma manu in matrimoniorum libro coram Parocho subscripsit. Haec ex actis, quorum nonnulla enucleatius colligi possunt ex sequenti Defensorum disceptatione.

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO VINCULI MATRIMONIALIS. — Matrimonii Defensor, initio adnotabat quosdam processus defectus, inter quos recensebatur defectus examinis Titii, quod examen ad substantiales solemnitates spectat. At his praetermissis, maxime insistebat in eo, ut ostenderet, in praesenti casu non constare de matrimonii nullitate. Celebrato enim matrimonio in faciem Ecclesiae cum debitis solemniis, praesumptio statim oritur, qua et caetera intervenisse putandum est; maxime si res sit de matrimonio non tantum rato, sed etiam consummato, obtenta prole; quo in casu nisi demonstrato contrarii sit ipso sole splendidior respui debet.

Porro eiusmodi probationem praesenti in casu non haberi Defensor contendebat. Namque si attendas ad aversionis causam , ea constans non fuit. Cognita enim aversionis origine, quae erat Titii ignobilis adspectus, curatum est, prout Testes referunt, ut Titius coram Caia se non sisteret, nisi tonsa barba, mentoque nutrito. Maxime cum de mulieribus agatur quae ad horas mutabiles sunt iuxta illud Virgilii *Aeneid. I.* 4... *Varium et mutabile semper-foemina-Ei* iuxta Tibullum *lib. o Eleg.* 4. *-Alterius mavult esse puella viri, - Sed flecti poterit: mens est mutabilis illi.* -

At procedens Defensor ad timorem incussum , licet nemo ambiget timorem, in virum constantem cadentem, nullum reddere matrimonium ; observabat nihilominus, quod ut talis timor censeatur, ostendere necesse est, 1 malum quod timetur esse grave. 2 ut incutiens timorem potens sit, et praesumatur probabiliter executurus. Et 3 ut patiens metum resistere facile non possit; ex defectu enim cuiuscumque harum conditionum timor levis censetur.

At vero contendebat timorem in praesenti *gravem* non fuisse, cum una inclusio, quam et Mater et Consobrinus minitaban-

iur, in quodam familiae castro, et in quodam caenaculo Parisiorum, ne displicere quidem Caiae poterat: namque in primo saepe familia degebat: in altero autem degere maxime optavit Caia post matrimonium, illuc maritum impellendo.

Is qui inferebat minas non erat *facile exsecutoriis.* Namque si de Matre loquaris, ipsa potius eoncutiebatur a filia, quam haec a Matre, testante ipsa Caia in iudiciali depositione: *se timidam habitualiter erga Matrem non fuisse: sed imo arrogantem.* Si autem de Consobrino sermo sit, post fugam et primos matrimonii tractatus puellam raro admodum vidit, ac incredibile est, ut vir clarus Sororem, cui favere volebat, in desperationem adduceret.

Patiens denique metum *resistere poterat,* aut confugiendo ad materteram, aut reclamando ad Praesidem, aut invocando Parochum, aut etiam simpliciter evadendo, sicuti antea praestiterat. Qui enim fugam arripuit ex sola formidine mali longinqui et possibilis, eo praesente, si tale reapse crederetur, non solum fugisset, sed advolasset.

Eiusmodi rationes confirmabat Defensor coniecturis, et indiciis. Et primo quidem loquens de epistola ad amicam missa, in qua Caia scripserat *se multum amare eum cui nuptum erat;* observabat epistolam missam non fuisse Titio, aut eius Matri, sed ad Caiae amicam: quare suaderi neminem posse eam coacte cxscriptam fuisse a Caia, ex proposito a sua Matre exemplari.

Alteram coniecturam desumebat ex loco ubi puella die matutino matrimonii morabatur, actisque caeteris consecutis. Etenim ex proprio domicilio longo itinere ad domicilium Sponsi contendit, ut contraheret, concinnato crine, et magnifice compta inter claros viros amicos, et propinquos versabatur: de simili porro casu ita loquitur S. Rota in *Leuceorien. Matrimonii* 1 *Iulii* 1726 *coram Calcagnino §. hi alterum.* « Alterum liberae « voluntatis indicium ad matrimonium contrahendum, illud est, » quod matrimonium magnifica pompa et apparatu, magna co» mitante procerum caterva, atque praesentia Episcopi celebra» tum; qui virorum tam ingenuorum concursus atque adsisten» tia, magni argumenti est pro exclusione metus passi, dum » facile contraria voluntas ad suam libertatem restituta fuisset, » per simplicem manifestationem contrariae voluntatis eiusdem i» puellae, *per textum etc.* »

Neque haec contrariae voluntatis manifestatio seu protesta-Ciò suffragantur, si facta non esset in *actu matrimonii* coram altero coniuge, ceu notat de quodam casu Sperelli, *Decis. for. -decis.* 75 *n.* 13 in quo scripsit: «Neque videbatur probavi me-» tus ex Barbarae protestationibus, quibus declaravit, se non D intelligere contrahere cum Marco Antonio, seque ad ecclesiam » accedere invitam. Non quidem ex protestatione ante matrimo-» nii celebrationem emissa; quia cum tempore matrimonii re-» petita non fuerit, matrimonium quidem validum iudicatur.... » Quae quidem multo magis procedunt, quia hic agitur de pro-» testationibus clandestinis in absentia partis factis, quae nihil)) conferunt ad contractum invalidandum. »

Tertiam coniecturam ex eo petebat Defensor, quod et Parochus in actu contrahendi matrimonium, et Praefectus in actu civili, aliique duo testes praesentes testati sunt, *laetissimam* visam sibi esse puellam, nihilque haesitationis in puella observasse. Quare concludebat Defensor, auctoritate Cardinalis Parisii *Const.* 170, *n.* 22 Z. 1 *vers. hilaris,* eiusmodi actus exuberantes cum signis laetitiae totaliter excludere mentem coactam. Etenim qui timore actu premitur, licet abscondat internum animi motum, abiectus tamen et iacens est ut de Burro memorat Tacitus *lib.* 14 *Annalium.*

Quarta praesumptio est *subscriptio* actus matrimonii ecclesiastici in domo sponsi post Missam obsignata, quae subscriptio omnino accurata reperta est, quin ullum praeberet indicium turbati animi.

Quinta coniectura quam Defensor adducebat, est iucunditas et laetitia in nuptiali convivio, de quo testati sunt Parochus , et civilis Praefectus : eo in convivio laetissimos fuisse commensales et *Uxorem visam sibi esse contentam.*

Praeterea animadvertebat Defensor, quidquid sit de coactione adhibita a Matre priusquam matrimonium contraheretur, incontroversi iuris esse, matrimonium declarari non posse irritum ex vi et metu, nisi constet, vim et metum perdurasse usque *nd* ultimum temporis momentum, quo matrimonium fuit, contractum , ut perpendit S. Bota *in Romana Matrimonii* 1 *Iulii* 1726 *coram Ratto.* Et in *Lcnceorien. Matrimonii* 10 *Ianuarii* 1727 *coram Calcagnino.* Neque eiusmodi vim et metum perdu-

rasse usque ad actum celebrationis, argui posse ex iis quae testes quidam narrant, videlicet ex compellatione a Caia factae Tabellioni, an adhuc in sua esset facultate negativam dandi responsionem; ex iniectione oculorum in Matris vultum; in lento* gradu quo ad altare accessit. Haec enim quae in contradictione sunt cum iis quae de laetitia et hilari animo testes enarrant, aut deliberatum consensum in actu celebrationis matrimonii ostendere, aut nihili facienda esse Defensor contendebat. Etenim ut in casu etiam deliquii ponderavit S. Rota *Leuceorien.* 1 *Iulii* 1726 *coram Calcagnino: «Mia* accidentalis, et momentanea de-
» fectio spiritus, haud referri decet ad internam animi aversio-
» nem matrimonio, dum cuncta laeti, et festivi animi eiusdem
» pro matrimonio ineundo patefacta sunt: ipsa namque Olande
» ornata, ac bene compta accessit, laeta ac festiva viri domum
)) repetiit... *ita ut illa animi defectio potius causala sit ab in-*
)) suelo incommodo solemnis pompae qua celebratum extitit
» matrimonium etc. » Non enim insuetum est, ceu ibidem docet S- Rota, ut puellae de solemni pompa , deque sui status mutatione cogitantes, inter huiusmodi multiplices variasque mentis serias cogitationes animo deficiant. Quare ex processus actis non constare de matrimonii nullitate Defensor concludebat.

At facta etiam hypothesi, qua matrimonium ex defectu liberi consensus dicendum sit nullum, contendebat ex trium circiter annorum cohabitatione, matrimonium convaluisse , ita ut defectus consensus per eiusmodi cohabitationem obtenta prole,, suppletus sit censendus. Namque ut testes referunt, Coniuges in individua vitae consuetudine per aliquod temporis spatium mutuis curis et amore maritali vixerunt, ex quo sicut arguitur in matrimonium consensus antecedens libere praestitus; ita etiam si perfectus non fuisset, confirmatus et perfectus dicendus est, ut docet Clemens HI. *in cap. Ad id. de Spons. et matrim,* in simili casu: « *quamvis... ab initio ei invita fuisset tradita, et renuens; tamen, quia per annum postmodum et dimidium e? cohabitans* consensisse videtur, ad ipsum est cogenda redire, *vec de caetero recipiendi sunt testes si quos memorata mulier, ad probandum quod non consenserit, in eum nominaverit producendos, cum mora tanti temporis eiusmodi probationes excludat.* » Quam doctrinam illustrat Sanchez *de Matrim. I.* 4 *t.* 18 *n.* 2, 3, il.

Bossius *cap.* 12 *n.* 381 *et* 382. Panimolle *Decis, civil. moral. et criminal, decis.* 102 *annat.* 2 *n.* 1 *et seq.*

Quod si dicatur matrimonium ex defectu consensus contractum post Tridentinum concilium ratum haberi non posse a coniugibus nisi repetita Tridentini forma, excepto casu quo impedimentum fuerit *occultum,* quaestio oritur quando eiusmodi impedimentum *occultum* sit censendum. Porro i\uctores, ut impedimentum *occultum* dicatur, exigere solent, ut Parochus et testes illud ignorent, Sanchez *lib.* 2 *cap.* 37 *de Matrim* Ventriglia *in annot.* 4 §. 11 *de Matr. metu contr. n.* 19. In praesenti autem casu Parochus et matrimonii testes ignorabant impedimentum; namque vel ignorabant mulierem coactam fuisse, vel fassi sunt in utroque matrimoniali solemnitate civili et ecclesiastica, nihil extraordinarii et haesitationis in puella deprehendisse, vel eam laetissimam sibi visam fuisse. Quare impedimentum, si quod fuit, occultum est reputandum, ita ut matrimonium ex maritali amore deinde convaluerit.

DEFENSIO MULIERIS PRO MATRIMONII NULLITATE. — Animadvertebat initio Caiae Defensor, quod si nonnulli reperiantur in processu defectus, id adscribi debere ad loci conditiones. Ratione enim civilium dispositionum, Galliarum Episcopi media coactiva non habent, quibus cogant testes ut sistant se coram ecclesiastica Curia; nec Episcopi in eiusmodi casibus censuras comminantur, quae facile spernerentur. Caeterum etsi non omnia processus solemnia ad unguem servata erant, testium numerus adeo copiosus aderat, ut nihil amplius desiderari posse videretur. Quamvis autem examen Titii defuerit, nihilominus cum ex eiusdem contumacia obtineri non potuerit, locus aperiebatur dispositioni canonicae Innocentii III. *in cap.* 5. §. *Porro. Ut lite non contest,* in quo statuitur: « *in huiusmodi casibus si contumax apparuerit is, in quem fuit actio dirigenda (seu quia peremptoria citatione recepta, venire contemnit, seu quia malitiose seipsum occultat, seu quia impedit ne possit ad eum citatio pervenire), testes lite non contestala, sunt merito ndmittendi, et nihilominus (si de causa liqueat) ad definitivam sententiam est procedendum.))*

His circa causae extrinseca animadversis, ampla defensione ostendere Defensor studuit matrimonii nullitatem ex defectu liberi consensus, et ex morali praesertim coactione. Ex depositio-

nibus porro testium iuramento firmatis, haec tria ostendebat? 1 Caiam noluisse Titio nubere. 2 Nonnisi violata per coactionem libertate nuptias celebrasse 3 Coactionis effectum praesertim in matrimonii actu innotuisse. Evidenter autem primum caput demonstrabat defensor; namque testes uno propemodum ore, Titium describebant tamquam virum vitiis deditum et enutritum, brutalem et ignobilem: testabantur pariter puellam con* stanter ab eo abhorruisse, adeo ut usque ad matrimonii celebrationem puella fassa sit suae Matri, se *numquam in illud matrimonium consen suram.* Quam filiae pro testa tionem Mater patefecit Caiae Consobrino: et haec causa fuit cur Mater a dicto Consobrino adiuta sibi proposuerit suos oculos a Caia non avertere.

Sed praeter haec, quam aliena tum fuerit Caia a nuptiis cum Titio contrahendis, satis superque ostendit arrepta per fenestram nocturna fuga, postero die a matrimonio proposito.

Hoc pacto sibi Defensor viam aperuit ad secundum ostendendum, videlicet: *nonnisi violata per coactionem Caiae libertate, nuptias celebratas fuisse.* De hac coactione pariter testes loquuntur,, eamque veluti notoriam tradunt, ita ut existimaverint *Caiam liberam non fuisse,* et *ad nubendum Titio coactam* a Matre, a Consobrino, nec non ab Amita. Qualitatem autem coactionis sic Defensor describebat: « Non arma quidem, non ictus, non tor-
)> menta invenies, quae animosum quemque athletam vel gladia-
» torem deiicerent, sed alia quae in tenerae aetatis puellam
» ingenuo loco natam, delicato institutam cultu adhiberi possunt,
» solitudinis, inclusionis minas, et maternae mortis inevitabilis*
» offensionem.)) Haec quidem ante fugam. Post hanc vero Parentes censuerunt vigilantius custodiendam esse puellam, eam frequenter carpentes ut indocilem, et honore destitutam, adiectis iugiter minis de inclusione in deserta campestri domo, ita ut timore affecta, inducta fuerit Titium domi suae excipere. Eo autem magis Caiae propinqui modis omnibus institerunt, ut puellae reluctanliàm infringere, nt, quo magis verebantur ut matrimonio assentiret. Utraque porro mater sive Titii sive Caiae eo animo erant comparatae, ut remedium ex hoc connubio sibi repromittercnt, altera sui filii moribus, qui honestiorem puellam non esset in venturus;, altera suae filiae praemonstratae fatuitati, ex medicorum con-

silio, cuius fama si in vulgus percrobresceret, non facile nuptum iri Caia videbatur.

Post haec ad tertium ostendendum procedebat Defensor, scilicet, *coactionis effectum praesertim in matrimonii actu innotuisse.* Namque, in ipso discessu puellae e sua domo ad civilem magistratum, mater anxia trepidabat. Testis enim deposuit: « Ma» ter (Caiae) me admonuerat se admodum vereri ne filia sua » renitens persisteret usque ad ultimum momentum.»

Altera testis narrat quibus furi is puella agitaretur, his verbis: « dum Sponsa se indueret ante discessum, eam flere vidi et sua» rum manuum tegmina lacerare; dicentem se non posse omnino » *affirmative* respondere.» Mater autem testata est sub iuramenti fide, in itinere « filiam suam animo perturbato suos oculos con-* » vertisse ad rhedae fenestras: id autem fuisse causam cur conv » mendaret, ut vigilantius alii attenderent, et puellae motus » observarent: in civilis Praefecti domo continue puellam ad » ianuam respexissem Tempus interea respondendi coram Praefecto advenerat, et puella dissensum opponere meditabatur. Atque hic cum apertae ac violentae coactioni locus esse non posset, Caia *decipitur,* tabellione suadente rem amplius integram non esse, qua posset nuptiis contradicere. At nihilominus puella matrem suam oculis quodammodo interrogavit; de qua re ita Consobrinus testatus est: « Cum Caia haesitare videretur co» ram officiali civili, gravem Matris perturbationem observavi ;)) quae suspirium traxit, veluti animo sublevata, quando filine » affirmativam responsionem audivit. Memoria adhuc teneo, Ca» iam ad Matrem respexisse antequam affirmationis verbum)) pronunciare!.»

Nulla interiecta mora contrahentes ecclesiam petierunt; ct consideratis adiunctis Defensor animadvertebat, iam eo rem pervenisse, ut puella post editum paullo ante assensum, contrariam manifestare voluntatem sine magna omnium admiratione, et sine inconstantiae nota non posset : attamen manifestae haesitationis indicia, et coactionis trepidationes patefecisse. Cum enim in ecclesia puella consisteret, et progredi recusaret, Consobrinus illam manu impulit ut procederet. Sic rem enarrat altera testis: « in ecclesia vidi Consobrinum sua manu impellere Caiam quae » videbatur recedere. » Hoc idem confirmavit Consobrinus, qui

» deposuit his verbis : in ecclesia observavi etiam haesitationem » quamdam Caiae.... Ego eam adegi ut procederet, attamen sine » violentia. » Ipsa autem Caiae Mater deposuit: « in ingressu » ecclesiae Caia nullimode procedebat, et perturbata observa- » batur, ad aures autem eiusdem ut nervose diceretur mandavi: *si » tu adhuc scandalum patras, includens sola in agro: tu dolore » perire facies Matrem tuam, obedi.))* Celebratis nuptiis Caia suum interitum pronunciavisse visa est: cum enim altera testis Caiam his verbis compellaret: *en tandem vinculo iuncta es,* responsionem habuit*:-verum quidem est, sed ego nunquam felix ero.-*

Hisce adductis praeclara oratione interpellaret Defensor Patres Emos, quid" iudicarent, si de testamento ageretur hoc pacto confecto; ac subiungebat: vel num putetis minorem libertatem in matrimonio, quam in testamento requiri?

Post haec Defensor expendebat eorum testimonia, qui Caiam velut *laetissimam* eo tempore fassi sunt : et prae caeteris animadverterat, generalia haec testimonia singularibus non refragari. Mirum enim non est, si Parochus in altari consistens non observaverit quod *ictu oculi,* nutu matris, impulsu Consobrini factum fuerat. Neque mirum esse quod puellae interrogationem et Tabellionis responsum omnes eo actu ignorarent. Caeterum, quisquis virgines nubentes viderit, recordabitur profecto tanta illas commotione agitari in festivo apparatu, in gratulationibus omnium, in rei novitate, ut maxima in animo perturbatio insidere soleat, quamvis in ore debita consuetudini laetitia appareat.

Ad obiectionem vero depromptam ex nominis puellae subscriptione, quae accurata reperta est, quin ullum praeberet indicium turbati animi, observabat Defensor, non immediate post matrimonium puellam nomen suum obsignasse, sed post Missae celebrationem in domo Titii ; et eo animo esse puellam comparatam, ut etiam in turbatissimo animo valeret firma manu suum scribere nomen, quemadmodum in ipso iudiciali actu coram Episcopo praestitit.

Ad literas autem quod spectat, quarum unam post praedictam fugam ad suam amicam Caia scripserat, alteram vero ad Socrum, pauca adnotabat Defensor; satis enim ipsi fuit indicare, harum literarum cognitionem haberi tantum ex religiosa et spontanea Caiae confessione, quae in prima Episcopi inquisitione harum

literarum oblita, longum iter denuo aggressa est, ut de bis certiorem faceret Episcopum antequam ad S. Congregationem hic literas informatorias daret. Caeterum de his Uteris, quemadmodum de adiunctis hactenus in celebratione matrimonii enarratis, nihil ex parte sua dicere potuit puella, e cuius memoria ea omnia fugerant. Mater tamen sub iuramento testata est, eas a se scriptas fuisse, quarum exemplum a Caia fieri iusserat.

Hac posita factorum disceptatione procedebat Orator ad iuris quaestionem. Parvi autem faciebat distinctiunculas illas, quas -enucleatim nonnulli tradunt Auctores, quod scilicet metus debet esse *per se gravis;* quod metum inferens *potestatem exsequendi* Iiabeat; *exsequi soleat,* et alia id genus; quamvis haec omnia adiuncta in praesenti casu concurrisse ostendere studuerit.

Animadvertebat enim metum graviorem aut leviorem fieri iuxta animorum affectus: alter siquidem mortem non reformidat; alter minitantium supercilio commovetur. Utrum autem metus liberum arbitrium violaverit, in *passiva subiecti aestimatione* inquiri oportere, non vero in aliorum opinione, ceu docet Barbosa *vot. decis. I.* 1 *n.* 26. « Magis verosimilis redditur metus, ***n*** habita consideratione ad personam, quae- illum patitur, et te-
)) nuit Rota . . . rationem reddens his verbis : *nam pueri, in qui-*
» *bus nullus est usus, et qui omnia maiora quam sint iudicant, pro-*
» *pter imperitiam aetatis, rebus quibuscumque, etiam levissimis*
» *ferrentur.* Et hoc non solum in metu, quem coactivum appel-
li lamus, locum habere dicimus, sed etiam in reverentiali.» Zypaeus *consult.* 4 *apud Van-Espen p.* 2 *sect.* 1 *tit.* 13 *num.* 11 scripsit: « quando tamen revera ex iudicio viri prudentis consta-
» re t levem licet causam, vere tamen gravem metum incussisse,
» tantumque, ut spontaneum consensum defuisse demonstretur,
» non dubitem, matrimonium pro irrito haberi, quia certe nihil
i) interest, quo metu quis compulsus sit, dum constat compul-
» sum esse.» Et eiusmodi doctrinam tradidit Rota *in decis.* 491 *Cor. Royas n.* 4 *seqq.* - ibi - « quibus stantibus non videtur di-
» scutienda *causa ipsius metus,* et an fuerit cadens in constan-
ti tem virum, cum haec discussio sit admittenda quando *ex facto*
v *non resultat metus* probatio. *Abbas etc.* et merito, quia metus
» nihil aliud est quam mentis trepidatio praesentis vel futuri
» mali»

Q

Adducta insuper Auctorum doctrina, qua docent metum reverentialem sufficientem esse ad matrimonium irritum reddendum, concludebat Defensor auctoritate Sehmalgrueber *t. A p.* 1 *tit.* 1 §. 393 quae acu tangit casum nostrum - ibi - « Sequitur inva-
» lidum esse matrimonium... . contractum a virgine cum iuvene,
» quem illa aversabatur, ex mera reverentia in parentes, cum
» indignationis, exprobationum, durae tractationis, et similium
» incommodorum verisimili aestimatione coniuncta.»

Et sane cum de ineundo matrimonio agitur, quidquid schola doceat, de voluntario *simpliciter* et de voluntario *secundum quid?* plenam requiri aiebat Defensor libertatem. Ita enim Alexander HI. *in cap.* 14 *de Sponsa!,* statuit; « *Cum locum non habeat consensus ubi metus vel coactio intercedit, necesse est, ut, ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem* solo consensu *contrahitur, et ubi de ipso quaeritur,* plena debet securitate gaudere *cuius est animus indagandus.))*

Quare Sanchez /. 4 *disp.* 6 *n.* 2 docet: « Multi satis proba-
» biliter dicunt metum gravem, iuste incussum irritare matri-
» monium, cum tamen alios contractus non irritet. Et ratio esse
» potest; nam *in matrimonio maior libertas desideratur, quam*
» in reliquis contractibus. » Id ipsum tradit Pontius *de imped. matr. caus.* 31 *quaest.* 2 *et* 3 §. 13. « Quia ad illud *(matrimonium)*
» maius et perfectius voluntarium requiritur, quam ad alios con-
» tractus civiles. Id quod ex perpetua ratione vinculi matrimonii
» colligit D. Thomas etc.»

Quibus omnibus, ad ostendendum liberi consensus defectum» adiungebat Defensor vitium mentis, cuius nonnulla indicia dederat puella ante matrimonium ineundum.

Gradum praeterea faciens ad repellendam difficultatem, quae oritur ex longa habitatione Coniugum per spatium duorum annorum cum dimidio, obtenta prole, ampla oratione Defensor ostendebat matrimonium ratum habitum a Caia non fuisse, tum ex facto, quo graves dissentiones lites et iurgia inter coniuges intervenerunt, usque ad divortium; tum quia puella in ea persuasione erat, ut validum putaret matrimonium, quo casu non poterat haberi consensus renovatio ; tum denique, quia post novam formam a concilio Tridentino inductam, convalidari non potest ma-

trimonium, quod irritum in foro externo possit ostendi, nisi repetitis solemnitatibus (1).

His itaque utrinque per Defensores (2) copiosissime disputatis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An constet de nullitate matrimonii in casu.»

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii die 10 Iunii 1865 causa cognita respondere censuit : *affirmative.*

Ex ns COLLIGES:

I. Matrimonium inter personas iure natur&Vl et ecclesiastico ad illud idoneas, solo consensu contrahi, servata Tridentini forma ubi Tridentinum decretum viget.

H. Non quolibet tamen consensu matrimonium contrahi; sed eo consensu qui a gravi coactione et metu sit immunis.

HI. Hic enim singularis contractus qui ex mutuo contra* hentium amore, duce natura, initur, gravissima secumfert ex iure divino onera, quae declinari a contrahentibus non possunt, cu iusmodi praesertim est vinculum perpetuum quo ligati manent.

IV. Quare consensus a contrahente reluctante coacte emissus proportionem non habet cum matrimonialibus obligationibus, quae ex natura matrimonii dimanantes sustineri a contrahentibus debent vi praestiti consensus.

V. Hinc matrimonium vi et metu initum ipso iure est nullum, quidquid de caeteris contractibus sit dicendum (3).

(1) Vid. Appendic. I.

(2) Matrimonii validitatem sustinuit de more Defensor ex officio; nullitatem vero eiusdem defenderunt Causidici Carolus Modesti, et Salvator Martini.

(3) Caeteri contractus ex vi et metu initi, non censentur generatim ipso iure irriti, sed probata vi et metu rescindi debent iudicis sententia. At haec dici non possunt de matrimonio ex vi et metu contracto; quod si ex sese irritum non esset, non posset amplius a iudice rescindi, utpote quod ex divino iure perpetuum inducit vinculum. Quamvis autem certum sit matrimonium ex vi et metu contractum, ex sese nullum esse; non tamen omnes conveniunt in quaestione, quo iure matrimonium sit ex sese nullum ; alii enim censent ex iure ecclesiastico, alii ex iure naturali; quae secunda sententia communiter recepta , satis videtur ostendi ex abnormitate, quae haberetur si consensu ex vii et metu emisso constitui posset contractus irrescindibilis, quo non de rerum! alienatione, sed de mutua ipsorum contrahentium alienatione agitur ad constituendum prolis principium in perpetua vitae consuetudine, mutua fide, mutuoque amore fundatum. Quare quamvis

VI. Probationem autem vis et metus gravis duplici ratione posse fieri, a) vel ostendendo naturam coactionis seu causam metus incussi gravem esse, vel b) ostendendo graves coactionis et metus effectus produxisse in patiente causas caeteroquin leves.

VII. Secundam hanc appellari probationem *coactionis moralis* vel *timoris reverentialis:* primam autem appellari solemni iuridico effetu probationem *vis et metus cadentis in constantem virum.*

VIII. Hoc quidem solemne effatum duplici ratione intelligi, *absolute* nempe et *relative.* Vis enim natura, seu causa metus potest esse cuilibet *absolute* formidabilis, vel *relative* formidabiHs, habita ratione personarum quae constantes in suo quoque ordine censentur.

IX. Quare vis et metus censetur gravis, quamvis tantum cadat in constantem puerum, vel in constantem puellam, vel in constantem senem etc. secundum ordinem personarum ad quas spectant qui coactionem, et metum patiuntur (1*

X. In praesenti autem casu intervenisse coactionem moralem, et timorem reverentialem, quibus adacta est reluctans puella usque ad matrimonii celebrationem.

XI. Denique colliges, matrimonium sic ex vi et metu contractum non convalidari post Tridentinam legem per mutuam coniugum cohabitationem, quamvis etiam proles fuerit progenita (2).

metus non faciat simpliciter cessare consensum, tamen tollit qualitatem libertatis in matrimonio requisitam, quae libertas iure naturae necessaria omnino est.

(1) Sanchez *de Matrim. I.* 4. *dis.* 3 *n. 4* scribit: « Dum dicitur metus cadens » in virum constantem intelligitur nomine viri animi robur pro cuiusque » conditione.»

(2) Vid. Appendic. I.

MISSAE CONVENTUALIS.

Die* 28 *Ianuarii* 1865.** ***Sess.* 24 *c.* 12 *de Reform.

Compendium facti. Pius VII. fel. rec. Apostolicis Literis, *De salute animarum.,* diei 16 Iulii 1821 editis pro circumscriptione Dioecesum in Regno Borusico §. 11 constituit: *Cathedralium ecclesiarum Trevirensis, atque Paderbonensis respectivum Capitulum constabit ex duabus Dignitatibus... octo Canonicatibus numerariis, et quatuor Canonicatibus honorariis, atque sex Vicariis seu Praebendatis.* Adsignavit insuper redditus quadam proportione cum dictis Canonicis, tum Vicariis seu Praebendatis. Ab eo tempore Missa Conventualis celebrata fuit ordine praestituto tum a Canonicis tum a Vicariis, ita tamen ut Vicarii multo frequentius eam celebrarent et applicarent, quam Canonici, isque alternativus ordo confirmatus deinde fuit capitularibus statutis, ab Episcopo adprobatis.

Verum in Coloniensi provinciali Synodo ultimis hisce annis celebrata, de Missa Conventuali ita statutum est: *Missa Cotivenlualis quotidie persolvatur, et applicetur pro benefactoribus ecclesiae Cathedralis, et quidem per vices a Dignitariis et Canonicis, quippe quibus id ex beneficiis capitularibus canonica obligatione incumbit.* Transmissis laudatae Synodi actis Romam pro eiusdem revisione, S. Congregatio constituta super conciliorum provincialium revisione mandavit, ut post citationem Concilii Tridentini in eo capite Coloniensis Synodi adnotatam, adiungeretur etiam encyclica Benedicti XIV. *Cum semper oblatas,* in qua de obligatione Missae Conventualis a Capitulis persolvenda magistraliter agitur.

At post Synodi Coloniensis celebrationem , quaestio mota est, an scilicet ad Missam Conventualem celebrandam et applicandam tenerentur tantum Dignitarii, et Canonici ; an etiam Vicarii in Capitulo Paderbonensi.

Disceptatio syiuogttica.

RATIONES QUAE MILITABANT FAVORE VICARIORUM. — Observabatur favere Vicariorum, aequitati consonum non videri, ut Dignitari!

et Canonici, qui fructus beneficii maiores percipiunt, multo rarius, quam Vicarii seu Praebendati, qui minoris beneficii redditus percipiunt, Missam Conventualem celebrare et applicare teneantur; praesertim cum ipsimet Vicarii munere etiam exercendi animarum curam in cathedrali ecclesia fungerentur.

Neque obstare videbatur observantia et Capitolare statutum ab Episcopo adprobatum, quod hoc onus Vicariorum confirmabat: namque Capitulum facultatem non habet condendi statuta, quae licita non sint atque honesta, et sacris Canonibus adversantia. Maxime cum aliter in provinciali synodo fuerit statutum, quae particularem facit legem pro integra provincia. Synodi enim provincialis est ea statuere, « *quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi, seu modidandi ratione, de certa lege in choro conveniendi, et permanendi, simulque de omnibus ecclesiae ministris, quae necessaria erunt, et si qua huiusmodi...* (praescribere) *pro cuiusque Provinciae utilitate, et moribus certam cuique formidam.* » Concil. Trid. *sess.* 24 *de Refor.* c. 12 *in fin.*

EA QUAE MILITABANT FAVORE CANONICORUM.—Praemissa Constitutione Benedicti. XIV. *Cum semper oblatas,* qua legitur: *huiusmodi debitum non quidem respicit singidares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cuiuslibet ecclesiae, cuius servitio addicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia choralia obtinent, et Missam Conventualem suis respective vicibus celebrant:* animadvertebatur, Vicarios de quibus loquimur, chorali beneficio gaudere et partem integri Capituli constituere ; ideoque et ipsos ad celebrandam applicandamque Missam pro benefactoribus in genere teneri. Quod pluries etiam declaravit in similibus casibus S. Congregatio Concilii, ut videre est in *Auximana* 16 Decembr. 1820.

Caeterum cum praefata Constitutio rationem, qua huiusmodi celebrandi, et applicandi onus inter choro addictos distribui debeat, peculiariter non determinet, locus videbatur aperiri observantiae et consuetudini si qua sit ; maxime vero si observantia confirmata reperiatur capitularibus statutis ab Episcopo adprobatis, quemadmodum erui potest ex praxi, quam S. CC. sequitur, ut videre est in *Pientina* 17 Februarii 1731, et in una *Burgi S. Donnini* 16 Martii 1761.

Neque de gravitate oneris conqueri posse videbantur iidem Vicarii: namque defectui reddituum provisum etiam est in dicta Benedictina Constitutione, quae praecipit, ut eleemosyna Missae Conventualis ex massa distributionum desumatur. Quod constanter secuta est S. Congregatio ut in *Ferrarien.* 18 Martii 1719, in qua proposito dubio: «an pro eleemosyna dictarum D Missarum Conventualium teneantur contribuere omnes consti- » tuentes corpus Capituli, sive sint Sacerdotes, sive Diaconi, » sive Subdiaconi, et sive participent^ sive non participent de » massa distributionum: » respondit: *affirmative, sed ex massa distributionum.* Quare si ad tramites iuris massa distributionum constituta esset, iidem Vicarii pro gravioris oneris ratione uberiora etiam emolumenta consequerentur.

Verum observabatur, praesenti quaestioni provisum iam videri. Eadem enim quaestio definita fuerat in casu prorsus simili, proposito in *Monasterien. VV. SS.* LL.die 6 Decembris 1846. De huiusmodi enim Vicariis vi earumdem Literarum Apostolicarum constitutis in renovatione Capituli Monasteriensis, propositum fuit dubium: « an Vicarii ecclesiae cathedralis monaste- » riensis Missam conventualem pro benefactoribus gratis appli- i> care teneantur; seu potius illis pro hac applicatione stipendium » debeatur a Capitulo solvendum in casu. » Et S. C. respondit: *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam, ex massa conficienda prudenti iudicio Episcopi per contributum ex redditibus omnium Praebendarum.*

Itaque propositum est

Dubium.

« An et quomodo Vicarii ecclesiae cathedralis Paderbonen- •» sis celebrare teneantur Missam Conventualem in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii re discussa in comitiis diei 28 Ianuarii 1865 respondere censuit: *affirmative, constituta •eleemosyna pro applicatione Missae Conventualis ex massa conficienda prudenti iudicio Episcopi per contributum ex redditibus omnium Praebendarum.*

Ex iis COLLIGES:

I. Eos omnes qui beneficium chorale possident, quique *ad* corpus Capituli pertinent, teneri ad Missam Conventualem celebrandam et applicandam pro benefactoribus in genere.

II. Distributionem autem dierum quibus quisque ad eam celebrandam tenetur, maxime pendere ex invecta observantia, statuesque capitularibus.

III. In Capitulis recentioris institutionis, seu renovatis, aequum esse ut omnes contribuant ex suis redditibus ad massam constituendam, ex qua eleemosyna Missae Conventualis decerpi possit.

IV. Contributionis autem portionem remitti prudenti arbitrio Episcopi, qui aequa lance habita reddituum, et qualitatum personarum ratione eam suo iudicio determinat.

EX S, CONGREGATIO! EPISCOPORUM ET REGULAM

MONASTERII SUPER COMPENSATIONE.

***Die* 19 *Ianuarii* 1866.**

Compendium facti. Abbatissa romani monasterii N., audito Monialium Capitulo, receptisque informationibus, suis Uterisdiei 31 Decembris 1859 ius succedendi in chirurgicum officium, eveniente vacatione, dedit Titio huius facultatis perito. Titius hoc munus in acceptis habuit, et statim in qualitate coadiutoris cum futura successione operam suam praestitit. Interim inferioris ordinis officium assumpsit phlebotomi cum annua retributione scutat. sex. Vacante autem dicto Chirurgi officio anno 1862, dimisso altero ordinis inferioris, in plenum ius successit. At die 31 Decembris 1863 ab Abbatissa inopinato dimissionis literas

accepit, quibus scilicet certior fiebat, Moniales non amplius eiusdem chirurgico officio fidere; ideoque anno exeunte ipsum ***ab*** eiusmodi officio dimissum iri.

Verum Titius in honore, et iure suo his dimissionis Uteris se laesum esse existimans, suas querimonias deduxit coram S. Congregatione, quae prout moris est, preces reclamantis remisit ad eum ad quem pertinet *pro informatione et voto, auditis interesse habentibus.* In informatione autem recepta dicebatur, nihil adversus Titium esse in iis, quae ad mores, religionemque spectant, nihilominus ignorari quid Titius quaereret: si enim de compensatione ageretur pro officio exhibito in coadiutoris qualitate, res erat quae facile componi poterat cum monasterio : si vero quaereret iuris redintegrationem, id exigere non posse.

Cum autem Titius non videretur quaerere suum ius quoad officii restitutionem, sed potius compensationem ; in particulari congressu coram Emo Praefecto, in quo quaestiones minoris momenti pertractantur apud S. Congregationem Episc, et Reg., determinata fuit summa favore Titii scutat. 100 titulo compensationis. At hac determinatione cum se gravatum existimaret monasterium, causa proposita est coram S. Congregatione, utraque parte sua iura deducente.

Disceptatio synontica*

RATIONES NOMINE MONASTERII ADDUCTAE. — Monasterii Abbatissa inquiebat ex scientiae defectu et ex nova curandi ratione Tibjum suam aestimationem in monasterio amisisse. Haec probare contendebat tribus adductis, enarratisque curationis exemplis Monialibus haud recte impertitae. Quibus expositis et documentis roboratis concludebat, Titium iam suum recepisse honorarium, neque aliquid insuper posse exigere, cum ex sua causa, ob curationes nempe non arte chirurgica peractas, fuerit dimissus.

TITII DEFENSIO. — Titius se ipsum defendens plura documenta adducebat, quae ostendebant tum suam morum integritatem, tum praesertim in facultate chirurgica peritiam et doctrinam ; ac simul attestationes adducebat quorumdam virorum, qui in ea facultate excellunt, quibus methodus curationis a se adhibitae ***in*** adductis ab Abbatissa exemplis probabatur.

EA QUAE EX OFFICIO OBSERVABANTUR. •—Observabatur autem *ex officio,* praesentem quaestionem referri ad contractum *locationis convictionis.* Non enim locantur dumtaxat bona stabilia, sed «tiam operae. Operarius autem qui operam suam praestat Proprietario, Locator dicitur. Neque solum locantur operae mechanicae artis, sed etiam operae ingenii et scientiarum. Magister suam operam locat Discipulo, Advocatus suo Clienti, et Medicus aegroto. Ideo Medicus est Locator, S. Rota *dec.* 296 *par.* 2 *rec,* De Luca *disc.* 18 *de Tutor, n.* 5; Zacchia de *Salar, q.* 75.

Quare favore Titii omnes huius contractus proprietates militare videbantur, de quo contractu in *L.* 6 *ff. Qui operas suas locavit totius temporis mercedem recipere debet, si per eum non stetit, quominus operas praestet. Advocati quoque, si per eos non steterit, quominus causam agant, honoraria* (antea recepta) *reddere non debent.* Quare Zacchia *de Salar, q.* 22 *n.* 8 scribit: « Si D Operarius fuerit simpliciter conductus pro certa mercede, et » ex causa Conductoris operae non fuerint praestitae, debebit D Operarius integram mercedem consequi pro tempore quo fue» rit conductus, non secus ac si realiter et cum effectu operas » praestitisset, dummodo paratus fuerit ad omnem requisitionem » Conductoris.» Porro ex expositis consequi posse videbatur, Titium ius habere ad honorarium perpetuum, cum sub sua clientela monasterium vita durante assumpserit.

Verum res in praesenti casu iam eo devenisse observabatur, ut contractus ex partium agendi ratione, iam resolutus foret dicendus, ac si ab initio non extitisset, et dumtaxat circa compensationem quaestio versari. Quid autem compensationis titulo exigere posset Titius, Praeses urbici collegii medico-chirurgici determinavit in summa scutat. 185, in qua summa tamen comprehensa videbantur ea quae iam Titius receperat. Haec quidem favore Titii animadversa fuerunt.

E contra favore Monasterii observabatur, Conductorem quidem teneri ad honoraria retribuenda Locatori, si per Locatorem non steterit quominus operae praestarentur; at contrarium esse dicendum, si per Locatorem stet quominus eaedem operae praestentur, De Luca *disc.* 18 *de Tut. n.* 3. In praesenti autem casu, quamvis ex facto Monialium operae Locatoris cessasse videantur; attamen habita ratione huius facti, causa cessationis operarum Titio

Imputanda potius videbatur. *Imperitia enim culpae assimilatur:* .ac proinde neque locum fieri compensatione

Maxime autem haec in praesenti materia locum habere videbantur, in qua agitur de vita hominum, et tacitum pactum buie contractui inesse videtur a contractu resiliendi, quoties conductus medicus penes Clientem aestimationem amiserit.

Dubiam.

« An et cui compensationi locus fiat in casu.»

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio quaestione cognita die 19 Ianuarii 1866 respondere censuit: *Ius esse utrique parti recedendi >a conventione: attentis vero particularibus circumstantiis esse lo- >cum compensatdoni de bono et aequo in summa ab Emo Praefecto taxata in scutatis centum; et amplius* (1),

Ex ns COLLIGES:

I. Fiducia deperdita in Monasterio erga Peritum medicae aut •chirurgicae facultatis, cui ius perpetuum sive plenum sive semiplenum curandi monasterium fuerit commissum, posse a monasterio Peritum simpliciter dimitti.

II. Medicum autem ita dimissum, non aliud posse exigere, •quam aequam compensationem, non quidem iuris perpetui eidem •quodammodo concessi, sed operis quod in facto praestitit, ea proportione aestimati, qua solent iuxta regionis morem (2).

(1) Similis causa eodem die a S. Congregatione fuit eodem modo resoluta, Agebatur de Medico alterius monasterii Monialium, quae erga eum fiduciam amirerai, quin gravis saltem appareret huius rei causa. Porro Medicus, qui tantum Coadiutoris officium gratis annos tres•decim exercuerat cum iure succedendi in plenum officium, cum vacaret, compensationem postulavit pro opere gratis praestito. Cum autem conventum in summa non fuerit, S. Congregatio Episc. et Reg. ad quam Medicus confugit, re cognita, respondit: *esse locum compensationi de bono, et aequo, in scutaiis* 180; *et amplius.*

(2) Sic ex. gr. si agatur de Medico coadiutore, cui in ius plenum non adhuc successerat, erunt compensanda ex bono et aequo opera praestita in se conside- r;ita iuxta regionis morem. Si vero agatur de Medico, qui ius plenum ac perpetuum obtinuerit, quique honorarium conventum percipit, cum eiusmodi honorarium parvum esse soleat, sed aequum habita ratione ad eiusdem perpetuitatem, si per medicum non stetit, ut ab officio dimitteretur, etiam hoc in casu aequa compensatio locum habere videtur. In utroque enim casu cessante conventione, videtur subintrare actio in factum, ac si nullum fuisset statutum ab initio hono-

III. Etenim quamvis intervenire in huiusmodi casibus censeatur contractus locationis et conductiohis, ob operarum praestationem? et ob fixum honorarium ; nihilominus consensus, qui dat contractui formam, eiusmodi esse intelligitur, ut quemadmodum Medico facultas inest pro lubito a conventione resiliendi; ita etiam facultas maneat religiosae familiae sibi prospiciendi, uti melius? existimaverit, si praeconceptae communitatis opinioni operae conductae non respondeant.

EX S, CONGREGATIONE IHDDLfilITUROI

SOCIETATIS IESU.

***Die* 29 *Augusti* 1864.**

DECRETUM. « Per decretum huius S. Indulgen. Congregationis latum die 8 Ianuarii 1861 (1) super institutionibus, et aggregationibus confraternitatum seu congregationum, iniungitur ac praescribitur observantia Constitutionis Clementis fel. record. PP. VIII. incipien. *Quaecumque a Sede Apostolica*, circa modum instituendi, et aggregandi confraternitates omnino adhibendum ab Ordinibus Regularibus, et Archiconfraternitatibus: suborta hinc fuit dubitatio, num infirmari inde censeatur facultas instituendi et aggregandi, qua Congregatio Primaria B. M. V. sub titulo

rarium, iuxta ea quae habentur in *L.* 22 *ff. de Praescriptis verbis:* « si tibi polienda sareiendave vestimenta dederim, si quidem gratis hanc operam te suscipiente, mandati est obligatio; si vero mercede data, aut constituta, Locationis Conductionisque negotium geitur>. Quod si neque gratis hanc operam susceperis, nec protinus aut data, aut constituta sit merces; *sed eo animo negotium gestum fuerit, ut postea tantum mercedis nomine daretur, quantum inter nos statutum sit; placet quasi de novo negotio* in factum *dandum esse iudicium, id est praescriptis verbis.***

(1) **Vid. Append. II.**

Annunciationis in Urbe fruitur. Quapropter R. P. Praepositus Generalis Societatis Iesu huic S. Congregationi sequens dubium proponendum curavit.

» Utrum in praefato decreto 8 Ianuarii 4861 comprehendan-
» tur institutiones, et aggregationes fieri solitae a Congregatione
» B. M. Virginis ab Angelo salutatae in collegio romano erecta,
» nuncupata *Prima-Primaria,* iuxta peculiarem, et propriam for-
» mulam, qua, vi concessionum plurium Summorum Pontificum,
» illius Societatis Moderatores usi sunt, et adhuc utuntur.

» Sacra Congregatio in generalibus comitiis habitis apud Vaticanas aedes die 29 Augusti 1864, auditis Consultorum votis, et re mature perpensa respondendum duxit: *non comprehendi.»*

Ant. M. Cardin. PANEBIANCO Praefec

Ph. Can. *Cossa* Substitutus.

Disceptatio synontica.

EXPOSITIO QUAESTIONIS. — Clemens VIII. in celeberrima Constitutione: *Quaecumque a S. Sede Apostolica,* diei 7 Decembris 1604 plura praescripsit sub poena nullitatis servanda in instituendis, erigendis, aggregandis Confraternitatibus et Congregationibus. Praescripsit scilicet, quod unica tantum Confraternitas ^eiusdem Instituti et generis possit in ecclesiis tam saecularium, quam Regularium institui, et aggregari. 2. Quod idem fiat de Consensu Ordinarii, et cum literis testimonialibus eiusdem. 3. Quod instituentes vel aggregantes Confraternitatem, eidem expresse et in specie communicent privilegia et indulgentias etc. Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa : non ea vero quibus per privilegium communicationis gaudent. 4. Quod statuta Confraternitatum examinentur, et approbentur ab Ordinario loci, et corrigi possint. 5. Quod in aggregandis et instituendis Confraternitatibus servetur *formula* ab eodem Pontifice approbata. 6. Quod gratiae et indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. 7. Quod Confraternitas eleemosynas et alia charitatis subsidia excipiat iuxta formam per Ordinarium praescribendam. 8. Quod dictae eleemosynae pro arbitrio Ordinarii in utilitatem ecclesiae aliosque pios usus erogentur. Ac denique nonnulla circa Con-

fessarios earumdem, et casus reservatos praescripsit. De quibus consuli potest Ferraris, *Biblioth. Canon, verbo: Confraternitas.*

Porro cum S. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita nosceret, eiusmodi Constitutionem posthaberi, et negligi a pluribus in erigendis, vel aggregandis Confraternitatibus, ex Audientia SSmi Decretum emisit die 8 Ianuarii 1861, quo in suo vigore restituens praefatam Constitutionem, formulam etiam servandam praescripsit in huiusmodi erectionibus et aggregationibus ad normam dictae Clementinae Constitutionis (1).. Verum cum in eo generali Decreto clausula fuerit adiecta : *derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium eliam specialis mentionis dignae;* dubitatum deinde est, an sub hoc Decreto comprehenderetur Congregatio *Prima-Primaria* nuncupata, quae privilegiis plurium Romanorum Pontificum aucta,, formula aggregandi utitur vetustissima ; quaeque in quibusdam differt ab iis, quae a Clemente Vili. statuta sunt, ac nominatim inter caetera differt ab iis, quae praescribuntur observanda ir* primo Constitutionis Clementinae articulo, quod scilicet unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis possit in ecclesiis tam Saecularium, quam Regularium institui et aggregari etc.

EA QUAE MILITABANT FAVORE SODALITATIS PRIMAE—PRIMARIAE. — Sequenti ratiocinatione ostendebatur Sodalitas de qua loquimur non comprehendi sub praefato Decreto: namque Decretum respicit tantum sodalitates, quae comprehendebantur sub Constitutione Clementis VIII. diei 7 Decembris 1604: porro Sodalitas Prima-Primaria eidemque sodalitates adnexae, nunquam fuerunt comprehensae sub dicta Clementina Constitutione: ergo neque comprehenduntur sub praefato Decreto. Quae propositiones ostendebantur sequenti ratione.

Quod Decretum S. Congregationis respiciat tantum sodalitates, quae sub Clementina Constitutione comprehenduntur, ex. ipsis Decreti verbis manifeste evincitur. Namque initio commemorat, Constitutione Clementina praeceptum fuisse *modum servandum* in institutionibus seu aggregationibus Confraternitatum et Congregationum etc. Praeterea ipsum Decretum adnotat, progressu temporis praescriptum aggregandi modum non ab omni

(i) Vid. Àppend. II. in qua eiusmodi formulae referuntur.

bus fuisse accurate servatum, sive in iis quae spectant ad formulam aggregandi, sive communicationem indulgentiarum, sive solutionem taxae aggregationis. Denique sanat omnes aggregationes seu erectiones hucusque factas adversus praescriptum Constitutionis Clementinae, cuius observantiam in suum revocat vigorem *in huiusmodi erectionibus seu institutionibus, seit aggregationibus.*

Si autem Decretum conqueritur de iis Confraternitatibus, quae formulam non adhibuerunt, neque communicaverunt privilegia *quemadmodum Pontifex praeceperat;* manifeste Decretum loquitur de iis dumtaxat Confraternitatibus quibus id fuerat praescriptum. Item, si Decretum institutiones et aggregationes sanat adversus Clementinam peractas, manifeste refertur ad eas Confraternitates tantummodo, quarum erectio irrita erat ob neglectam formam Clementinae Constitutionis: ac propterea illas solum respicit, quae sub eadem Constitutione comprehendebantur. Si denique Decretum in suum revocat vigorem dictam Clementinam, quin eam ultra suos limites protendat, de iis tantummodo aggregationibus agit, de quibus ipsa Clementina loquitur. Ergo etc.

Superest igitur ut secunda propositio expositae ratiocinationis ostendatur, videlicet Primam-Primariam eidemque adnexas Congregationes non comprehendi sub Clementina Constitutione diei 7 Decembris 1604; quod quidem pari evidentia factum est. Namque idem Pontifex Clemens VIII. anno 1602 focultatem largitus est Primae-Primariae aggregandi alias Sodalitates etiam in locis in quibus Societas Iesu simpliciter residebat, et communicandi omnes gratias iam ab aliis Summis Pontificibus eidem Sodalitati concessas. Ad quem finem derogavit alteri suae Constitutioni antea emissae his verbis: *Non obstantibus nostra de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.* His positis subiungebatur, non posse rationabiliter supponi Constitutionem: *Quaecumque:* emissam duos post annos, abrogasse priorem favore Primae-Primariae concessam, quin de ea mentionem faceret. At quod dubium penitus removet est authentica responsio «S. Rituum Congregationis facta sub Paulo V., qua scilicet declaratum fuit: Congregationes, quae in Domibus,

aut collegiis Societatis Iesu institutae sunt, Decreto Clementis VIII. *minime comprehendi ;* ideoque Patres Societatis posse erga illas procedere, easque acceptare et regere citra dependentiam ab Ordinariis non aliter quam antea solebant. Quod expresse deinde declaravit Gregorius XV. in Const. *Alias pro parte,* diei 15 Aprilis 1621 his verbis : *Decernentes praedictas Gregorii et Sixti Praedecessorum, nec non praesentes literas* (in quibus agitur de Prima-Primaria et de aliis eidem adnexis) *sub Constitutione rec. mem. Clementis Papae VIII. super modo et forma Confraternitates erigendi, aggregandi edita minime comprehendi.* » Solemnius autem et amplissime idem declaratum fuit a Benedicto XIV. in Bulla aurea: *Gloriosae Dominae* diei 27 Septembris 1748.

Haec vero confirmabantur inspecta natura Congregationis Primae-Primariae, quae omnino differt a Sodalitatibus et Confraternitatibus consuetis Saecularium; ex quo inferebatur, quam rationabiliter S. Sedes semper declaraverit Primam-Primariam non comprehendi sub dispositione Clementina.

Dicebatur enim dicta Constitutio Clementis VIII. comprehendere dumtaxat eas Sodalitates, quae propria aggregandi forma destitutae erant: quae non recte caeteris communicabant indulgentias, et privilegia sibi a S. Sede concessa: quae pro arbitrio taxas pecuniasque exigebant pro aggregatone etc. Porro Prima-Primaria a sua institutione, scilicet plusquam viginti annis ante dictam Clementinam, praescriptam habebat formulam, statuta et Regulas ; elenchum indulgentiarum *nominatim et expresse* communicabat, neque expensas cuiusvis generis admittebat, quemadmodum hucusque servavit.

Insuper ex antiqua praescriptione a Praepositis Generalibus facta, qui sunt Promotores Visitatores et Legislatores earumdem, interdictum est iisdem Congregationibus vestem specialem induere, redditus stabiles habere, seu quovis modo bona possidere; neque publicis Processionibus aliisque publicis ecclesiasticis functionibus interveniunt, nec aliud quidquam faciunt, quod dissentiones et discordias moveat inter caeteras Sodalitates institutas in eadem civitate, urbe seu terra, seu loco. Integer earum scopus est christianarum virtutum et pietatis exercitium sub protectione B. M. Virginis.

Ex qua Congregationis indole, cum instructiones catechismi <et caetera pietatis opera fieri solita, eadem esse non possint, pro pueris, qui grammaticae student, et pro iuvenibus, qui in philosophicam vel theologicam scientiam incumbunt; ideo usque ab initio in ipso Romano Collegio Prima-Primaria duas alias distinctas Congregationes erexit iuxta diversas puerorum aetates, et sibi aggregavit.

Facta autem a S. Sede facultate aggregandi alias Sodalitates, quae ex diversa et distincta personarum conditione componuntur, etiam puellarum, quae in Conservatores vel Monasteriis, aut religiosis scholis instruuntur, aliarumque mulierum quae m aliqua Cappella aut ecclesia ex Ordinarii licentia possint convenire, et praescripta opera saltem ex parte exercere ; eadem ratione provideri debuit tum Romae tum aliis in locis. Porro eiusmodi Congregationes iam statutae innumerae sunt, et in qua libet Orbis parte reperiuntur, et augentur. Hic autem scopum Primae-Primariae destructus fuisset, si sub Constitutione. Clementina comprehensa esset, quae inter alia statuit, ut una tan tum Confraternitas, seu sodalitas erigi possit in quavis civitate, terra, aut loco. At vero post dictam Constitutionem non modo Congregationes Marianae non decreverunt, sed auctae omnino sunt, ac pluries a RR. Pontificibus confirmatae : ergo etc.

Post haec et alia disputata atque animadversa concludebatur, -clausulam derogatoriam adiectam Decreto S. Congregationis diei *S* Ianuarii 1861: *derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium, eliam specialis memoriae dignae,* nihil operari adversus Primam-Primariam. Namque iuxta ea quae tradit Fagnanus in *Cap. Tuarum De Privil. n.* 49, *Derogatio non fit nisi <ad contraria;* atque ideo protendi non potest ad extranea, cuiusmodi in praesentia demonstrata est Congregatio de qua loquimur.

Quin imo, addebatur, facta etiam hypothesi, qua sub Clementina fuisset Prima-Primaria comprehensa, et ex privilegio dein subducta, non videri sub ea simplici derogatoria clausula comprehendi, nulla facta mentione de hac Sodalitate. Et sane gravissima sunt verba, quibus Benedictus XIV. memoratae Bullae aureae *Gloriosae Dominae,* in qua caeterae anteriores Constitutiones Primam-Primariam respicientes inseruntur, finem imponit,

scilicet: « *Praesentes literas nullo unquam tempore de subreptio" nis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, vel intentionis nostrae seu quopiam alio defectu notari, impugnari, vel retractari, aut revocari ullatenus posse, neque debere; sed semper et in perpetuum validas et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, vel obtinere debere, nec sub quibuscumque similium, vel dissimilium gratiarum invocationibus, suspensionibus, limitationibus? derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus per Nos, vel per alios Romanos Pontifices Successores Nostros, aut Sedem Apostolicam, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, pro tempore quomodolibet factis comprehendi ; sed semper ab illis exceptas, et quoties illae emanabunt, toties in pristinum statum restitutus, repositas, et plenarie reintegratas esse et censeri. . . . decernimus.))* Quare etc.

RESPONSORIUM

IN HONOREM

SANCTI ANTONII PATAVINI

Si quaeris miracula,
Mors, error, calamitas,
Daemon, lepra fugiunt,
A egri surgunt sani.

Cedunt mare, vincula,
Membra, resque perditas
Petunt, et accipiunt
Iuvenes, et cani.

Pereunt pericula,
Cessat et necessitas;
Narrent hi, qui sentiunt,
Dicant Paduani.

Cedunt mare, vincula,
Membra, resque perditas
Petunt, et accipiunt
Iuvenes, et cani.

Gloria Patri, et Filio,
Et Spiritui Sancto.

Cedunt mare, vincula,
Membra, resque perditas
Petunt, et accipiunt
Iuvenes, et cani.

^. Ora pro nobis B. x4ntoni.
R). Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Ecclesiam tuam, Deus, Beati Antonii Confessoris tui commemoratio votiva laetificet, ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur aeternis. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

DECRETUM

URBIS ET ORBIS

Ex Audientia Sanctissimi die 25 Ianuarii 4866.

Ad humillimas. preces P. F. Ludovici Marangoni Vic. Generalis S. Francisci Min. Conventualium Sanctissimus Dominus Noster Pius PAPA IX. peramanter inclinatus, in Audientia habita ab Etfto Card. Praefecto die 25 Ianuarii 1S66 universis utriusque sexus Christifidelibus qui corde saltem contrito *Responsorium,* cuius initium « *Si quaeris miracula* » cum versiculo et oratione adnexis in honorem S. Antonii Patavini devote recitaverint, Indulgentiam centum dierum pro qualibet vice clementer concessit. Iis autem Christifidelibus qui supradictas preces per integrum mensem quotidie saltem semel effuderint, Indulgentiam plenariam unica tamen cuiuslibet mensis die uniuscuiusque arbitrio eligenda, qua vere poenitentes confessi, et Sacra Communione refecti aliquam Ecclesiam, seu publicum Oratorium devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium iuxta mentem Sanctitatis Suae pie oraverint, benigne est elawgitus. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 25 Ianuar. 1866.

Fr. ANTONIUS M. Card. PANEBIANCO Praef.

loco Signi

A. COLOMBO Secretarius.

EX S, CONGREGATIONE S. RITUUM,

A M E K I IV A

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

P.. FR. GENEROSI MARIAE A PREMOSELLO

SACERD. PROFESS. ORDINIS MINORUM OBSERVANTIAE

... SERAPHICAE PROVINCIAE

SUPER INTRODUCTIONE CAUSAE.

Compendium vitae servi »ei (1). In oppidulo Novariensis Dioecesis, quod *Premosello* audit, humilibus quidem parentibus, sed multa honestate et christiana pietate praestantibus, ortus est die 24 Augusti 1729 Dei Servus cui Bartholomaei nomen ex pervigilio huius S. Apostoli quo natus est, fuit impositum.

À puerili aetate christiana educatione informatus non dubia praebuit signa perfectionis ad quam erat perventurus. Namque ct puerulus licet ingenii vivacitate pollens, amare tamen videbatur solitudinem segregemque vitam, ac in parochiali sua ecclesia di versari, ibique sacris inservire aliisque ad divinum cultum spectantibus adiutricem operam exhibere. Cum autem parentes noscerent eiusdem animi indolem et voluntatem, qua ecclesiasticam praediligebat militiam in claustro exercendam, nihil omiserunt, ut Dei Servus illi studiorum curriculo daret operam, quo ad finem a se optatum perveniret.

Traditum porro habemus, adolescentem scholasticis, simulque piis exercitationibus unice intentum, adeo constanter quamlibet coaetaneorum consuetudinem, vel otiosum consortium aut ludicrum congressum declinasse, ut dici omnino possit non alia umquam loca eum tum scivisse, nisi proprium domicilium scholam-

(1) Huius causae Decretum retuli in *Vol I. pag.* 652.

que et ecclesiam , in qua ad orandum, ad inserviendum sacris, ad sacramenta frequentanda aliasque pias functiones videbatur assiduus. Quod si quis eiusmodi segregem vivendi rationem obiurgasset, ipse ingenue ad hanc censuram reponere solebat, quod cum animum ad religiosum statum haberet intentum, sibi convenire existimabat, ut congruae huic statui solitudinis sese iam tum assuesceret, atque in ea se exerceret.

Ad annum aetatis suae vicesimum deveniens, sensit tempus adesse, quo ad optatam religiosam militiam admitteretur. Fusis ad Deum precibus, auditis consiliis, omnibusque recte compositis, ad Assissiense coenobium Ordinis seraphici medio Vere anni 1750, pervenit, atque lacrymis magis, quam verbis petiit, ut ad Minoriticam vitam eo in coenobio admitteretur; et secundum sua vota res cessit; ingressum scilicet die 3 Martii eiusdem anni obtinuit, ac die 5 insequentis Iunii minoritica tunica indutus est, et baptismali nomine Bartholomaei in alterum Generosi Mariae sibi commutato, inter candidatos Ordinis clericos in tyrocinio fuit cooptatus.

Expleto tyrocinii anno solemnia religiosa vota die 6 Iunii 1751 Deo nuncupavit, ac ad sacras addiscendas scientias ad Perusinum S. Francisci coenobium missus est, ibique ab Episcopo anno 1753 sacros suscepit ordines.

Adveniente autem anno 1756 Mediolanum iussu Superiorum profectus in illius Urbis coenobio reliquum S. Theologiae cursum ad integrum annum 1758 peregit. Illic peculiari ratione in vias sublimioris perfectionis a Deo fuit vocatus. Namque ipse sibi visus est per nocturnam quietem cum quinque aliis confratribus veluti vita functus, et una quoque cura iisdem, in peramplam aulam adduci, in qua Christus Iudex pro tribunali sedebat. Atque inibi incoepto statim super ipsis confratribus examine, cum iidem visi Servo Dei pari singuli sententia damnati iudicio dimitti; ipse cum sese sistere coram divino Iudice deberet, tam gravi percitus est terrore, ut penitus incanuerit- Excussus enim e somno et mane ad chorum accedens inopinato omnibus correligiosis totum sui capitis crinem in canitiem versum ostendit.

Ab hoc saevissimo somnio, quod apprime comparare potes cum iis quae S. Teresiae divinitus contigerunt, eumdem Dei

Servum totum inde suae religiosae militiae cursum in ruralibus strictioris observantiae recessibus peragere maluisse comperimus. Completo enim studiorum curriculo, nihil omisit ut religiosam suam collocationem in hisce locis obtineret; ac reapse obtinuit in recessu Mediolanensi, Montefalconensi, ac praesertim Amerino, in quo reliquum vitae suae cursum explevit. Pluribus officiis ac sui Ordinis dignitatibus functus est, magisterio nempe grammaticae, officio Vicarii Amerini recessus, officio Commissarii Visitatoris Tertii Ordinis, ac denique officio Custodis seu Rectoris recessus eiusdem, quae pari semper obedientiae submissione pluries vel dimisit vel recepit.

Ad heroicas eius virtutes quod attinet singularemque sanctimoniam, quamvis Procurator, prout moris est, distinctis articulis accurate singulas virtutes ostenderit, heic tamen summis labiis nonnulla tantum delibare erit opportunum:

Ex testibus porro habemus integram Servi Dei religiosam vitam non aliud praesetulisse, quam perfectissimam undequaque seraphicae regulae et Constitutionum S. Recessus observantiam, singularem assiduitatem in vocali mentalique oratione, personae compositionem, mentis stabilitatem, et ecstaseos speciem in qua praecipua intimi fervoris eius signa in mira quoque sui vultus accensione apparebant. Deponunt insuper testes rigidam sensibilium omnium appetitionum coercitionem, continuam sui corporis vel vigiliis vel ciliciis vel flagellis, aliisque poenitentiae armis afflictationem assidue coluisse.

Toto insuper triginta sex annorum spatio quo in Amerino recessu vixit, operam iugiter navavit poenitentibus sacramentali confessione Deo reconciliandis, pueris et oppidanis praeceptis fidei instituendis; Amerinam civitatem, tribus licet passuum millibus dissi tam, ad eumdem finem in **hebdomada** frequentabat; circumstantes agros, vicosque aut oppida cursitabat, ut peccatores quaereret, quos per idem Sacramentum Deo posset reconciliare; quavis hora accitus statim ad quamlibet locorum distantiam, nulla habita ratione itineris asperitatis, vel aeris inclementiae, advolabat, et quandoque visus est aeger licet e suo lectulo surgere, ac pedestris ad aegrotantem poenitentem se conferre, et, miro prodigio, sanus ab ipsa sua infirmitate redire.

Si inter familias oppidanorum conversari debuisset, nunquam inter eos de re morali, de mysteriis fidei divinisque mandatis sermonem inserere praetermittebat ; si in deambulando villicos •otiari percepisset, comiter se inter ipsos immiscebat, eosque perbelle ad spiritualia excipienda monita eorumdem animum •converterat; pari modo si parvulos vagantes invenisset, eosdem «d se blande vocabat, et ad peculiaria doctrinae christianae documenta intelligenda et memoriae mandanda munusculis alliciebat. Nec ulla demum ratione sese eximere visus est unquam , sive ad sermocinandum pro catechesi, sive pro spiritualibus exercitationibus invitaretur.

Ad benefaciendum omnibus semper vigil et effusus, scandala reprimebat; vitiis deditos et flagitiis implicatos omni ope sibi conciliabat, nec dimittebat, donec ad veram emendationem pervenisse intelligeret; ad demulcendos suavitate exasperatos animos accurrebat; et felix conciliator pacis extinguebat iras, dissipabat odia, arcebat vindictas; desolatos in aerumnis statim .adibat, et singulos opportuna consolatione peramanter recreabat; pauperum inedia semper commotus, etsi in minoritica sua conditione non haberet unde cunctis eorum necessitatibus subveniat, divites in eorum subsidium advocabat; quodam anno caritatis annonae, non dubitavit idem per oppida vicinarum dioecesum panes, legumina, frugesque vicatim quaeritare, ut in ea penuria famelicos satiare valeret; ac demum quasi omnium Pater omnes charitate excipiebat, quin quemquam fastidire unquam visus sit.

Hanc singularem P. Generosi Sanctimoniam Deus ipse donis ac prodigiis illustravit. Dum enim oraret aut psalleret seraphicis ardoribus eius vultus accensus conspiciebatur ; interdum in peragendo Sacro, quandoque in ducendis intra ecclesiam supplicationibus, in aerem toto corpore raptus publice visus est. Ad haec autem simul accesserunt singularia discretionis spirituum dona, ac scientia occultarum rerum, qua latentes cogitationes, praetermissa in confessione peccata, facta procul contingentia, *et* quandoque statum mortuorum in altera vita aperire solebat, prout omnia in se vera propriis suis modis innotescebant ; amplissimo prophetiae dono ditatus, praenuntiabat prosperos, ad-

versosque rerum eventus, publicas (1) privatasque calamitates, brevem aut diutinam in nonnullis vitae durationem, in aliis instantem et inopinatam mortem, faustos vel fatales infirmitatum exitus, prout omnia facto comprobabantur.

Praestitit Dei Servus potestate ad eiiciendos daemones, ad spiritus procellarum furentesque nimbos dissipandos. Pulchrum est ruriculas testes audire, qua facilitate mures, bruchos, tineas- aliasque infestas bestiolas in eorumdem habitaculis, in agris, *m* messibus, in collectis frugibus extirparet. At ampla quoque potestas super naturalibus quibusque rebus in eo saepe refulsit. Passim siquidem vel per benedictionem ac impositionem manuum suarum, vel etiam per usum rerum quas idem ad ipsa miracula operanda tradebat, modo muti pueruli, aut etiam muribundae personae iam voce destitutae, loquelam obtinebant; modo impotes gradiendi, libere ambulabant; ac ne singula persequar quae testes sub iuramento deponunt, ipsae res materiales interdum vel e sua naturali qualitate immutabantur, vel in sua exili quantitate augebantur, seu multiplicabantur, vel ubi prorsus nullo modo haberentur, in instanti aderant mirabiliter productae ; siquidem steriles terrae, quibus ipse benedixisset cerealem omnem visae sunt acquirere feracitatem , et alias in constructione aedificii impares ad illud trabes per se subito extensae, et ad id adamussim aptae evaserunt; et omissis caeteris, non semel in absoluto totius prandii defectu pro religiosa communitate, statim post eius orationem copiosa apparuerunt alimenta; ceu et alias deficiente omnino pro mensa ipsius communitatis pane, etiam saxa ab eodem Servo Dei benedicta prompte extitisse in optimos panes conversa testatum habemus.

(i) Nolumus heic omittere id quod Testis XLIi. deposuit circa eiusmodi praevisiones quod forsan ad praesentia tempora referebantur: «Mi ricordo ancora che in tempo delia repubblica francese vedendo i mali, che travagliavano la Santa Chiesa dimostrava la più grande amarezza, e prevedendo i mali futuri *anche per riguardo al suo Ordine, e Convento,* diceva - VERB! UN TEMPO così CATTIVO IN cui io VORREI CHE NEMMENO SI BIXROVASSEBO LE MIE SANDOLE SOPBA LA TI-RBA.» - Quae verba? latine reddita ita sonant. «Id etiam in mentem subit, ipsum, cum Gallicae reipublicae temporibus mala quibus affligaretur Sancta Dei Ecclesia perspiceret, maximum animi angorem praesetulisse; cumque et futura mala praevideret, etiam quae ad suum Ordinem ac Conventum spectarent, dixisse: *Tam mala futura sunt tempora, quibus ne mea quidem sondala super terram superesse ve* Um.»*

Meritis itaque plenus, fama Sanctitatis ac signorum in Amerina dioecesi clarissimus, annum suae aetatis septuagesimum agens, et trigesimum sextum commorationis in Amerino recessu* molesto hydropis morbo patienter tolerato, die 7 Iunii 1804 e vita migravit.

Haec omnia ex testium depositionibus deprompta sunt, quibus idem vitae compendium copiosiori ratione facundus et accuratissimus Procurator (1) concinnavit, quique iisdem testibus numero cxxxv. usus, dein, prout moris est, ad ostendendas singillatim heroicas Servi Dei virtutes descendit, sive theologales, sive cardinales, et Sanctitatis famam, in vita et post S. D. obitum. His autem ampie peractis, iisque cum ordinario authenticoque processu ad Fidei Promotorem transmissis, disputatio inter eos in scriptis de more inita est, cuius nonnulla tantum in sequenti *synopùica disceptatione* cursim indicamus.

Disceptatio synoptiea.

ANIMADVERSIONES R. P. D. PROMOTORIS FIDEI. — Praevia brevi vitae Servi Dei expositione in qua Censor inter alia scripsit : « Res ab eo (Servo Dei) gestae tum in tyrocinio, tum eo tem-» pore quo studiis operam navavit, latent prorsus. Id unum » memoria proditum, sibi per visum Christum Iudicem minaci » vultu apparuisse; qua re ita fuit timore perculsus, ut illico » incanuerit. Exinde secretioris, ac rigidioris vitae cupidus, non-» nisi in montanis, atque inter meliores homines degere , *sui » bene conscius,* constituit: » ad primum animadversionum caput idem Censor descendebat quod processum Ameriae habitum respicit. Animadvertebat scilicet harum causarum processus, qui Ordinariorum auctoritate fiunt, licet non omnia requirant, quae pro Apostolicis processibus decreta sunt; tamen id omnino praecipi, ut *fuerint observata ea quae de iure communi servanda sunt in constructione aliorum Processuum,* Benedictus XIV. in opere *de Canoniz. Sanet. I.* 2 *c.* 43 n. 21. Porro iure communi statutum est, ut Ordinarii in subditos tantum iurisdictionem exerceant, nec minus servata iudicii forma, quam in ipso contentionis foro. Quare Ordinarii locorum dumtaxat, vel ab iisdem delegati,

(f) Advocatus Philippus Carlini, munus Procuratoris in hac causa suscepit.

in propriis dioecesibus ad suum tribunal testes vocare, ac legitime ab his veritatem sciseitari valent, a Cum iudex Ordina-
» rius sit (ita ad rem Benedictus XIV.), qui ex proprio munere,
-» atque adeo iure suo iurisdictionem exercet iuxta *text...;* con-
y> sequens est, in re de qua nunc agimus, Ordinarios esse Epi-
y> scopos in suis dioecesibus . . . Ordinarius vero non solum erit
i> in cuius dioecesi est Corpus Canonizandi, sed ille etiam in cuius
D dioecesi miracula contigerunt, vel in qua homines degunt, qui
» super sanctitate et miraculis sunt examinandi.)) *L.* 2 *c.* 2 *n. i.*

Porro haec prae oculis, (subiungebat Censor) Iudices ab Amerino Antistite delegati non habuisse videntur. Etenim hi non Ameriae dumtaxat, sed Hortae, Interamnae, Assisii, Fulginii inquisitiones peregerunt, ac testes examinarunt: quae civitates profecto non Amerini Antistitis, sed proprii Episcopi iurisdictioni parent. Si itaque *incompetentia fori,* non in criminalibus modo, sed in civilibus quoque, actorum nullitatem inducit, id maxime locum habere dicendum est in severissimis huiusmodi iudiciis, a quibus profecto non iniquitas solum, sed vel piae cuiuslibet fraudis suspicio exulare debet.

Post eiusmodi processus ordinarii defectus, aliis adnotatis , quibus quemvis responsionis aditum praecludere Censor studuit, ad alia animadvertenda procedens, concludebat, irritum habendum esse processum.

Omittimus brevitatis causa caeteras animadversiones omni diligentia a Fidei Promotore pro suo officio expositas ; atque ad responsiones a Causae Procuratore datas gradum facimus.

RESPONSIONES PROCURATORIS AD EXPOSITAS ANIMADVERSIONES. — Quoniam Fidei Vindex quadam censoria loquendi ratione terrificum somnium descripserat, quod initium fuisse maioris perfectionis Servi Dei Defensor contenderat; ideo Defensor ipse ampla oratione ostendebat, hunc modum non esse novum quo Deus ad ulteriorem perfectionem Servos suos promovet. Benedi'tus XIV Z. 3 *c. ult.* n. I et *c.* 5 *n.* 5. Quod etiam in sacris literis scriptum reperimus, Iob. vii. H legimus: *terrebis me per somnia et per visiones horrore concuties.* Et rursus xxxiii, 35. *Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, et dormiunt in lectulo, tunc aperit* (Deus) *aures virorum et erudiens eos instituit disciplina.*

Et omissis pluribus exemplis , quae leguntur in historiis Servorum Dei adducebat Defensor Virginis Abulensis S. Teresiae similem terribilem visionem. Legimus enim in eius vita ab ipsa 'Conscripta *cap.* 32 *pag.* 181: « *Cum olim orarem, continuo , etsi modum quo id contigerat ignorarem, ipsi mihi visa sum in inferno posita. Sensi ego velle Dominum, ut locum prospicerem, quem ibi mihi Daemones paraverant, atque ipsamet culpis meis merita fueram. Brevissimo id temporis spatio factum est. At quamvis ego diutius viverem, nunquam tamen ea oblivisci mihi posse videor.* » Et inferius *pag.* 184 legitur: *«.Cum Dominus hoc terribili ne mirabili visu pro sua bonitate locum ostenderit, qui in inferno paratus erat, si iter quod alias aggressa fueram adhuc prosequuta •essem, modum rationemque poenitentiam agendi assidue exquirebam... Cogitabam deserta loca, quo ab hominibus aufugere et a mundo omnino me tandem separare voluissem. Nequaquam quiescebat spiritus meus; licet huiusmodi turbatio turbulenla non esset , sed gustu suavis. Optime perspiciebatur ibi Deus esse : qui «animam meam calore auxerat, quo solidiores digereret cibos, quam quibus antea vescebar. Cogitabam saepenumero quid pro Deo ego facere possem, atque in mentem subiit, mihi maxime divinae Maiestatis vocationem sequendam esse ad hanc religiosam Societatem, huius regulis quam maxima possem perfectione observandis. »*

Hinc Orator in sua ampla disceptatione congrue observabat similitudinem effectuum in ratione vivendi, qui ex hac Abulensis Virginis prodigiosa visione prodierunt, cum iis, qui ex visu Servi Dei per somnium derivarunt; ac animad ver tebat, haud obstante terrifica S. Teresiae visione, eadem Abulensis Virgo in *Relat, eius Causae Viri. 7, et in Bulla Gregorii XV. pro eius Canonizatione,* solemniter habita est veluti immunis in integra sua vita ab omni lethali culpa. Quod adeo firmum Urbanus VIII. «deinde habuit, ut in correctione Lectionum facienda pro eius Officio, id rursus altera sanctione confirmare censuerit hisce memorandis verbis, quae, apud Philippum Lopez *in cap. ullim. Teresianae vitae,* leguntur: « S. *Teresia nunquam commisit peccatum mortale. Quare non convenit, ut quae ipsa prae humilitate sibi allribuebat, vulgo fiant occasio suspicandi eam gravium delictorum arguendam fuisse.* » Quare Defensor concludebat suspicionem, quam ingessit Fidei Vindex occasione accepta a terri-

lieo somnio, adversus anteactam Servi Dei vitam, respuendam esse; quin imo terrificum somnium divinitus immissum esse censendum, ut eiusdem memoria alacrius suae vocationi P. Generosus responderet, et arctiori dilectionis vinculo Deo iungeretur,, quemadmodum deinde evenisse constat.

Ad repellendam autem animadversionem, quam Fidei Vindex desumpsit ex *Incompetentia Fori;* causae Procurator inter caetera recolebat, id quod docuit S. Rota *decis.* 748 *n.* 1 *et seqq., par.* 18 *recen, t,* 2, scilicet: « *Episcopus milium iurisdictionis exercitium habet in aliena dioecesi,* nisi accesserit consensus dioecesani *et litigantium.))* Quapropter si Episcopi consensus, et acceptatio* litigantium in aliena dioecesi accesserint, Episcopi suam iurisdictionem extra finem quoque suae dioecesis licite et valide possunt exercere. Quae quidem dicenda sunt, si de iurisdictione contentiosa agatur, quae strepitum iudicii secumfert; non vero» si de iurisdictione voluntaria, quae cum absque forensi strepitu, exerceatur, consensu Episcopi loci nullimode indiget, Reiffen. *t.* ***f*** *tit.*- 20 *n.* 9. Porro actus processuales de quibus loquimur, potius ad iurisdictionem voluntariam , strepitu forensi submoto, quam ad contentiosam pertinere videntur.

At facta etiam hypothesi in praesentia agi de contentiosa iurisdictione stricto sensu accepta, ad eam rite exercendam in alieno territorio sufficit *tacitus* Episcopi consensus, Ferraris *Biblioth. verb. Iurisdictio n.* 5, - ibi - « Iurisdictio contentiosa . ...)) exerceri non potest extra territorium sine expresso *vel tacito » consensu* Iudicis illius loci ipsarumqne partium contendentium.» Quod confirmat Reiffen. *loc. cit.,* aliique communiter. Porro dubitari in facto non posse Defensor aiebat, eiusmodi tacitum Ordinariorum consensum intervenisse; qui cum id impedire potuissent, suo silentio consenserunt. *Regni.* 43 *in* 6.

At haec potius ad abundantiam videbantur dicta, cum expressa permissio vel licentia Ordinariorum in respectivis dioecesibus, si fides Tabellioni praestanda sit, obtenta ab eodem Tabellione diceretur. Caeterum ex huius licentiae carentia argui quidem forsan posset, in causis de quibus agimus, urbanitatis defectus, nunquam vero processus nullitas, cum non de proferenda inter partes litigantes sententia agatur; sed de actis colligendis ad normam encyclicae Epistolae diei 12 Martii 1631„

quam refert Benedictus XIV. *lib.* 2 *c.* 43; in qua nec minima quidem habetur mentio de cautela illa servanda, quam posthabitam fuisse Censor in praesenti causa arguebat.

Hisce aliisque amplissime per Defensorem disputatis propositum est resolvendum

Dubium.

« An sit signanda commissio Introductionis huius causae in •» casu et ad effectum de quo agitur.»

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio omnibus maturo examine perpensis, audito etiam voce R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum ceusuit die 28 Aprilis 1866: *affirmative,* sive *signandam esse Commissionem si SSmo placuerit.*

Facta postmodum de praemissis SSmo D. N. Pio PAPAE IX. relatione, sententiam S. Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis causae VENERABILIS Servi Dei, die 3 Maii 1866.

EX S, CONGREGATIONE IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE,

EXTRACTIONE.

***Die* 9 *Augusti* 1842,**

Quamvis huius S. Congregationis praeclarum officium veluti quiescere videatur comparatione facta cum anteactis saeculis: causae enim perpaucae quae ad eam perveniunt plerumque sunt ex Pontificia ditione; attamen non erit inopportunum, iis, qui iuri Ecclesiae cognoscendo dant operam, si quaedam acta liuius S. C adducamus, quae eiusdem disciplinam saltem com«ìemorent (1).

(i) Exemptio Personarum et rerum sacrarum a laica potestate Ecclesiae Christi Domini competit ob naturam Ecclesiae eiusdem et dignitatem. Si enim Ecclesia

Compendium faeti. Titius Pontificiae ditionis cum impar solvendo esset suis creditoribus, a militibus iuxta legis sanctionem captus est, et manibus ligatus ad carceres ducebatur. Verum contigit ut quamvis manibus victus, repente milites declinans, aufugerit sua veste discissa. Ut autem tutus esset, seques a militibus insequentibus liberaret, ad murum externum eccle-

Societas est perfecta, et multo nobilior civili societate, ratione scilicet altissimi finis ab Ecclesiae Auctore eidem praestituta ratione divinae institutionis, ratione mediorum, quibus societas gubernatur, et ad finem praestitutum dirigitur, adeo ut a civili societate tantum distet, quantum id quod supra naturam est a quolibet distat naturae opere ; consequitur, ecclesiasticas personas et res Deo sacras immunes esse debere a Principum civilium potestate. Atque ob ipsam Ecclesiae dignitatem eiusmodi immunitas seu exemptio non solum in eo gradu reperitur, quo una civilis societas ab altera eiusdem generis societate exempta dicitur; sed multo perfectiori gradu, ita ut qui in dictas personas et res pote* statem exercere contendunt, non modo iustitiae ordinem laedant; sed quid sacrilegi operentur. Vehementer illi errant, qui putant eiusmodi exemptionis iura Ecclesiae competere ex specialibus concessionibus a Principibus Christianis factis : namque ipsi penitus ignorare videntur quid sit Christi Domini Ecclesia. Fatendum quidem est Christianos Principes, pace Ecclesiae restituta, sui offici memores eiusmodi Ecclesiae dignitatem recognovisse, suisque sanctionibus confirmasse, quemadmodum Nicephorus de Constantino Magno scribit /. 7 *hist. eccl. c.* 46, scilicet *Constantinum magnum Clericos omnes Constitutione lata immunes liberosque esse permisisse, iudiciumque, et iurisdictionem in eos Episcopis, si quidem civilium iudicum cognitionem declinare vellent, mandasse.* Vtrum nihil de proprio hisce concessionibus Christiani Principes Ecclesiae» tribuerunt, quod iure ad Ecclesiam* ipsam non pertineret. Quod et ipsa- Ecclesia continua sua ratione agendi ostendit, sive in synodis coadunata, sive- extra synodos hanc sibi inditam dignitatem legibus pluribus explicans, sanctionibusque firmans. Quare synodus- Salisburgensis anno 1386, et Coloniensis anno 1530 Ecclesiae immunitatem declararunt: *rem vetustissimam, iure pariter divino et humano introductam:* et Tridentina denique synodus commemorans officium Principum Christianorum erga ecclesiasticas personas, han& immunitatem, *Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutam* dixit.

E contra, quamvis Ecclesia tempore* christianae pacis hanc sibi inditam dignitatem legibus sanctionibusque plene- explicaverit, mirum esse non debet, si; plerisque in regionibus perturbata tranquillitate et iterum in servitutem propemodum redacta Ecclesia, ad fidelium bonum aliquid ex eo, quod sibi debetur ips» remittat, aut benigna tolleranza indulgeat. Hinc est quod Romana Sedes pr* locorum et temporum adiunctis ad declinandi^ maius malum, et ad prospiciendum fidelium bono, descendat quoque ad pacta ineunda cum secularibus Principibus , vel aliquid iisdem indulgens,, vel aliquod exercitium suae potestatis, eisdem committens.

Porro a praedictis immunitatis iuribus; protuendis Romana Sedes nunquam destitit , variis quidem modis pro adiunctorum ratione. Antiquitus Resolutiones controversiarum iurisdictionalium sume-

siae S. Francisci se recepit, eidemque muro adhaerens adstantibus pluribus ius asyli conclamabat. At milites nulla habita ratione loci immunis, illinc Titium avellentes, non sine adstantium admiratione, ad carceres traxerunt. His militibus iter ad dictos carceres facientibus Pro-officialis, rei notitia habita, accitus advenit.

Curia episcopalis statim ac eiusmodi factum cognovit, sui muneris esse duxit milites eosdem iubere, Titium a vinculis solutum, pleno die, ad locum immunem a quo fuerat avulsus, restituere: quod adamussim observatum fuit.

Verum adversus id quod Curia episcopalis gesserat, non de* fuerunt reclamationes et protestationes. Gubernii enim civilis Praeses adversus eiusdem Curiae gesta apud S. C. suas querimonias detulit innixus specialibus dispositionibus, quibus Pius VII. fel. rec. prospexit rerum vicissitudini Pontificiae ditionis; ipsaque autem Curia quaesivit, an in censuras offenderint milites, et Pro-officialis eorumdem, qui deinde licet adscitus, saltem indirecte per suam adprobationem eamdem immunitatem violasse visus fuerat. Quare proposita fuit causa coram S. C. sub dubiis quae in calce describuntur.

Disceptatio syuontica.

EA QUAE FAVORE CIVILIS PRAESIDIS MILITABANT. — Praemittebatur *ex officio* ambigendum non esse iuxta ss. Canonum praescriptum, et S. G. Immunitatis disciplinam, inquisitos qui e manibus militum evadunt, quamvis iam a militibus ligati fuerint, ad locum immunem confugientes, etiam non sacrum, iure asyli gaudere.

Verum Pius VII. fe. re. variis Literis circularibus per Secretariam Status, nominatim vero 8 Iulii 1801, et successive die

bantur aut ab audientia SSmi, aut a Congregationibus peculiaribus tum Cardinalium,cum Praesulum ab eodem summo Pontifice deputatis. In regesto S. C. Immunitatis nonnulla habentur exempla a P. F. Angelo Audam a Lantusca Ordinis Min. Reform, anno 1666 collecta, qui a Secretis erat S. Congregationis. Reperiuntur nempe exempla ab anno 1340 usque ad annum 1626, quo tempore erecta fuit ab Urbano VIII. plena Congregatio Immunitatis Ecclesiasticae Eoìorum Cardinalium, et RR. Praesulum , quemadmodum usque adhuc existit. Hisce tamen temporibus plures immunitatis ecclesiasticae quaestiones vel per concordata praecavetur, vel si quae exurgant, per Secretariam Status pro locorum ratione dirimi solent.

12 Ianuarii 1802, et die 17 Ianuarii 1818 transmissis, ac variis decretis S. Congregationis Immunitatis exsecutioni mandatis, maxime vero Uteris circularibus Secretariae Status ad militares missis die 17 Ianuarii 1818 , decrevit « ne ille asyli beneficio frueretur, quem a militibus comprehensum, et e manibus eorumdem evadentem, milites iidem illico insequantur usque ad ecclesias, seu ad scalas, atria, porticus, aliaque externa loca ecclesiarum, monasteriorum, conventuum, aliorumque locorum immunitate fruentium; ita ut milites iidem absque alia formalitate comprehendere eumdem possint atque ad carceres ducere.» Mandavit praeterea idem Pontifex, ut de re gesta certiorem iidem milites facerent Ordinarium loci in quo extractio facta est, et Romae Emum Cardinalem Vicarium. Atque ideo concludebatur, illos tantum privilegio asyli gaudere, qui evadentes e militum manibus confugiunt intra ecclesias. Quare iuxta hanc edictalem legem, iuste Titium videri a muro ecclesiae avulsum, neque potuisse Curiam episcopalem iubere Titium libere eidem immuni loco restitui; neque milites illos in censuras offendisse.

EA QUAE ADDUCEBANTUR FAVORE CURIAE EPISCOPALIS. — E contra vero favore rei gestae per Curiam episcopalem, observabatur : laudatas edictales leges emissas fuisse a R. P. Pio VII. vicissitudine temporum, ita ut pace et tranquillitate restituta, Gregorius XVI. San. mem. tunc temporis feliciter regnans, in sua dispositione, cui titulus : *Regolamento organico,* diei 5 Novembris 1881 *art.* 602, in Appendice, revocare visus sit, saltem in pluribus, leges ecclesiasticae immunitatis in pristinum statum.

Maxime cum, ut Curia ipsa perpendebat, literae praefatae Pii VII. non de captis ex causa civili, sed ex causa criminali loqui videbantur.

Quare cessante fine dictae peculiaris dispositionis , ius commune subintrare videbatur, iuxta quod iam alibi a S. C- resolutum fuerat: confugientes ad locum immunem, quamvis ligatos ferreis catenis, gaudere debere immunitate, et restituendos esse loco immuni. Ita in *Beneventana Immunitatis* 6 Maii 1653 legitur: «S. *C censuit Oratores gaudere debere privilegio immu-*
» *nitatis ecclesiasticae, etiamsi ligati catenis et ferris ad locum*
v *immunem confugerint.* » Item in *Ragusina Vicarii Generalis super extractione,* in qua agebatur de reo qui effugerat ligatus e

similibus Birruariorum ad ecclesiam, S. Congregatio respondit: *«/audere; et esse restituendum loco immuni.* Quibus consonant Auctores, Riccius *verb. Con fughi, n.* 26 27. Aggevedus /.1 *tit.* 2 *leg.* 2 *n.* 12, Farinaccius *de Immunit.* c. 15 *n.* 203 , Raynaldus *oper. poslhum. vot.* 160. Bassani *Theroric. Prax. criminalis I.* 3 *c.* 1 *nn.* 155 *et seq.*

His itaque utrinque animadversis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An in casu extractionis (Titii) a muro externo ecclesiae ») S. Francisci sit laesa necne immunitas.

» Et quatenus *affirmative.*

II. »An implicentur censuris, et inquietandi tam milites « (vulgo *carabinieri)* et alii qui extractionem operabantur, quam •» Pro-officialis absens, qui eam aliquali modo ratam habuit, » non tamquam suo nomine factam, sed quasi passive scilicet D comitando (Titium) iam vinctum ad carceres. »

RESOLUTIO.—S. Congregatio re cognita die 9 Augusti 1842 respondere censuit:

Ad I. *Affirmative, et ad R. P. D. Secretarium cum SSmo* > *ud hoc, ut exquiratur Oraculum SSmi super modis, similibus in casibus, in posterum servandis.*

Ad 11. *Affirmative, et consulant conscientiae suae, saltem ad cautelam.*

In audientia habita a R. P. I). Secretario die 18 Augusti, SSmus resolutiones praefatas adprobavit, ac simul declaravit et servari mandavit ut infra:

L *Si agatur de captis pro causa criminali, vel quasi-crimi- confugienlibus potestatem cuiusvis legitimi exsecutoris, atque continue insecutis, quique se recipiunt in externo immuni, fore servandum quod de mandato Pii VII. san. mem. die* 5 *Iulii* 1801, 12 *Ianuarii* 1802, 17 *Ianuarii* 1818 *per Emum Secretarium Status statutum erat, certiorato dein quolibet in casu Emo Vicario in Urbe, et extra Urbem Ordinariis* (1).

(i) **Quid liis literis circularibus contineatur dictum est supra p.** 48.

II. *Si de iis res erit, qui confugio utuntur in quovis immuni sacro, intrinsecus vel extrinsecus (i), vel non sacro* (2) *fore attendendum, quod in Constitutionibus Apostolicis, et nuper in articulo* 602 *in Appendice, et alibi in lege edictali* 5 *Novembris* 1831 (3).

III. *In abutentes vero confugio, observanda quae iam sunt definita in Encyclicis, quae quotannis ad Ordinarios mittuntur ; et praecipue Encyclicam diei* 30 *Iulii* 1831 (4) *firmo tamen, quod iam Pius VIII. San. mem.* 1829 *ad Sanctae Agnetis in foro Ago-*

(1) Intra distantiam canonicam vel parvis columnis limitatam.

(2) Loca immunia et sacra donec canonice in profanos usus non sint conversa, illa sunt quae ritu et speciali benedictione publico Dei cultui perpetuo dicantur, vel fidelium cineribus condendis sacrantur. Caetera alia loca pia ut xenodochia , nosocomio , seminaria , et coenobia, palatium Episcopi, et quae auctoritate Ecclesiae erecta aut fundata, immunia quidem sunt, et fruuntur privilegiis Immunitatis; attamen non sunt strictu sensu sacra. Immunia sunt et sodalitia, aedes canonicales, domus Parochi iuris paroeciae adhaerens ecclesiae et a Parocho inhabitata, vel etsi domus isthaec parochialis haud longe distet ab ecclesia. In monasteriis unde Regulares fuerunt in gallica invasione exturbati suspensa declarata est ecclesiastica immunitas, quamvis monasteria servarent antiquam formam, quae tamen a laicis habitabantur, vel ad laicum usum redacti; fuerant. Ex decreto Leonis XII. diei 28 Aprilis 1824.

(3) L. VIII. huius edictalis legis vulgo *Regolamento Organico tit. II.* §. 602 legitur, « neminem cuiuscumque conditionis extrahi posse a loco immuni, nisi in casibus et formis statutis a SS. Canonibus, et Apostolicis Constitutionibus.» Ac insuper praescribitur modus, quo se gerere debent Ordinarii Pontificiae ditionis cum de immunitate sive locorum sive Personarum agitur.

(4) His Uteris encyclicis diei 30 Iulii 1831 ad Ordinarios Pontificiae ditionis missis, statuitur I. Quod Ordinarii locorum absque speciali delegatione possint libere uti in iudicio actis assumptis ii» locis sacris et immuuibus. II. Quod latrones, aliique facinorosi, qui in ecclesiis locisque immunibus, in actu delinquendi deprehenduntur, aut constet in iisden* locis deliquisse, possint illinc libere extrahi, et iudicari, quin eisdem loci immunitas suffragetur. Ut Ordinarii autem) uniformiter se gerant in his casibus indicatis statuitur. III. quod Curia ecclesiastica admouita quempiam facinorosus in dictis locis deprehensum esse, mittat milites, Cancellarium, et Clericum coelibem ad reum capiendum, et corpus delicti assumendum, atque inde adversus eum procedat, tamquam si in profano-loco captus esset. IV. Quod si ab ecclesiae Custode aliisve milites immediate vocentur, ut saepe contingit, licite milites accurrere possint, reosque custodire,, non tamen eosdem extrahere, donec Curia admonita, procedat ut in n. III. Quod si rei ut supra deprehensi sub custodia militum servari in dictis locis non possint, facultas ipsis militibus fit reos alibi transferendi, donec ad Curiam ecclesiasticam deferantur, quae, reis receptis, ad ecclesiam iterum mittet, ut observetur, quod praescriptum est n. III.

Haec sunt, quae in his Uteris italice conscriptis continentur.

noli, et in Uteris 11 *Maii* 1889 *ab Emo a Secretis Status pro negotiis internis auctoritate SSmi emissis in vagos et in otiosos, qui pro excessibus et profanationibus in externo immuni ad ecclesias Urbis patratis ab iisdem vagis, illico a quocumque legitimo Exsecutore, absque ulla formalitate extrahi, et trahi possunt ad carceres gubernii* **(1).**

Ex us COLLIGES:

I. Firmo manente ecclesiastico iure asyli iuxta ss. Canones, et Pontificias Constitutiones, Apostolicam Sedem pro locorum et circumstantiarum adiunctis, ne in grave damnum cedat publici ordinis, illud ius oeconomice temperare.

II. Ius asyli favore fugientis e militum manibus ad locum immunem non cessare; quamvis a militibus ligatus in possessionem eorumdem iam devenisse videatur. Sacrum enim ius asyli maxime favorabile est.

III. Quare officium est ecclesiastici Iudicis, ut quoties localem immunitatem violatam esse sibi constet, eam iuris remediis redintegrare faciat, per restitutionem Capti in locum immunem a quo fuerat extractus.

IV. Violantes autem ius immunitatis, ipso facto in censuras incurrere.

V In praesenti autem casu Titium iure asyli destitutum non fuisse; literae enim de quibus supra mentio facta est, de captis ex causa criminali loquuntur, non vero de captis ex causa civili.

(i) Ob graves pròfanationes, quae patrabantur ab otiosis et vagis in scalis et limine ecclesiarum Urbis cum strepitibus, iocis, actisque immoralibus, reclamantibus Praesidibus, et Superioribus Ordinum religiosorum , Urbis Gubernator obtinuit a Gregorio XVI. fel. rec. ut milites Urbis comprehendere, et extrahere possent a dictis scalis, et omnium ecclesiarum Urbis liminibus, sine alia formalitate, et interpellatione Romani Vicariatus, reos omnes dictae profanationis,, eosque punire summaria inquisitione etc. a dicto Urbis Gubernatore, Id iam praescripserat pro ecclesia S. Agnetis in foro agonali Pius VIII. anno 1829.

APPENDIX L

CIRCA MATRIMONII CONVALIDATIONEM, QUOD EX ALIQUO CANONICO IMPEDIMENTO NULLUM FUIT, QUAMVIS COllAM PAllOCHO ET TESTIBUS CELEBRATUM SIT.

Generatim cum agitur de convalidatione matrimonii, quod licet celebratum fuerit iuxta Tridentinam formam, tamen*, ob aliquod impedimentum sit nullum, Auctores distinguunt inter occultum et manifestum impedimentum, atque inde docent, si impedimentum sit publicum , noo posse matrimonium convalidari, impedimento submoto, nisi iterum contrahatur coram Parocho et testibus: si vero sit occultum docent, posse, impedimento sublato, convalidari per mutuum consensum secrete emissum, quin scilicet solemnitates a Tridentino praescriptae, denuo observentur.

Expedit eiusmodi distinctionis originem detegere, ut eius valor aestimari possit.

Martinus Navarrus, qui per tot annos operam suam praestitit Sacro Poenitentiariae tribunali, quique non multo post Tridentinum Concilium scripsit, *in Lib.* 4 *Consil,* 14 *de Sponsalibus,* enarrat, quod « in Signatura S. Poenitentiariae propositae fuerunt variae supplicationes, in quibus petebatur dispensatio pro coniugibus, qui matrimonium contraxerunt, et postea detecto aliquo impedimento praesertim affinitatis ex actu fornicario provenientis, supplieabant, ut secum dispensantur.

» Antiquitus quidem *(intellige ante Tridentinum Concilium)* Sacrae Poenitentiariae stylus erat, ut cum talibus dispensantur, *ut in, contracto matrimonio remanere possent etc.* Sed dubitatum est, an esset necessarium ut de novo conse/itirent. Et stante decreto Sacri Concilii Trid. videretur etiam necessarium, quod saltem coram Parocho et duobus testibus praestaretur hic novus consensus.» Post longam disputationem fere per tres Signaturas super ea quaestione habitas fuit conclusum: « *ut in futurum mutaretur stylus in huiusmodi dispensationibus, et adderetur haec clausula:* de novo praestito consensu.»

» Sed magna dubitatio orta fuit
» (idem Auctor prosequitur),an pro-
» pter decretum Concilii Tridentini
» de cland. in hoc secundo conseu-
» su praestando necesse sit saltem
» adesse Parochum cum duobus vel
» tribus testibus: et propter illa ver-
» ba decreti : *et huiusmodi contractus*
» irritos ac nullos decernit, visum
» fuit esse necessariam praesentiam
» Parochi et testium: sed quia hoc
» in multis casibus non posset fieri

» sine periculo maximi scandali, - et in concilio non videtur fuisse » cogitatum de huiusmodi casibus » occultis, dictum fuit Illilio Car- » dinali Poenitentiario, ut nomine » totius Signaturae exponeret SSmo, *» videri aequissimum ut per aliquam, » Constitutionem declararetur, quando » praecesserunt denunciationes, vel » alias servata est forma Concilii, in » hoc secundo consensu sufficere, ut » secreto praestetur...* Et ita Illmus » Cardinalis Alciatus Propoeniten- » tiarius retulit in Signatura : *pia- » cuisse SSmo, ut in huiusmodi imps- » dimentis occultis, quando matrimo- <» nium est renovandum, possit hoc » fieri inter ipsos Coniuges secrele, » et quod non sit necessaria praesen- » tra Parochi vel testium: et ita ex- » primenda est clausula:* et secrete » inter se contrahere.»

Idem Navarrus in *Enchiridion* sive *Manuale Confessariorum de VII. Sacrament. cap.* 22 *num.* 70, *vers. Advertendum,* scribit: «Sed (quod » valde notandum est) fel. record. » Pius V. declaravit, non esse illos » necessarios *(Parochum nempe et » testes)* in contrahendo denuo ma- • trimonio ab iis, qui illud publice » cum denunciatione sufficiente con- » traxerunt, sed propter aliquod » impedimentum occultum, est nul- • lum, quo sublato, oportet ut de- » nuo contrahatur, quoad fieri pos- » sit, sine ulla Parochi et testium • praesentia , autequam ad Urbem » veniremus respondimus. Qua de- » duratione S. Poenitentiariae Prae- » torium fraequenter utitur.» Plu- ries Navarrus in suis operibus men- tionem facit de hac Pii V. declaratio- ne, *quo iure de consensu Papae utitur Sacra eius Poenitentiaria,* ut idem Auctor repetit *lib.* 4 *consil, de co- gnatione spirit. consil.* 4, et alibi.

Eamdem distinctionem tradidis- se S. Congregationem Concilii, do- cet Pignatellius *tom.* 8 *consult.* 27 *num.* 4 *et* 5 - ibi - « Itaque si res » est publica, debent rursus cum » trina denunciatione et omnibus » aliis solemnitatibus contrahere, ut *» per Rot. in Hispalensi matrimonii* » 26 Februarii 1609, et rescripsit » S Congregatio Concilii Henrico »> Cardinali Legato Portugalliae an. » 1579. Et ita quoque censuit S.Con- » gregatio Concilii die 25 Maii 1657 » nempe: S. *Congr. Em S.R.E.Card. » Concilii Trid. Interpr. censuit huius- » modi matrimonia esse nulla , sed » praevia dispensatione Sedis Aposto- y licae renovanda servata forma Con- «> cilii Tridentini, dummodo impedi- » menta sitit publica.»*

Verum, oriri videtur difficultas circa impedimentum Vis et Metus ex doctrina S. Congregationis Con- cilii Tridentini interpretum. Etenim ex declarationibus huius S. Con- gregationis, eiusmodi vis et metus impedimentum ab exposito generali principio videretur exceptum. Nam- que S. C. C. non quidem una alte- raque vice, sed pluries respondisse comperimus, absoluta quadam ra- tione, nulla distinctione facta inter occultum , et manifestum impedi-

mentum: matrimonium vi et metu initum iterum contrahendum esse coram Parocho et testibus. Ita *in Hispalen.* 20 Iunii 1609 *lib.* 9 *Decr. f61.* 58 *a tergo* legitur : « *Sac. Cong. Card. Trid. Interpretum saepius respondit, hodie post Tridentinum Concilium matrimonium metu contractum, et purgato metu per cohabitationem, cum carnali copula aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur adhibita rursus eiusdem Concilii forma.* »

Item in *Constantinopolitana* diei 16 Decembris 1634 *lib.* 15 *Decret, fol.* 140 a *tergo* legitur: « *S. C. censuit ex Ritualis Romani de Sacramento Matrimonii formam, decreti S. Concilii Tridentini continentis observantia, per tot annos in singulis Parochiis civitatis praedictae uti decreti eiusdem. Sacr. Concilii, seu Summi Pontificis Romani, induci praesumptionem publicationis ipsius, ila ut in celebratione matrimoniorum servanda sit forma ab eodem S. Concilio praescripta, ac propterea matrimonium contractum inter Franciscanum et Pellegrinum ab initio invalidum ratione metus, non fuisse, purgato metu ex cohabitatione et copula , revalidalum , sed requiri ut denuo contrahant adhibita eiusdem Ritualis j et Concilii forma.* »

Eiusmodi autem resolutiones , quae respiciunt matrimonium ex vi ct metu initum , illustravit S. Rota, quae eamdem sententiam secuta iugiter est, m *decis.* 395 *coram Ludovis.* In hac causa S. Rotae proposita , buaestio fiebat: an constaret de purgatione metus ex longa cohabitatione et multis actibus, quos vir dicebat fuisse spontaneos, et non solum libero, sed etiam laeto animo factos. Haec quaestio resoluta fuit non quidem ex investigatione factorum , sed ex iuris principio iuxta hanc expositam doctrinam S. CC., ad quam confirmandam, sequentes rationes adducebantur, suis roboratae momentis. Quotiescumque matrimonium non tenet ex aliquo impedimento, quod ab initio viget, si postea cesset, opus est ut omnia ex integro ponantur, quae ad constituendum matrimonium sunt necessaria. Etenim quae sunt deforma debent intervenire, quo actus producitur in esse. Ex ratifieatione autem reconvalesceret matrimonium, ut ex nunc, non ut ex tunc. In ratifieatione enim actus qui nullus fuerat, consideratur tempus ratificationis ; cum ratificatio actus invalidi non aliud sit quam novus actus : ideo omnis forma et solemnitas quae debet intervenire in actu ut -valeat, intervenire debet in dicta ratifieatione. Neque potest iuvare fictio , aut retrotractio, cum haec locum non habeat quando actus est omnino nullus. Ubi autem consensus requiritur certo tempore prout requiritur ex dispositione Concilii, nempe eo tempore quo Parochus cum testibus est praesens, nunquam retrotrahitur.

Eiusmodi graves S. Rotae rationes , si in caeteris impedimentis valorem habent, maxime locum sibi

vindicant cura agitur de matrimonio «ullo ex vi et metu de quo veriori ratione dicitur: *Per ratificationem. <convalescerel matrimonium ut ex nunc non ut ex tunc,* cum ipse primus -consensus ex se, non ex extrinseco impedimento fuit invalidus. Quare persona coacta deinde libere consentiens tunc ex parte sua matrimonium in suo esse poneret: quod tamen irritum remanet ex defectu formae , seu ob impedimentum quod «dicitur clandestinitatis.

Haec autem, cum de matrimonio contracto ex vi et metu agitur, valorem etiam augere videntur inspecta mente Tridentinae Synodi, quae «odio propemodum prosequuta est matrimonia coacta, ita ut cum de muliere rapta ageretur , inhibuit omnino posse matrimonium consistere inter Raptam et Raptorem , quousque Rapta, velit aut nolit, maneat in potestate Raptoris.

Verum difficultas cessat si observetur ante Concilium omnia coacta matrimonia potuisse ex se convalidari; ac proinde S. Congregationem contrarium post Concil, saepius declarare debuisse, quin sollicita esset de iis, quae in forum externum deduci non possunt. Haec enim provincia spectat ad forum dumtaxat conscientiae, cui prospicitur per •S. Poenitentiariam. Jd autem posse colligi videtur, tum ex declaratione supra adducta, quam refert Pignatellius in qua simpliciter dicitur: *dummodo impedimenta sint publica;* tum ex eo quod legitur in Causa Totetana agitata in S. Rota die 15 Decembris 1589 *coram Seraphin. de" cis.* 900; ibi enim habetur : « Retuli » RR. PP. DD. meis me consulisse » IUnlum et Rmum Dominum Card. » Carafam super allegata decisione » Sacrae Congregationis Concilii in » materia matrimonii per vim et me» tum contracti, qui llliìius Domi» nus meus ostendit mihi librum » suum praesente R. P. D. meo Co» mitulo , in quo scriptum erat in » hanc sententiam : *Quaesitum fuit » quid servandum in iis qui per vim, » et metum adhibitis omnibus solemni» talibus a sacro concilio Tridentino » sess.* 24 *c. 1 de Reform, contraxe» runt. Congregatio respondit : si hu» iusmodi impedimentum sit occultum, » et partes postea in matrimonio sic » contracto permanere libere consen*ta *tiunt, consuevisse Papam ex stylo » Poenitentiariae, quamvis matrimo» monium sit nullum ratione etiam, oc» culti impedimenti, dispensare, ita ut » de novo possint inter se contrahere » non adhibitis, seu repetitis solemni» talibus à Concilio requisitis; si vero » impedimentum sit manifestum, ite» rum contrahendum est repetitis omni» bus solemnitatibus in primo contra» ctu adhibitis, i*

Et sane-stylus est S. Poenitentiariae, ut quando agitur de matrimonio nulliter contracto ob aliquod occultum impedimentum, dum ipsa cum Oratoribus super impedimento dispensat, adiungat etiam clausulam, qua Oratores possint *inter se de novo secrete ad evitanda scandala con-*

trahere. Hanc facultatem habent etiam Episcopi illi, quibus delegatio pro circumstantiarum ratione a S. Sede committitur dispensandi super quibusdam matrimonii impedimentis, etiamsi de hac facultate in literis delegationis mentio non fiat; ea enim subintelligitur, eo ipso quo conceditur facultas dispensandi super occultis impedimentis.

Verum quando agitur de matrimonio contracto ex vi et metu, cum hoc impedimentum auferatur, non quidem dispensatione, sed simplici voluntate partis coactae, quaestio oriri potest, an possint contrahentes secrete renovare consensum ita, ut matrimonium exurgat sine ulla Apostolica dispensatione. Quaestio haec in alteram videtur quaestionem recidere, scilicet, an praxis S. Poenitentiariae quando in dicta formula facultatem facit Oratoribus *secrete* de novo contrahendi post dispensationem super occulto impedimento, sit simplex iuris declaratio, vel potius alia vera dispensatio super o serrantia formae Tridentinae. Si qu estio iudicanda esset iuxta senten iam Navarri, dicenda foret simplex, iuris declaratio, non autem dispensatio: namque Navarrus ut supra retulimus, indicans S. Pii V. Oraculum illud appellat *declarationem,* quae eo principio innititur, quod? neque videtur S. Tridentina Synodus in dicto decreto de his occulti impedimenti casibus cogitasse. Sanchez: pariter contendit *lib.* 2 *de essentia et consensu Matrimonii disp.* 37, eiusmodi casus non comprehendi sub ratione finali Tridentini decreti ,. proindeque praescriptae dispositioni non subiici : et *num.* 7 scribit: « In-
» fertur non audiendum esse Petrum
» deLadpsm. *de matr. quaest.* 45 *a* 5
» *dub. penult.* qui ait dicta in tertia:
» sententia vera esse propter de-
» clara ti o n em Pi i V., ea enim seclusa,
» et stando in contextu Concilii Tri-
» dentini, quamvis probabile esset,
» matrimonium nullum ob impedi-
» mentum occultum posse clamce-
» lebrari : probabilius tamen esse-
» oppositum: unde censet Pium V.
» non declarasse Concilium, sed de
» illo dispensasse. Sed dicendum est
•> stando in ipso decreto Concilii ,
» multo probabilius esse posse clam.
» absque Parocho et testibus cele-
» brari : ita et Pium V. minime di-
» spensasse, sed declarasse Conci-
» Mum.» Haec Navarri et Sanchez: sententia ab Auctoribus videtur communiter recepta, de qua legi possunt quae scripsit Benedictus XIV. *in Instilut.* 87 *num.* 62 *et seqq.*

APPENDIX II.

DECRETUM SACRAE CONGREGATIONIS INDULGENTIIS ET SACRIS RELIQUIIS PRAEPOSITAE, DIEI 8 IANUARII 1861, QUO PRAESCRIBITUR MODUS CANONICE AGGREGANDI SEU INSTITUENDI CONFRATERNITATES AB IIS SERVANDUS, QUI HAC POTESTATE AGGREGANDI. SEU ERIGENDI GAUDENT.

« Ad Religionis et pietatis incrementum, ad mutuam charitatem inflammandam Apostolica Sedes pluribus sive Ordinibus Regularibus, Religionibus et Institutis sive etiam Christifidelium Saecularium Archiconfraternitati bus et Congregationibus potestatem fecit alias Confraternitates et Congregationes erigendi et instituendi, nec non etiam sibi aggregandi ac iudulgentias, Privilegia, aliasque spirituales gratias sibi concessas communicandi.

» Cum autem nulla certa forma vel ratio praescripta fuisset quae in huiusmodi institutionibus et erectionibus vel aggregationibus et communicationibus faciendis servari deberet, Clemens VIII. fel. rec. Constitutione quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica* data sub die 7 Decembris 160i modum praecepit servandum in his peragendis formulam quoque praescribendo, atque inter alia statuit Indulgentias: privilegia etc. tantummodo communicari posse, quae nominatim et expresse Societati aggreganti concessa sunt, non tamen ea quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa simt, et quidem communicari non sub generali verborum forma vel ad instar, sed expresse et in specie atque per dictam formulam ab ipso Pontifice approbatam^ quae quidem omnia in eadem Constitutione reperiuntur praecepta sub nullitatis poena, ut clarius patet ev laudata Constitutione.

» Compertum tamen est progressu temporis non ab omnibusadhibitam fuisse hanc formulam, neque privilegia neque Indulgentias-adamussim communicatas quemadmodum Pontifex praeceperat.

» Cum insuper statutum fuisset in eadem Constitutione ut institutiones et aggregationes gratis omnino fierent, et tantummodo per Decretum Congregationis Cardinalium sub Paulo V. Indulgentiarum moderationi praepositae, datum die 6 Martii 1608, titulo expensarum permissum fuisset instituentihus, vel aggregantibus scutatum unum aureum recipere, et quidem sub poena, inter caetera, nullitatis prout clarius innotescit ex eodem Decreto ; attamen cognitum similiter est neque dispositionem hanc ab omnibus servatam fuisse.

Ad dubitationem itaque omnem tollendam super validitate harum institutionum seu aggregationum Sanctitas Sua benigne sanavit institu-

liones et aggregationes hucusque factas, in quibus aliquid ex praedictis desideretur, quod perficiendum erat per Constitutionem enunciatam aut Decretum superius expressum, Tel contra in iisdem praescripta peractum sit, simulque mandavit ut in posterum formula in huiusmodi electionibus seu institutionibus seu aggregationibus adhibenda concordet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII. cuius Constitutionis ad minus praecipua capita in eadem formula inserantur cum variationibus ab Eadem Sanctitate Sua adprobatis, cuius quidem formulae exemplar iis praesertim quorum interest communicandum in Actis Sac. Congregationis servari praecepit, et ut Societati aggregatae ab Ordine, Instituto, seu Archiconfraternitate aggregante tradi possit separatim et distincte a formula ac etiam typis impressus Elenchus Indulgentiarum et Privilegiorum ab Ordinario tamen loci recognitus; cuius impressio in hunc tantum finem permittitur, etiamsi Indulgentiarum concessiones sint depromptae ex pluribus Brevibus etc. non obstante Decreto S. C. Indicis, et altero Decreto Sac. Congregationis Indulgentiarum explicante et moderante praedictum Decretum Indicis diei 22 Ianuarii 1858.

..Atque hoc Decretum absque ulla Brevis expeditione publicari iussit, derogando cuicumque Apostolicae dispositioni in contrarium etiam specialis memoriae dignae.»

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congreg. Indulg. et SS. Reliquiarum die 8 Ianuarii 1861.

F. Card. Asquinus Praef.

A. Colombo Secret.

FORMULAE A SACRA CONGREGATIONE PR\ESCRIPTAE IUXTA DECRETUM DIEI 8 IANUARII 1861.

Formula servanda saltem in substantialibus (1) *a Superioribus Regularibus Religionum etc in erigendis seu instituendis Confraternitatibus ac communicandis Indulgentiis et gratiis spiritualibus quas a Sede Apostolica obtinuerunt.*

« N. N. Ordinis N. Generalis (2). Religio nostra cum inter alia privilegia quibus a Sede Apostolica decorata est facultatem habeat saecularium Confraternitates sub invocatione N. erigendi, eisque spirituales gratias, privilegia et Indulgentias communicandi, in huius-

(1) «Dicitur *in substantialibus* quatenus non sit vetitum addere vel immutare aliqua in eadem, quae substantiam non afficiant. Integrum etiam erit unicuique Ordini Religioni, Instituto sive originem sive naturam sive praestantiam proprii Ordinis indicare et alia quae solent in huiusmodi Litteris exponi.»

(2) «Hic exprimitur persona vel qui auctoritate pollet iuxta facultates et privilegia uniuscuiusque Ordinis etc.»

modi Confraternitatibus instituendis, si ad Christifidelium salutem promovendam expediri animadvertit, liberalem se praebere consuevit. Nos igitur, qui generalem totius Ordinis nostri curam gerimus, sperantes fore ait ex hac spiritualium gratiarum participatione Christifideles ad devotionem et pietatem magis excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa Confraternitatem N. in Ecclesia N. Loci N. Dieocesi N. de consensu loci Ordinarii qui eiusdem Confraternitatis institutum, pietatem ac religionem Litteris patentibus nobis nuper exhibitis commendavit, dummodo *huic* alia similis in ipso vel in alio ad ad tria milliaria propinquo loco hactenus erecta non fuerit, per praesentes nostras Litteras erigimus et instituimus, illisque et pro tempore existentibus utriusque Sexus Confratribus elargimur et communicamus Indulgentias, privilegia et speciales gratias singillatim descriptas in Elencho, quem rite per Ordinarium loci recognitum una cum his Litteris tradimus diligenter asservandam(l). Quibus omnibus Indulgentiis et spiritualibus gratiis descriptis Confraternitatem ipsam nunc erectam eiusque Confratres potiri et gaudere posse decernimus iuxta ea quae fel. me. Clemens Papa VIII. in Constitutione quae incipit; *Quaecumque* data sub die 7 Decemb. 1604 praescripsit, et variationes a SSmo D. N. Pio PP. IX. approbatas, ut ex Decreto S.Congregationis Indulgentiarum diei 8 Januarii 1861, et cuius Constitutionis praecipua Capita cum dictis variationibus subiiciuntur (2): scilicet. 1. Quod unica tantum Confraternitas eiusdem Instituti et generis institui et aggregari possit in Ecclesiis tam Saecularium quam Regularium. 2. Quod id fiat de Consensu Ordinarii et cum Litteris Testimonialibus eiusdem. 3.Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur Privilegia et Indulgentiae Ordini instituent et aggreganti nominatim concessa , non vero ea quibus per privilegium comraunica-

(1) « Potest etiam inseri si Iubet Elenchus, in utroque tamen casu elenchus, iam ab Ordinario loci recognitus, continere debet distincte et expresse non sub generalibus verbis Indulgentias gratias etc. quibus Societas aggregane fruitur directe, non quibus per communicationem et extensionem gaudet Ad tollendam tamen omnem dubitationem dum per *Ordinarium, loci* dicitur recognosci debere Elenchum, intelligitur ut si semel ab Ordinario loci ubi Auctoritas praecipua Ordinis, Instituti, Religionis etc. quae habet facultatem erigendi etc. moratur, recognitus fuerit Elenchus, non indiget nova recognitione, et tradi possit Societati erigendae etc. etiam alibi cum necessarium sit, ut semper idem sit Elenchus, salvis additionibus quae ex novis concessionibus pariter recognoscendis fieri contingat.»

(2) « Si Iubet inseri etiam potest integra Constitutio addendo in fine variationes a SS. D. N. approbatas. Caeterum vel integra Constitutio, vel saltem indicatio eorum capitum quae substantiam continent cum variationibus praedictis omnino inserenda est.»

tionis gaudet. 4. Quod Statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario Joei et ab eodem corrigi possint. 5. Quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dumtaxat promulgentur. 6. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget iuxta formam per Ordinarium praescribendam. 7. Quod Litterae erectionis et aggregationis nonnisi gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a spónte dantibus sub praetextu quoque mere eleemosynae accepta, expediri et concedi, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura, vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera, Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem quae non excedat summam scutorum sex monetae romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum vulgo /rarae* triginta pro singulas institutione vel aggregatione vel confirmatione recipere liceat. 8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes Privilegiorum, et Indulgentiarum: nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis Officiorum quae obtinent, atque inhabilitatis ad illa et alia iu posterum obtinenda poenam eo ipso incurrant, quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit o

»In quorum testimonium has Litteras fieri et per Nostrum Secretarium subscribi et publicari mandavimus sigilloque officii nostri muniri. Datum etc.»

Formula servanda in substantialibus ab Àrchiconfraternitalìbus et Congreganionibus pro aggregatione Confraternitatum et Congregationum.

«Dilectis nobis in Christo Confratribus Societatis N. in Ecclesia N. Auctoritate N. canonice erectae Salutem in Domino sempiternam.

» Nos qui iuxta Officii nostri debitum Fidelium salutem, pietatisque ac Religionis progressum procurare debemus, libenter nostrae Archiconfraternitati alias eiusdem Instituti Confraternitates adiungimus et aggregantis, illisque sic aggregatis Indulgentias, facultates et Indulta iuxta facultatem nobis a Summis Pontificibus concessam impertimur. Qua de re cura a D. N. eiusdem Confraternitatis Procurator aggregationem huiusmodi et Indulgentiarum communicationem enixe postulaverit, Nos Protector, Prior, et Custodes praedicti totam ipsam Archiconfraternitatem repraesentantes Constitutioni inhaerentes fel. rec. Clementis VIII. incipien. *Quaecumque* die 7 Decembris 1604 super huiusmodi

aggregationibus et coelestis Ecclesiae Thesauri communicatione editae una cum variationibus adprobatis a SSmo D. I N . Pio PP. IX. per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum die 8 Ianuarii 1861, his nostris Litteris solo Dei amore ac pietatis Religionisque Christianae au#endae zelo ducti, Confraternitatem praedictam canonice ut superius erectam attentis Episcopi seu Ordinarii loci consensu ac Litteris Testimonialibus quibus eius institutum, pietas ac religio commendatur, nostrae Archiconfraternitati (dummodo per nos similis gratia prius alteri in -dicto loco N. concessa et tempore huiusmodi concessionis alteri Archiconfraternitati aggregata non fuerit) iuxta facultatem Apostolicam -nobis concessam adiungimus et agigregamus, atque illi eiusque Confratribus Indulgentias, et spirituales gratias nostrae Archiconfraternitati Litteris Pontificiis nominatim expresse et praecise concessas largimur «t communicamus iuxta tenorem descriptionis contentae in Elencho •quem rite recognitum per Ordinarium loci una cum his litteris separatim tradimus (1).

Quibus omnibus Indulgentiis et gratiis spiritualibus inibi singillatim descriptis praedicta Confraternitas «uti, potiri, et gaudere possit iuxta «ea quae san. mem. Clemens VIII. in supra citata Constitutione praescripsit, et variationes a SS. D. N. Pio PP. IX. adprobatas cuius quidem Constitutionis quoad substantiam tenor una cum dictis variationibus ita se habet scilicet. 1. Quod unica tantum Confraternitas eiusdem instituti et generis institui et aggregari possit in Ecclesiis tam Saecularium quam Regularium. 2. Quod id fiat de consensu Ordinarii, et cum Litteris testimonialibus eiusdem. 3. Quod Confraternitati institutae vel aggregatae expresse et in specie communicentur Privilegia et Indulgentiae Archiconfraternitati instituent vel aggreganti nominatim concessae, non vero ea quibus per privilegium communicationis gaudet. 4. Quod statuta Confraternitatum examinentur et approbentur ab Ordinario loci et ab eodem corrigi possint. 5. Quod gratiae et Indulgentiae Confraternitati communicatae praevia cognitione Ordinarii dnmtaxat promulgentur. 6. Quod Confraternitas eleemosynas excipiat et eroget iuxta formam per Ordinarium praescribendam. 7. Quod Litterae erectionis et aggregationis gratis omnino ac nulla prorsus mercede etiam a sponte dantibus sub praetextu quoque merae eleemosynae acceptae expediri et concedi debeant, et solummodo titulo expensarum pro pergamena, scriptura vel impressionis stipendio, sigillorum expensis, chordulis, cera Secretarii Notariique labore vel mercede aliisque omnibus eam quantitatem quae non excedat summam

(i) Eadem recole, auae in suoeriori formula adnotata sunt.

scutorum sex monetae Romanae in Italia, et extra Italiam non excedat summam libellarum vulgo *francs* triginta pro singula aggregatione vel institutione sive confirmatione recipere liceat. 8. Quod singula hic mandata et expressa in omnibus suis partibus fideliter observentur, secus institutiones vel aggregationes et communicationes Privilegiorum et Indulgentiarum nullius sint roboris et momenti, et quilibet Superiorum atque Officialium privationis Officiorum quae obtinent atque inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda poenam eo ipso incurrent quae ab alio quam a Romano Pontifice remitti non possit.

«In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium has Litteras nostras exinde fieri et per Nostrae Archiconfraternitatis Secretarium subscribi et publicari mandavimus et sigillorum ipsius Protectoris et Archiconfraternitatis iussimus et fecimus appensione muniri.

» Datum Romae ex loco solita nostrae Congregationis anno
Indictione die mense
Pontificatus praesentibus

APPENDIX III.

CIRCA PRAXIM S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE SUPER DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS IN FORO EXTERNO.

Ne frustra supplices preces S. Poenitentiariae admoveantur; pro obtinendis dispensationibus matrimonialibus in foro externo : vel ut citius quam fieri possit obtineantur petitae dispensationes, haec indicamus quarum nonnulla communia etiam sunt Apostolicae Datariae.

Quod proprium S, Poenitentiariae Officii est, ut alias adnotavimus *Vol. I. p.* 382 , quod Supplicantes pauperes sint, de quorum paupertate constare debet Uteris testimonialibus Ordinariorum.

Possunt tamen dari casus extraordinarii ct urgentes in quibus Ordinarius opportunum existimet supplicari S. Poenitentiariae, etiam pro Oratoribus non pauperibus; boc autem in casu idem Ordinarius peculiaria motiva occurate exponere debet, quibus consideratis, iustisque repertis, si S. Poenitentiaria precibus expositis providere non= possit suis ordinariis facultatibus, eisdem tamen prospicit facultatibus* extraordinariis, quas a summo Pontifice implorat in consueta audientia quam singulis hebdomadis habet Cardinalis Poenitentiarius maior.

In huiusmodi autem adiunctis necesse est, ut Ordinarius peculia-

rem Supplicandum conditionem enarret, et op[)ortunum est etiam ut patefaciat quantum taxae nomine impendere Oratores possint, ut sarta tectaque maneant iura Datariae Apostolicae, in cuius capsam omne id remittitur, quod in Officio S. Poenitentiariae solvitur.

At praeter Supplicantium paupertatem ad obtinendas dispensationes, necesse est ut causa sive causae concurrant: illae nempe quae ex praxi sufficientes ac legitimae habentur secundum impedimenti qualitatem , et gradus propinquitatem. Quamvis autem de his causis ampie auctores loqui soleant , nolumus heic omittere, seriem quamdam causarum , quas Benedictus XIV. Feria V. die 26 Septembris 1754 in in responsione ad quaesita proposita ab Archiepisco Turonen.in Gallia breviter indicavit ; eae autem ipsis verbis quibus a laudato R. Pontifice enarrantur, sunt sequentes :

1. » Ob copulam secutam inter matrimonium contrahere volentes.

2. » Ob infamiam , videlicet, quia vir et Mulier invicem conversati sunt, carnali tamen copula inter eas minime subsecuta, et nihilominus orta est suspicio , licet falsa, quod se carnaliter cognoverint.

3. » Pro Muliere 24 annorum et ultra, quae hactenus virum paris conditionis cui nubere posset, non invenit.

4. »> Ob angustiam loci, seu locorum, quia nempe, vir aut Mulier in loco in quo orti sunt, etiam de uno ad alium se transferendo propter illorum angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis cui nubere possit invenire nequeat.

o. » Pro indotata: ex quo Mulier indotata existat, nec habeat actionem unde dotari possit, et vir illam sic indotatam in uxorem ducere ac usque ad quantitatem secundum dictae mulieris qualitatem competenter ex integro dotare intendat. Apponitur tamen Decretum: *Et postquam, dicta Mulier competenter ex integro dotata fuerit, ut praefertur.*

6. » Ob inimicitias: explicatur haec causa ex sequentibus verbis: *quod cum inter viri et mulieris parentes, consanguineos, ei affines, graves-inimicitiae ortae iam sint, et ad praesens vigeant, aliunde tamen quam ex causa matrimonii inter ipsas contrahendi provenientes, et ante illius tractatus exortae, et certum sit, quod si vir et mulier praefati invicem matrimonialiler copularentur, inimicitiae huiusmodi omnino componerentur, pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis cupiunt invicem tnqlrimonialiler copulari. »*

7. « Pro confirmatione pacis. Causa haec ita explicatur : - *quod cum inter virum et mulierem, nec non eorum parentes, consanguineos, vel affines graves inemicitiae viguerint, aliunde tamen quam ex causa Matrimonii inter virum et mulierem praefatos contrahendi provenientes ,et ante illius tractatum exortae, et licet pax de recenti*

inita fuerit, nihilominus pro illius confirmatione cupiunt matrimonialiter copulari.

8. » **Ob lites;** « *quia nempe cum inter virum et Mulierem seu eorum parentes, graves lites super rebus magni momenti ortae iam sint, et ad praesens vigeant, aliunde tamen quam ex causa matrimonii inter ipsos contrahendi provenientes, et ante illius tractatus exortae, et certum, sit quod si vir et Mulier praefati invicem matrimonialiter copularentur, lites Huiusmodi omnino componerentur; pro illis igitur componendis, ac pro bono pacis cupiunt etc. hac tamen expressa conditione:* **et facta prius litium huiusmodi hinc inde messione seu illarum compositione.»**

9. » Ob haeresim. « *Quod ipsi qui Orthodoxae Fidei vere cultores existunt, et sub obedientia S. R. E. vivunt, viver eque et mori intendunt, •et in illis partibus, in quibus multi adsunt, Haeretici, non possint singulorum cnimos explorare, et qui catholicam Religionem vere profitentur intemoscere, ac propterea ne contingat eos num haereticis matrimonium contrahere, cupiunt etc. quae tamen dispensatio concedi solet addita clausula:* **lit •dummodo vir et Mulier praefati or- 3&&doxae Fidei cultores vere existant et sub obedientia S. R. E. vivant» vivereque et mori intendant.»**

Quae autem variationes, si quae sint, quamvis non magni momenti, quae ab eo ad nostrum usque tempus in S. Poenitentiariae praxi inoleverint, suis locis dicemus. Notandum tamen est quod licet eiusmodi causae sufficientes habeantur ad obtinendas dispensationes in gradibus remotioribus; attamen ordinarie quaevis ex his causis seiunctim accepta, sufficiens esse non solet ad dictas dispensationes obtinendas in S. Poenitentiaria pro gradibus proximioribus. Quare supplicantes exponere debent plures causas sive circumstantias, quae idoneae sint ad animum R. Pontificis commovendum.

Sine causis autem de quibus loquimur S. Poenitentiaria nunquam dispensationes largitur, quamvis ageretur de relaxandas impedimentis ex gradibus remotioribus. Hinc si supplicantes in suis precibus dispensationis gratiam postulent *ex certis rationabilibus causis,* **quin tamen ullam singillatim exprimant, eiusmodi preces ad Apostolicam Dataria m remittuntur.**

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

Die vi. Augusti Sanctissimus Pater in Apostolicis aedibus Vaticanis, secreto advocato Consistorio, proloquutus super electione ab Episcopis catholicis Syrii ritus Aleppi congregatis facta, proposuit ac designavit ecclesiam patriarchalem Antiochen. Syrorum Antistiti Iulio Philippo Harcus, qui e sede Amiden. eiusdem ritus translatus, Ignatii Philippi nomen suscepit.

Tum idem Beatissimus Pater proposuit ac designavit ecclesiam Ibaren. in Republica Aequatoris ab eodem R. Pontifice in cathedralem erectam, Antistiti Iosepho Ignatio Checa, Auxiliari Antistitis Antonii Remigii Esteves de Toral Episcopi Gonchen. in eadem Republica, ab ecclesia episcopali Lystren. in partibus infidelium translato.

Tum has quae sequuntur electiones post ultimum Consistorium per S. Congregationem de Propaganda Fide factas, notas fecit; quibus praepositus, ac designatus est:

Vicariatus Apostolicus Bosonien. in Turchia Europea, Antistiti Paschali Vuicic Minorum observantium S. Francisci Episcopo Antiphellen. in partibus infidelium translato ab Apostolico Vicariatu Aegypti pro Latinis, et ab Apostolica delegatione pro Orientalibus Aegypti et Arabiae.

Vicariatus Apostolicus Aegypti pro Latinis, et Apostolica delegatio pro Orientalibus Aegypti et Arabiae, Antistiti Aloisio Ciurcia Minorum Observantium a Sede Scodren. in Albania ad ecclesiam archiepiscopalem Irenopolitan. in partibus infidelium promoto.

Dein idem Romanus Pontifex novum Patriarcham Antiochenum Syrorum electum ac confirmatum eodem tempore volens honoris significatione prosequi, ut ab eodem sacri Pallii postulatio fieret, disposuit. Antistes igitur Patriarcha medius inter duos Syrii ritus Episcopos in Consistorii Conclave deductus est, ubi ad Pontificis

Solio incidentis pedes, sacrum Pallium lingua Syriaca expostulavit. Cui postulationi illico latine redditae Pontifex respondit: ***propediem dabimus.*** Tum novus Patriarcha quod fieri solet iuramentum pronunciavit, egitque Pontifici gratias; quae omnia latine versa sunt.

Die vero ix. eiusdem mensis Sanctissimus Pater in suis aedibus sacris, Eucharistico Sacrificio peracto, cui novus ipse Patriarcha cum Antistitibus Scelhot Episcopo Alephen. Syrorum, et Benni Episcopo Mausilien. Syrorum adstitere, in Faldistorio, medio altari, sedens, adstantibus hinc Antistite Marinelli Episcopo Porphyrien. Sacrista, inde vero Antistite Micaleff Episcopo Civitatis Castelli praeter Antistitem Simeoni S. Congregationis de Propaganda Fide a Secretis pro negotiis ritus orientalis, et plerosque Collegii Urbani alumnos ex variis Orientis nationibus, aliosque nonnullos earum regionum Romae commorantes, qui omnes sacrae illi functioni interfuerunt, eumdem Antiochenses Patriarcham Sacris sui ritus vestibus ornatum, mitramque in manibus gestantem, medium inter duos illos Episcopos Syros coram se humi flexum genibus Postulatione ac Iureiurando patria lingua renovatis (quae illico latine reddita sunt), adiuvante Antistite Pellegrini S. Rotae Romanae Auditore, et Praelatorum collegii Camerario, formulam, uti solet, recitans, qua Patriarchalis dignitatis plenitudo exprimitur, sacro vestivit pallio.

B S, C0IGU6ATI0HK CONCILH.

PAROCHIALIS.

Die 25 *Iunii* 1864 *et* 28 /a». 1865. sm. 24 cc/?, i8 efe *Reform.*

Compendium facti. In quodam oppido dioecesis N. extat unica ecclesia paroohialis vigintiquatuor millium animarum, quae die 31 Decembris 1847 vacavit. Mens erat Episcopi eidem paroeciae providendi non Archipresbytero titulari, sed Rectore amovibili ***ad nutum,*** eo quod se ipsum existimaret parochum esse totius dioecesis: contradicebat communitas exhibitis Bullis institutionis plurium Archipresbyterorum, quibus tanquam titularibus collata fuerat paroecia.

Cum tamen anni pertransirent nec Episcopus a proposito dimoveretur, Communitas litem movit apud laicum tribunal (quod in iure est absonum) iuxta morem regionis illius: et sententia lata est anno 1858, qua dicta paroecia declarata est verum parochiale beneficium per concursum conferendum. Cum autem in hac controversia etiam alia mota esset, qua communitatis Syndacus contendebat, paroeciam esse iuris patronatus communitatis eiusdem, priori controversia resoluta, Syndacus quievit, alterique quaestioni a se motae nuncium misit.

Verum Episcopus ab indicendo concursu alios quinque annos abstinuit, uno alteraque oeconomo curato succedente. Tandem anno 1859 edictum pro concursu ad paroeciam publicatum est, in quo praefixo termino quindecim dierum ad proferenda requisita, sibi Episcopus reservabat indicendum diem examinis. Interim illius loci clerus existimabat, ob decursum duodecim annorum spatium, ius omne Episcopi cessasse, et ad Sanctam Sedem devolutam fuisse. Unus tamen extitit Titius Sacerdos, qui nomen, suum hoc dierum spatio Curiae dedit, qui solus ad concursum deinde admissus, adprobationem pro Archipresbyteratu retulit. Nonnulla intervenerunt hoc tempore, quae videntur obscurare

*

ulterius rationem agendi Episcopi. Namque concursu nondum habito, alter Sacerdos coram Episcopo se stitisse àffirmabat ur,-wt ad examen admitteretur, qui reiectus est.

Audita eiusmodi adprobatione a Clero et Populo, excitati sunt clamores; ac triginta Presbyteri supplici libello subseribentes ab Episcopo petierunt ut maturius saltem procederet, et inquireret, vel per se vel per alium ante paroeciae collationem in crimina pravosque candidati mores. Cui et alter adlectus est libellus eiusdem indolis nomine plurium eiusdem oppidi.

Cum autem Episcopus hisce reclamationibus non moveretur, Clerus institit penes Archiepiscopum, qui rem deferendam esse dixit ad Sanctam Sedem. Precibus itaque ad S. Sedem missis, S. Congregatio Concilii rescripsit tum Episcopo, qui referret ***de causis retardalae collationis, forma habiti concursus, nec non aetate, moribus, scientia ac idoneitate provisi;*** tum Archiepiscopo, ***pro informatione et voto, et ut referret, de antecedentibus, concomitantibus, et subsequentibus collationem enunciatae Paroeciae, ac praesertim de Sacerdotis*** (Titii) ***moribus, scientia o* idoneitate ad animarum regimen.***

Episcopus respondens paucis se expediebat verbis, dicens, se omnia ad sacrorum Canonum normam peregisse. Interim litteras collationis paroeciae omnium admiratione Titio dedit, qui in beneficii parochialis possessionem immissus est.

Post haec Archiepiscopi informatio advenit, interim Episcopus mortuus est. Ultro citroque novae literae habitae tum Archiepiscopi tum Vicarii Generalis referebant de moribus Titii minime laudandis, qui quamvis doctrina sufficienter instructus, non tamen idoneitate praestabat, quae ad animarum regimen requiritur, qui insuper eo ipso tempore gravis calumniae reus, et falsarum attestationum auctor ad laica tribunalia tractus dicebatur (1). Ad concursum vero quod attinet tres praesertim defectus adnotabantur: 1 quod in edicto concursus dies praecisa examinis indicta non fuerit; nec postea Clero patefacta, licet in ipso edicto promissa fuerit diei examinis determinatio: 2 quod

(i) Haec eveniebant in iis regionibus in quibus gubernia licet catholica haberentur; tamen considerare Sanctam Sedem videbantur non uti matrem, sed uti suspectam novercam, ac impediebant praetextu legis regni, ***regio placet, regio exsequatur*** **liberam eiusdem iurisdictionem.**

examinatores pro-synodales constituti fuerint cum assensu quidem Canonicorum eo die in ecclesia cathedrali divinis officiis vacantium, quin tamen essent capitulariter congregati: 3. quod in actis concursus duae tantum repertae fuerint attestationes oeconomi curati, quibus mores Titii commendabantur.

Titius ex mandato S. C. pluries excitatus ut iura sua deduceret, is praeter nonnullas literas in quibus de suae electionis validitate ambigendum non esse aiebat, aliasque non paucas, quibus declarabat contradictionem omnem in ipsum derivare ab aemulatione suorum inimicorum, nihil aliud deduxit. Potissimum vero conquerebatur de Vicario Capitulari cuius adnotabat familiaritatem cum altero ex suis adversariis.

His breviter indicatis, sequentem disceptationem referimus super dubiis in calce expositis habitam.

Disceptatio symoptiva.

DEFENSIO TITII.—Quoniam Titius sese non defendebat, ***ex officio*** favore eiusdem sequentia dicebantur. Episcopus non videbatur amisisse ius conferendi paroeciam quamvis longum temporis spatium elapsum fuerit a paroeciae vacatione; namque impeditus eo temporis spatio Episcopus fuit, ob iudicia quae ferenda #rant super iure parochialitatis, et patronatus: porro legitime impedito tempora non currunt, ut communiter tradunt Auctores. Quamvis autem quaestioni iuris patronatus nuncium missum fuisse dicatur; attamen ex regali decreto expedienda erat sententia; qua sententia lata Episcopus rite sequiori mense concursum^ indixit.

Vitia insuper concursus, quae adnotata sunt, videbantur respicere formam dumtaxat accidentalem, non vero substantialem.

Odium praeterea et aversio populi iniusta comprobabatur: nam si Episcopus aliquid Titii moribus obesse intellexisset post populi reclamationes, certe nec literas collationis paroeciae expedivisset, neque Titium in beneficii possessionem immitti passus esset. Quod si postea Populus et Clerus insurrexit; mirum non esse videbatur, tum quia Titius scandala compescere debebat, tum quia Clerus facile invidia movebatur, quod iuvenis ecclesiasticus, qualis erat Titius, dignitatem in propria Cleri ecclesia obtinuisset.

DEFENSIO CLERI.—Clerus ut sua iura tueretur, Causidicum m Urbe constituit (1), ex cuius allegationibus nonnulla decerpimus. Defensor initio aiebat, si ad formam in eiusmodi concursu servandam quis respiciat, sacros Canones pessumdatos fuisse facile percipi. Praescribitur enim in Litteris encyclicis Clementis Xl. diei 10 Iunii 1721, quod in Edicto quo Clerus ad concursum invitatur, apponi debeat dies certa examinis; haec diei determinatio facta non est, quamvis fuerit promissa. Cancellarius ex Constitutione Benedicti XIV. ***Cum illud.*** §. 16 n. 3, eveniente die concursus, requisita, tempore utili exhibita, summatim redigere, et tradere Episcopo , et Examinatoribus debet: neque id factum est. Vult Constitutio S. Pii V. ***In conferendis***, quod si transacto tempore Edicti concursus nondum sit habitus, et aliquis legitimo impedimento detentus deinceps compareat, et ad scribi velit, reiici non possit. Comparuit autem alius Sacerdos, qui examine nondum habito reiectus est, quamvis antea fuisset impeditus.

Iubet Tridentinum ***Sess.*** .24 ***c.*** 18 ***de Refor*** concursum fieri coram tribus Examinatoribus synodalibus, idest electis in synodo: eiusmodi autem non fuerunt Examinatores de quibus agimus. Quod si possunt alii loco Examinatorum synodalium deputari cum assensu Capituli vigore facultatis, quae conceditur a S. C. C. ad annum duratura ; praeterquamquod de hac impertita facultate dubitabatur, defuit Capituli consensus collegialiter congregati. Iubet denique dicta Constitutio ***Cum illud,*** Examinatores in iudicio ferendo solertiam adhibere in perscrutandis qualitatibus regimini animarum consentaneis, nempe morum honestate, gravitate, prudentia etc. Porro Examinatores duo tantum conspexere documenta oeconomi curati, quae fidem faciebant de bonis Titii morihus; quae tamen si bene perlegissent, atque contulissent cum scriptis Titii, ab uno eodemque Titio utraque conscripta esse agnovissent. Haec enim testimonia de morum honestate a Titio exarata, fraude deceptus subscripserat oeconomus curatus.

Porro hos omnes defectus secumferre concursus nullitatem contendebat Defensor; non enim ad formam ***accidentalem ,*** sed omnes ad formam concursus ***substantialem*** pertinere

(i) Causam Cleri defendit cl. Franciscus Cerasi Advocatus.

inquiebat ; nempe ad formam praescriptam sub clausula irritante. Haec enim leguntur in Constitutione citata S. Pii V., :ad quam Constitutionem caeterae sese referunt. « ***Volentes quantum cum Deo possumus... futuris periculis occurrere... auctoritate Apostolica tenore praesentium omnes et singulas collationes, provisiones, institutiones parochialium ecclesiarum ab eisdem Episcopis et Archiepiscopis ac quibusvis aliis collatoribus.... praeter et contra formam a Concilio Trident., praesertim in examine per concursum faciendo praescriptam, factas, aut in futurum faciendas,*** nullas, irritas ac nullius roboris vel momenti ***fore et esse, nullumque provisis ius aut titulum etiam coloralum possidendi praebere, et parochiales ecclesias huiusmodi, ut prius ante collationes huiusmodi vacabant,*** ex nunc vacare ***statuimus, decernimus ac declaramus.»***

Nominatim autem ad exclusionem alterius Sacerdotis, qui, concursu nondum habito, sese stitit coram Episcopo ac reiectus «st, observabat, eiusmodi repulsam secumferre concursus nullitatem, quamvis ille, qui fuit expulsus non reclamaverit; Ferraris ***Biblioth. can. verb.*** Concursus ***num.*** 9. S. Rota ***in Monopolitana Praebendae Theologalis*** 25 Iunii 1756 ***coram Stadion*** SJ. ***1 et*** 8.

At vero maxime insistebat Defensor in vindicanda paroeciae ^collatione Sanctae Sedi ob ius reservationis, vel devolutionis ex temporis lapsu. Nam parochiali vacanti providendum est intra semestre a die vacationis, quo tempore elapso, collatio reservata «est S. Sedi, quemadmodum statuitur in allegata S. Pii V. Constitutione, in qua legitur: « ***Insuper ne parochiales ecclesiae diu in suspenso maneant in maximum animarum periculum, quarumcumque parochialium ecclesiarum, quarum dum pro tempore valeant, ad Episcopos, ... et quosvis alios Ordinarios collatores. . . . . provisio et collatio spectat et pertinet, quibus iidem Episcopi et Ordinarii praedicti*** intra sex mensium spatium a die vacationis •earumdem, ***perfecto examine iuxta formam Concilii Tridentini, non droviderint....*** collationem, provisionem, institutionem ac omnimodam dispositionem Nobis, et ipsi Sanctae Sedi reservamus.))

Porro in praesenti casu, non quidem sex menses, sed circiter duodecim anni praeterlapsi erant, cum gravi detrimento «divini cultus. Nec obstabat iactatum impedimentum ; quo illi «qui legitime est impeditus tempus non currere dicitur : in

praesenti enim casu eiusmodi principium locum habere non poterat. Caeteris enim omissis cum de iure devolutionis agitur notum est id quod statutum reperitur, ***in cap. Si vero, De iure patronatu et in cap. Cum propter, eod. tit.,*** Quare Sacra Rota, ***in Senogallien. Archipresbyteratus*** 22 Martii 1761 ***coram Olivatio**** §. 11 haec docet: « Utcumque longius lis progressa fuisset, » cum tamen in controversiam adduxerit modum exercendi » iuris patronatus activi , quin ulla interim acciderit prae- » sentatio, donec iustae legitimaeque induciae praeterfluxerint, ***» non potuit idcirco intercipere devolutionem, eiusque poenam ar- » cere.*** Aliud enim est quando, facta praesentatione intra mo- » ram tempusque concessum, lis oriatur inter praesentatos uter » utri praeferatur: aliud quando emerserit quaestio in iure no- » minandi quod alter alteri studet auferre. Primo casu ob ius » quaesitum praesentatis et ex munere, quo patroni semel fun- » cti sunt, licet iidem praesentati vicissim de praelatione con- » tendant, adhuc locum non habet devolutio. At contra est se- » eundo casu, quia quod otii praesentationi datur, idem datur » liti patronos inter, super iure patronatus absolvendae, sic ut, ***» otio sine nominatione consumpto, pertineat ad Ordinarium col- » latorem beneficio cavere, illudque iure devoluto conferre, ne lon- » gam propter litem longius haereat illius vacatio. »***

Hisce aliisque per Defensorem consideratis, rationem deinde agendi Episcopi impetebat. Etenim Titius haud obstantibus reclamationibus populi et cleri immissus fuerat in beneficii possessionem. Animadvertebat scilicet Defensor in praesenti casu Episcopum sibi invocare non potuisse, post appellationem interpositam penes Sanctam Sedem, id quod statuit S. Pius V. in citata Constitutione, in qua non conceditur appellatio ***in suspensivo,*** sed in ***devolutivo.*** Ibi enim Sanctus Pontifex agit de ea appellatione, quae fit ***circa irralionabile iudicium Episcopi, et malam relationem Examinatorum:*** in praesentia autem quaestio praecipue fiebat super ***incompetentia*** Episcopi conferendi paroeciam, quam conferre, ex utili tempore elapso, iure reservationis, et ob negligentiam, iure devolutionis spectabat ad Sanctam Sedem. Quare de appellatione agebatur, non in devolutivo tantum, sed et in suspensivo, quae omnia suspendit, eaque pendente, nihil potest innovari Quod et in constitutione Benedictina citata cave-

tur : in ea enim unico excepto quodam devolutionis casu, qui ad rem nostram non pertinebat, statutum reperitur: ***veteri non immutato more abstineat Episcopus a ferendo dignioris iudicio, e* ada concursus ultro Datariae exhibeat.***

Pluribus denique defensor contendebat adeo iniustum fuisse Episcopi iudicium, ut quamvis irritum non esset ob dictas rationes, nihilominus sustineri omnino non posset: namque in Titii persona omnia ea concurrebant adiuncta, ob quae Parochus recte institutus, removendus esset a suo beneficio: videlicet ob plebis odium, quamvis existimari velit irrationabile. Quibus ampla eruditione ostensis, proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An constet de nullitate concursus in casu:

» Et quatenus ***negative.***

II. » An et quomodo sustineatur collatio Paroeciae favore (Titii) in casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii discussa causa die 25 Iunii 1864 respondere censuit: ad I. et II. ***collationem non sustineri, et provisionem spectare ad S. Sedem.***

Hac sententia se gravatum existimans Titius, beneficium novae audientiae impetravit ; verum controversiam deinde deserere visus est. Quare instante Cleri Procuratore ut litis pendentia cessaret, iterum de more propositum est S. C. C. dubium: « an sit standum, vel recedendum a decisis in casu: » cui die 28 Ianuarii 1865 responsum fuit: ***in decisis: et amplius.***

Ex ns COLLIGES:

I. Distinguendum esse ius devolutionis a iure reservationis.

II. Ius devolutionis a SS. Canonibus constitutum esse in poenam negligentiae, ut, elapso legitimo tempore, beneficii vacantis collatio ad eum de volvatur ad quem de iure spectabit

III. Quare eiusmodi negligentiae poena locum non habet, quoties Collator demonstretur ignarus vacationis» vel legitime? impeditus. Non enim tunc negligens reputatur.

IV. Haec autem omnia locum non habere in iis beneficiis conferendis, quae, ex aliqua canonica ratione, reservata manent

Sanctae Sedi. Reservatio enim non secumfert necessario ideam poenae.

V. Paroecias autem iuxta S. Pii V. Constitutionem, elapso inutiliter statuto vacationis tempore, reservatas esse S. Sedi, né in detrimentum animarum parochiales ecclesiae diu in suspenso maneant.

VI. In praesenti autem casu locum habuisse ius reservationis, ob multiplices causas.

THEOLOGALIS QUOAD CONCURSUM.

Die 17 *Dec.* 1864, *et* 18 *Febr.* 1865. *Sess.* 5 *c.* *I* *et Sess.* 24 *c.* 18 *de Ref.*

Compendium facti. In ecclesia abbatiali N. nullius dioecesis, vacante praebenda theologali, concursus indictus est iuxta praescriptum Constitutionis Benedicti XIII. quae incipit: ***Pastoralis officii.*** Duo adfuerunt competitores Laurentius et Antonius Sacerdotes, periculo facto, et cribratis utriusque meritis, ambo fuerunt ab Examinatoribus adprobati, ita tamen ut, sex puncta singuli Examinatoribus conferentibus, Laurentius Antonium superaverit punto uno cum dimidio. Abbas itaque Ordinarius, relatione ab Examinatoribus accepta, ad praebendam theologalem nominavit Laurentium.

Antonius hoc nuncio habito reclamavit, quin imo appellavisse videtur, quamvis super appellatione legitime interposita quaestio orta esset; de qua tamen in hac causa solliciti non sumus. Ad reclamationes itaque Antonii causa deducta est coram S. C. C. sub dubio: « An constet de mala relatione Exami- » natorum , et irrationabili iudicio Ordinarii in casu. » Transmissis autem ex mandato S. Congregationis actis concursus, reliquisque servatis de more servandis, S. Congregatio commi-

sit duobus iudicialibus examinatoribus ut suum iudicium proferent super dicti concursus actis, et requisitis utriusque con•currentis: atque unus ex deputatis Examinatoribus conclusit, favore Antonii ***reformandum esse iudicium Examinatorum prosynodalium non quoad partem scientiae, sed quoad partem requisitorum.*** Alter vero deputatus Examinator confirmavit iudicium ***tum*** Examinatorum pro-sy nodali um, tum iudicium Ordinarii.

Disceptatio synontica.

DEFENSIO ANTONII. — Antonius favore sui in secunda Causae propositione Defensorem in Urbe constituit, qui inter caetera , ampla oratione, in examen revocato iudicio Examinatorum, qui a S. C. C. deputati sunt, ac simul exponens defectus et errores <qui in concursu Laurentii obrepserant, quos gravissimos renunciabat; Laurentium ipsum in peracto discrimine victum omnino fuisse ab Antonio contendebat : namque si ad scientiam respicias, Antonius praecellit ratione elegantiae sermonis, logicae expositionis, theologicae scripturalisque doctrinae, et materiarum copia, prout ipsemet Defensor ostendere studuit: si vero <de requisitis sermo sit, Antonius pariter longe superasse Laurentium ostendere pluribus curabat. Nota enim sunt quae Benedictus XIV. statuit in Constitutione ***Cum illud.*** §. 16 ***num,*** 4; •statuit scilicet: « ***parem, ni forte maiorem solertiam Examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus regimini animarum consentaneis; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita hactenus ecclesiae obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta , doctrinae arcto foedere consocianda ; hisque omnibus coniunctim expensis , inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuncient.*** »

Inter alia plura merita, quibus praeditus erat Antonius, illud recensebatur, nimirum Censoris emeriti Aceademiae Theologicae in alma Urbe, quae pluribus favoribus a RR. Pontificibus aucta est. Et nominatim idem Benedictus XIII. in suis Litteris in forma Brevis diei 6 Maii 1726 inter alia statuit: ***«Nos ipsius Clementis praedecessoris nostri vestigia sectantes, omnes et singulos quorumcumque beneficiorum collalores similiter requiramus, ut***

quos diutius m dicta accademia cum laude versatos esse constiterit, aliis in eiusmodi collatione caeteris paribus praeferantur. »

Quare Concludebat Defensor, cribratis omnibus sive quae ad scientiam, sive quae ad alia merita spectant, Antonium adeo» praecellere Laurentio, ut hic vix inter adprobatos recenseri posse videretur. At vis integrae defensionis in eo sita erat, ut ostenderet, Antonium digniorem esse, quam Laurentii, ***ut*** deinde concluderet, Ordinarium non potuisse conferre praebendam theologalem nisi Antonio. Contendebat enim Ordinarios in praebendae-theologalis collatione destitulos esse electione, ita ut non illi, qui ipsis Ordinariis videatur magis idoneus inter adprobatos, theologalis praebenda conferri possit; sed illi tantum , qui magis, idoneus fuerit legitime renunciatus.

Quod ut ostenderent analysim instituebat circa Constitutionem Benedicti XIII. ***Pastoralis Officii,*** qua Constitutione statuuntur leges, quibus, sub poena nullitatis, praebenda sive theologalis, sive poenitentiaria conferri debent. Ad theologalem vero quod spectat haec statuta fuerunt: « ***Volumus insuper ut tam » illa, quam reliquae omnes aliae praebendae theologales hactenus: » constitutae, et deputatae conferri semper debeant Doctori in sacra » Theologia... et ceteroquin*** magis idoneo in formali concursu » ab examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo parochiales* » ecclesiae conferuntur. ***Hunc porro in finem quotiescumque eius- » modi praebenda theologalis conferenda erit, per Edictum publi- » cum vocentur quicumque concurrere, et examini sese subiicere » voluerint coram Episcopo et quatuor Examinatoribus ab eodem- » Episcopo actu eligendis.*..** et illi, qui in eiusmodi concursu pro- » batus, magisque idoneus renunciatus fuerit, praebenda confe- » ratur. ***Quoties autem praebendae collatio ad Sanctam Sedem spe- yt dabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existen- di tem acta concursus transmittere teneatur, ut*** ipse vacantem; » praebendam illi assignare, atque conferre possit, quem caeteris. .) digniorem, et magis idoneum in Domino iudicaverit.»

Itaque inter alia animadvertebat Defensor, Episcopum habere? quidem ius eligendi inter adprobatos cum agitur de conferendis paroeciis; eiusmodi tamen ius non habere dum agitur de conferenda praebenda theologali ex vi relatae Constitutionis: namque expressis verbis in ea legitur, quod praebenda theologalis

conferri semper debeat magis idoneo in formali concursu ab Examinatoribus renunciato. Quare designatur subiectum unicum, cui conferri praebenda debeat, nimirum, ***magis idoneum ab Examinatoribus renunciatum.*** Porro electio haberi non potest nisi inter duos: ergo quaelibet electio excludatur oportet. Maxime cum nunquam in ea Constitutione reperiatur ***eligendi,*** vel ***electionis verbum.*** E contra in Tridentino et Constitutione Benedicti XIV. ***Cum illud,*** de modo conferendi paroecias ultro sese offerunt verba: ***Episcopus eligat: electione etc.*** Igitur ***quod*** R. Pontifex ***voluit, expressit; quod noluit, non expressit.***

Exclusam autem fuisse quamlibet electionem contendebat insuper Defensor ex verbis, quae per modum exceptionis decernunt, ut ***quoties praebendae collatio ad S. Sedem spectabit... ipse*** (Rom. Pontifex) ***vacantem praebendam illi assignare, atque conferre possit, quem caeteris digniorem et magis idoneum in Domino iudicaverit.*** Quare si haec uti exceptio habenda sit, qua electio tribuitur, dicendum erit locorum Ordinariis denegatam esse electionem.

Ad removendam autem difficultatem, quae gignunt verba illa-eo ***plane modo, quo parochiales ecclesiae conferuntur*** -Defensor ostendere curabat, eiusmodi verba esse dumtaxat referenda ad modum faciendi concursum; non vero ad ius eligendi inter adprobatos. Quod satis ostendi putabat ex verbis immediate sequentibus: ***hunc porro in finem., per edictum publicum vocentur etc.*** Maxime cum si aliter verba-eo ***plane modo*** - intelligerentur, componi non possent cum sententia antecedenti, qua praebenda praescribitur conferenda illi, qui magis idoneus ab Examinatoribus renunciatus sit: nec locus erat repetitioni eiusdem sententiae, postquam indicatus est modus indicendi concursus. Quare Benedictus XIV. dum Bononiensem regeret ecclesiam ***in Instit-ui n.*** 9 in vacatione theologalis praebendae, sic praecepit: «Il-
» lud monendum superest : die 11 proximi mensis Maii idem exa-
-» men habendum esse in nostris aedibus, cui nos ipsi et examina-
» tores, quos nominabimus hora 12 praesentes aderimus. Scriptae
» quaestiones proponentur; responsiones pariter scripto, latino-
^> que sermone exarari volumus ... ***Nam examen pro theologali***
praebenda eodem modo, ac pro ecclesiis parochialibus oblinendis
v idem Benedictus XIII. praescripsit. » Quare Archiepiscopus tunc

Lambertinius, verba ***eo plane modo*** retulit dumtaxat ad formar» concursus (1).

Ad alterum removendum grave obstaculum, quod est Resolutio» S. C. C. in ***Aversana canonicatus theologalis,*** diei 21 Novembris 1829, qua discusso dubio: « An Episcopus polleat iure eunt » eligendi ad praebendam theologalem, et poenitentiariam, quen* » ipse inter adprobatos in formali concursu digniorem iudicaverit: » seu potius illum eligere teneatur, quem magis idoneum in eo- » dem concursu Examinatores renunciaverint in casu: » responsum fuit: ***affirmative ad primam partem, negative ad secundam r*** nonnulla Orator animadvertebat, quamvis Resolutio isthaec in? quaestione de qua agimus, peremptoria sit dicenda (2). Asserebat itaque Defensor huic Resolutioni alteram opponi editam &

(!) Animadverte , Benedictum XIV. non retulisse haec verba *eo plane modo,* dumtaxat ad rationem instituendi concursum, sed etiam ad caetera. Qnin imo ad rationem instituendi examinis et concursus in dicta Constitutione, in eo quod spectat ad electionem Examinatorum, facultas Episcopis tributa declaratur, quae eisdem competit ex communi iure. De qua re ita scripsit idem Pontifex in opere *de Synod, dioeces, lib.* 4 *c. 7.* « Examen » seu concursus ad ecclesias parochiales » necessario institui debet coram tribus » saltem Examinatoribus a Synodo ad- » probatis: secus autem est de examine »ab aliis subeundo, qui aut Ordines » petunt, aut ad excipiendas confessiones » adprobari cupiunt: in hoc quippe po- » terit Episcopus Examinatoribus uti, «quos maluerit, quoniam Tridentinum » synodales Examinatores exigit tantum » in concursibus ad parochiales, cumque » agatur de sanctione restringente facul- » tatem alias Episcopo a iure communi » concessam, non debet extendi ultra » casum expressum : quocirca etsi Bene- » dictus XIII. in sua Constitutione *(Pa- » storalis officii),* edixerit ut praebenda » theologalis et poenitentiaria, in Italia • eique adiacentibus insulis, conferantur, » praevio examine et concursu, eo plane- » modo, quo conferuntur ecclesiae paro- » chiales: expresse tamen declaravit, con- » cursus ad illas non necessario institui? » oportere coram Examinatoribus syno- » dalibus, *sed coram Episcopo et quali tuor Examinatoribus etiamsi synodali les non sint.r»*

Non praecipitur itaque observanda im. dicta Constitutione ea Tridentina et saluberrima lex, quae respicit Examinatores synodales, qui a Tridentino ideo» speciali lege constituti sunt, ut praecaveantur, quantum fieri possit, fraudesspecialesque favores, et consuleretur rectitudini iudicii ferendi super Concurrentium ad paroecias idoneitate. Ex quo-- satis argui potest, quinam sit sensus dictae Constitutionis, et qualis sit valor eorum verborum, quibus dicitur praebenda illi esse semper conferenda, quiab Examinatoribus magis idoneus fuerit: renunciatus. Semper enim intelligitur Episcopum illi conferre debere praebendam, qui magis idoneus reputetur in examine, suo tamen iudicio minime postrhabito, ut contingit in collatione paroeciarum..

(2) Vid. Appendicem I V .

S. C. C. in ***Salernitana Canonicatus Theologalis*** die 1 Septembris 1753 cui Resolutioni dumtaxat standum esse inquiebat, utpotequae eo tempore emissa et sub iis personis, quae melius noscere poterant sensum Constitutionis ***Pastoralis officii***

Quare concludebat Orator, cum Antonius et scientia et meritis in concursu vicerit Laurentium; cum digniori in concursu reperto conferenda sit theologalis praebenda, qualibet alia electione submota, iudicium Ordinarii in casu tanquam irrationabile esse censendum; proindeque Antonio dictam praebendam esse conferendam.

DEFENSIO LAURENTII. — E contra Laurentii Defensor, nec malam. Examinatorum relationem, nec irrationabile Episcopi iudicium fuisse sustinebat. Et ad relationem Examinatorum quod attinet, ea adprobata fuerat ab Urbis Theologis, qui ex Ordinarii mandato in examen revocarunt acta concursus. Ne defatigemus Leetorem, relinquimus ea, quae in facto adducebantur pro tuenda peritia Laurentii in concursu ostensa, qui iam theologiam dogmaticam in Seminario docebat: maxime cum Laurentii defensio eo praecipue dirigebatur, ut ostenderet, adversarium fateri, vel fateri debere, Laurentium saltem inter adprobatos esse recensendum. Quo concesso non poterat Episcopi iudicium ut irrationabile redargui. Firmum siquidem est in iure Concilii Tridentini, et Constitutionis Benedicti XIV. ***Cum illud,*** quando de conferendis Paroeciis agitur, Ordinariis ius inesse eligendi inter adprobatos, quem magis idoneum in Domino iudicaverint: et ob hanc rationem Episcopi iudicium adeo iustum et aequum praesumi, ut nonnisi evidentissimis argumentis convelli valeat, ut docet S. Rota in ***Calaritana Parochialis*** 15 lanuari 1759 ***num.*** 1 ***coram Frangipane.*** Quin imo Doctores docent, Episcopi iudicium nunquam de «rationabilitate redargui posse, si ille quem Episcopus eligit, inter adprobatos per concursum reperiatur. S. Rotaifod ***n.*** 5. Card. De Luca ***adnot. in Conc. Trid. disc.*** 32 ***n.*** 25. Et merito quidem; si enim Ordinarius eiusmodi potestate eligendi inter adprobatos careret, munus eligendi potius quam Episcopo, Examinatoribus tributum dicendum esset, contra sanctionem Concilii Trid. et Benedicti XIV. Constitutionis, in qua §. 11 haec habentur: « ***absoluto examine ut cuique satis compertum est, fit tantummodo potestas Examinatoribus renunciandi quotquot... idoneos***

iudicaverint, reservata uni Episcopo electione dignioris, *i)* Et in opere ***de Synodo dioeces lib.*** 4 ***c.*** 8 ***n*** 6 idem Pontifex scriptum reliquit: « adeo luculenta sunt verba , quibus Trid. renuntiare » digniorem inter adprobatos solius Episcopi iudicio committit, D ut mirum nobis videatur aliquos reperiri Doctores, qui id iu- •» ris adscripserint Examinatoribus. » Quod S. Congregatio Concilii iam docuerat in Responso ad Episcopum Patavinum anno 1573 ***L.*** 1 ***Decret, pag.*** 110.

Porro quamvis haec omnia quae dicta sunt, referantur ad collationem Parochiarum; recte tamen protenduntur <***d*** praebendas theologales, quae iuxta Constitutionem Benedicti XIII., *€0* ***plane modo,*** quo parochiales ecclesiae, conferri debent. Ita sensit S. Rota in ***Imolen. Canonicatus Theologalis,*** 2 Aprilis 1753 ». 14 ***coram Merlino;*** et apertissime declaravit S. C. C. in ***Aversana Canonicatus theologalis et poenitentiarii,*** 21 Novembris 1829. Quare cum deinde in ***Urbevetana Concursus*** die 11 Iulii 1846 apud S. C C. quaestio delata esset, quod Episcopus ex tribus per concursum ad theologalem adprobatis, illum elegerat, quem secundo gradu in ordine ad scientiam Examinatores approbaverant, et tertio gradu in ordine ad caetera merita, reliquis posthabitis, qui digniores sive quoad scie-ntiam sive quoad caetera requisita renunciati erant: proposito dubio: « an et quo- » modo constet de irrationabili iudicio Episcopi circa electionem » Canonici Theologi in casu. » S. Congregatio respondit: ***negative in omnibus: et amplius.***

Neque obstare dicebatur Laurentio privilegium, quod sibi vindicabat Antonius utpote Censor Accademiae Theologicae in Urbe: nam et ipse Laurentius nomen dederat eidem Accademiae, et laude per plures annos eidem operam navaverat, quamvis ad gradum Censoris emeriti pertingere non potuerit, qui in patriam vocatus, munus docendi theologiam ab Ordinario suscepit. Quare concludebatur: vel iisdem privilegiis Laurentius gaudet, et tunc privilegiatus contra aeque privilegiatum uti privilegio non potest: vel si aliquo destituitur quo Antonius gaudet, eodem nonnisi caeteris paribus iuvari aliquo modo idem Antonius poterat.

His aliisque ampie adductis, propositum est resolvendum

Dubium.

« An constet de mala relatione Examinatorum, et de irra- D tionabili iudicio Ordinarii in casu.»

RESOLUTIO. — S . Congregatio Concilii causa cognita die 17 Decembris 1864 respondere censuit: ***negative in omnibus.***

Novum audientiae beneficium Antonio expostulante, proposita causa die 18 Februarii 1865 hac formula: « an sit standum vel » recedendum a decisis in casu: » S. C. post novam discussiooem respondit: ***in decisis; et amplius.***

Ex us COLLIGES:

Constitutionem Benedicti XIII. ***Pastoralis officii,*** pro Italia insulisque adiacentibus primo editam, qua praescribitur praebendam theologalem et poenitentiariam conferendam esse semper illi, qui magis idoneus ab examinatoribus fuerit renunciatus, nullimode excludere Episcopi iudicium, quo illi ex adprobatis praebendam tribuere potest, quem ipse magis idoneum iudicaverit (1).

REDUCTIONIS CANONIS.

Die* 28 *Ianuarii* 1865.** ***Sess.* 25 *c.* 2 *de Reform.

Compendium facti. Inter bona cuiusdam cappellaniae praediolum recensebatur cultum quidem ex parte frumento, arboribus autem destitutum, quod aestimatum est scutatis 120, ao 14 circiter mensuras annuas frugum reddebat respondentes redditui scutatorum

Cappellanus huius praedii possessor preces S. Sedi admovit, ut illud in perpetuam emphyteusim dare posset cuidam Augustino, qui persoluturus erat Cappellano annuum canonem in fru-

(I) **Vid Appendicem IV.**

gibus scut. novem vel decem, atque insuper agrum vitibus ar» boribusque intra biennium consiturus erat, cum onere exinde impendendi eidem Cappellano quartam uvarum partem. Omnibus rite peractis, quae de more servari debent, S. Congregatio opportunas concessit facultates Ordinario ad propositum perficiendum contractum, salvo iure vicesimae et sextae cum omnibus consuetis, et piae causae proficuis pactis et conditionibus, ac praesertim conditione, ut melioramenta cederent solo. Cum autem nullus alius oblator comparuisse!, Cappellanus ad instrumenti stipulationem devenit, et emphyteusis perpetuae investituram praedicto Augustino contulit sequentibus pactis utrinque susceptis: 1. ut emphyteuta infra biennium vitibus arboribus consertis integrum agrum ditare deberet: 2. ut praeter responsionem annuam quartae uvarum partis, rependeret canonem in determinata mensura frugum scutat. circiter novem, qui canon praestandus esset liber omnino ab omnibus impositis et imponendis vectigalibus : his pactis non impletis locus fieret poenae ***cadmi,*** atque melioramenta solo cederent, quin Emphiteuta compensationem aliquam exigere posset: 3. ut nunquam utile praedii dominium alienari posset sine Cappellani pro tempore consensu, et solutione laudemii: 4-. ut praetendere Emphyteuta non posset quamcumque canonis imminutionem ex quovis fortuito casu praeviso, vel non praeviso Denique Emphyteuta hypothecae vinculo subiecit alterum praedium in securitatem canonis, nunciumque misit cuilibet iuri, sive praesenti sive futuro redimendi dictas praestationes.

Hoc inito contractu, alacri animo Augustinus novam agri culturam aggressus est, quae scopus praecipuus utriusque contrahentis esse videbatur, et sine querela canones accurate annos novem persolvit.

Verum post hoc tempus supplex S. Congregationem adiit exponens se contractui consensisse existimans feraciorem esse praedii terram: cum autem modo nosceret vix canonem frugum idem praedium exhibere, quem Cappellano persolvere tenebatur, ex gratia postulabat, ut canon coarctaretur ad quartam omnium praedii fructuum partem. Testimonium insuper Agrimensoris addebat quod ***peritiam*** vocant; in qua, facta praedii descriptione, Agrimensor testabatur, si novis impensis nova melioramenta solo fierent, praedium reddere ad summum posse

45 annuas mensuras frumenti, cuius quarta pars annuis scutati» circiter quinque poterat aestimari.

Rogatus de more Ordinarius, ut cappellaniae Rectorem, aliosque interesse habentes audiret, simulque suum votum emitteret circa iustam reductionis causam, retulit dumtaxat, Cappellanum petitioni obsistere; atque a sua proferenda sententia ipsemet Ordinarius abstinuit.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE MILITARANT FAVORE EMPHYTEUTAE. — Observabatur ***ex officio*** praesentem controversiam levis quidem esse momenti, si facta inspiciantur; at non ita esse si iuris quaestio fiat. Et sane in praesentia agebatur de vera propriaque emphyteusi, ut demonstrant nomen contractui inditum, canonis vocabulum adhibitum ad annuas praestationes significandas, prohibitio alienandi utile dominium irrequisito domino, solutio laudemii, poena ***caduti*** etc Card. De Luca ***de Emphyt. disc.*** 31 ***n.*** 9 ***et*** 10. Iam vero in genere circa annuam praestationem ex huiusmodi contractu pensitandam receptum est, canonem modicum esse debere ex nativa contractus indole. Namque antiquitus eiusmodi contractus obiectum inculta arva esse consueverunt, quae alicui concedebantur cum onere persolvendi aliquod tributum in recognitionem dominii : et licet tractu temporis eliam agri fertiles contractui emphyteutico subiecti fuerint, ut tradit Valasc. ***de iure emphyt. qu.*** 1 ***num.*** 6 ***et q.*** 2 ***n.*** 5: nihilominus modicitas canonis adeo propria huiusce contractus haberi perrexit, ut si fructibus canon aliquo modo respondeat, in locationis conductionisque contractum converti doceant Auctores. Card. De Luca ***loc. cit. n.*** 8, qui contractus diversam habet ab emphyteusi naturam ***L.*** 1 ***C. de iure, emph. (i).***

(t) Loco citato sic Zeoo Imperator constituit: *«Ius emphyteuticarium neque conductionis, neque alienationis esse titulis adiiciendum, sed hoc ius tertium esse constituimus ab utriusque memoratorum contractuum societate seu similitudine separatum, conceptionem item definitionemque habere propriam, *t iustum esse validumque contractum, in quo cuncta, quae inter utrasque contrahentium partes super omnibus, vel etiam fortuitis casibus, pactionibus scriptura interveniente habitis, placuerint,, firma illibataque perpetua stabilitate modis omnibus debeant custodiri, ita ut, si interdum, ea, quae fortuitis casibus eveniunt, pactorum non fuerint conventione concepta, si quidem tanta*

*

Quamvis autem Auctores in diversas abeant sententias in determinanda proportione canonis respectu fructuum, tamen conveniunt in tenui tatis eiusdem conceptu. Fulgin. ***de contr. emphyt. q.*** 28 ***n.*** 4, Pacion. ***de Locat. cond.*** c. 45 ***n.*** 35.

Hinc fit ut pensionis excessus adeo contractum impetat, ut illum pessumdare videatur, ut monet Barbosa in ***cap. Cum dilecti n. il et*** 20 ***de emphyt.*** Fulgin. ***de contr. emphyt. q.*** 28; ac proinde secumfert laesionem enormem vel enormissimam. Nam ad laesionem in contractu emphyteutico aestimandam ob dictas rationes diversa norma habenda esse videtur ab ea quae servatur in contractibus emptionis venditionis, et locationis conductionis. In hisce enim contractibus pensiones persolvuntur in correspectivum vel rei vel fructuum: dum e contra in emphyteusi canon persolvi tur dumtaxat pro recognitione dominii, quod in alio est, quodque dicitur dominium directum. Ex quo apparet canonem ab Emphyteuta praestari debere in obsequium dumtaxat domini. Quare quoties contractus in damnum vergat ipsius Emphyteutae ob canonem qui excedat etiam in modico fructuum compendium, enormis certe laesio haberi dicenda est.

Porro in praesenti casu eiusmodi laesio haberi videbatur. Namque pro sterili aggello scutat. 120 aestimato, qui vix annua scutata 5 Cappellano suppeditabat, solvere tenetur Emphyteuta viginti mensuras frumenti quae scutatis novem vel decem tempore initi contractus respondebat. Eiusmodi enim excessus annuae praestationis, sive consideretur realis praedii valor, sive realis eius redditus, enormem laesionem attigisse videtur, etiamsi laesio eo modo aestimetur, quo aestimari solet in reliquis contractibus iuxta ***legem*** 2 ***C. de rescind. vendit.***

Neque aliter sentiendum videbatur si iustitia canonis perpenderetur ad normam novissimae peritiae ab Augustino exhibitae. Ex ea enim peritia colligebatur praediolum reddere posse 45 mensuras annuas frumenti; porro eiusmodi redditus in po*

emerserit clades, quae prorsus etiam ipsius rei, quae per emphyteusin data est, faciat interitum, hoc non emphyteuticario, cui nihil reliquum permansit, sed rei domino, qui, quod fatalitate ingruebat, etiam nullo intercedente contractu habiturus fuerat, imputetur. Sin vero particulare vel aliud leve contigerit damnum, ex quo non ipsa rei penilus laedatur substantia, hoc, emphy-. teuticarius suis partibus non dubitet adscribendum.»

lentìa ab Agrimensore aestimatus est, atque ideo ut ad effectum deveniret, multos exigebat labores et impensas, non solum pro ordinaria cultura agri, verum etiam pro extraordinaria in ima fundi parte, quae aquis redundabat. Hinc si a praedicto redditu demas vectigalia tum imposita tum imponenda; nec non correspectivum laborum ac industriae emphyteutae ; ac denique ob oculos vicissitudines tempestatum habeantur: difficile admodum videbatur tantum superesse frugum ut solvendo canoni sufficeret, ita ut vitari posset praeiudicium enormissimae laesionis, ea ratione aestimandae, quae propria sit huius emphyteutici contractus. Quare in similibus adiunctis S. Congregatio Concilii modo reductionem canonis, modo rescissionem contractus decrevit, ut in ***Fabrianen. Rescissionis contractus*** 20 Decembris 1816, et ***in. Senagallien. Transactionis*** 8 Maii 1819.

At contractus rescissio in praesenti casu deteriorem reddebat Augustini conditionem ob iacturam expensarum et laborum in meliorem praedii culturam, quae cedere solo debebat ; proindeque unum supererat, ut ipsi succurreretur per aequam canonis imminutionem. Intollerabile enim malum videtur, quod Emphyteuta inevitabilem patrimonii sui eversionem subire debeat ob tributi solutionem, quod licet modice fructus excederet; attamen in perpetuum eiusdem substantias auferret, et alium sine legitima causa ditaret, ceu saepe perpendit S. Rota.

EA QUAE EMPHYTEUTAE ADVERSABANTUR. — E contra plura ad normam iuris ***ex officio*** pariter adducebantur, quae ostendebant locum non esse imminutioni canonis. Namque licet ex vetusta origine contractus emphyteutici canon modicus esse soleret, qui in obsequium domini dabatur ob concessa sterilia arva: tractu tamen temporis mos invaluit, ut annuus canon fructibus praedii responderet. Quod quidem hodie in usu maxime est; praesertim vero circa ecclesiasticas emphyteuses quae moderari ac regi debent iuxta Constitutionem, seu ***Motum-Proprium*** Benedicti XIV. diei 23 Novembris 1742, et iuxta Decretum S. C. Episc, et Reg. diei 18 Martii 1835 (1).

Hoc autem posito cum natura eiusmodi contractus immutata quodammodo sit, et cognatione quadam consocietur cum loca-

ti) Tum dictam Constitutionem tum Decretum adduximus In *Vol. I. p.* 252 *et seqq.*

titiis contractibus, ut tradunt Auctores; receptum est enormem non admitti laesionem, nisi certo constet pensionem rei locatae, seu in emphyteusim datae, duplo plus esse fructibus maiorem, iuxta tradita per Rotam in ***Tyburtina laesionis*** 10 Decemb. 1832 ***et in Camerinen. Reductionis canonis*** 15 Martii 1837 §. 6 ***coram de Cursiis.*** Cum enim emphyteusis sub generico locationis nomine soleat comprehendi, eadem norma dirigi convenit, qua locationis contractus regitur; praesertim vero quando agitur de casibus in quibus canones fructibus rei respondeant, ceu eadem S. Rota tradidit in ***decis. Associationis*** 5 Iulii 1771 §. 10 ***coram Origo, et in eius confirmatoria*** 10 Maii 1772 ***coram Ratto.*** Quibus accedit praxis S. C. Concilii quae in defectu laesionis ultra dimidium, reductionem canonis denegandam esse censuit, ceu patet ex ***Mauraten. Emphyteusis*** 23 Septembris 1788, ***in Firmana*** 17 Maii 1817 et 24 Augusti 1819, ***in Senogallien. Reductionis canonis,*** 27 Augusti 1831, ac recenter ***in Tuscidana reductionis seu affrancationis canonis*** 8 Augusti 1863.

Porro inspecto emphyteutico contractu inter Cappellanum de quo agimus, inito, et Augustinum, nullum videbatur adesse fulcrum,, quo laesionis querela iuxta praestitutam doctrinam sustineri posset. Inspecto enim redditu, quem Cappellanus percipiebat in annuis scut. quinque, et canone convento in scutat. annuis novem vel decem, non solum canon duplum redditus non excedebat; sed vix ac ne vix quidem illud attingebat. Si vero iuxta peritiam ab ipsomet Augustino produotam res consideraretur, iam patebat canonem multo minorem fore redditu, si diligentiori cultoris industriae praedium subiceretur. Nam indoles huius contractus eiusmodi est, ut considerandi obveniant non modo fructus, qui actu sunt, sed etiam illi qui obtineri poterunt causa melioris culturae, ceu post ***Theoricam*** Paul, de Castro ***in authent. Si quas ruinas C. de Sacros. Eccles.,*** docuit Rota ***in decis.*** 1186 ***n.*** 2 ***coram Emerix iunior, in Camerinen. Reductionis Canonis*** 15 Martii 1837 et alibi.

Quibus accedebat et alia observatio, qua aestimanda videbatur favore Emphyteutae conventa uvarum divisio, cuius ratione idem Emphyteuta tamquam colonus partiarius habebatur, ac utiliter perpetuo redditus cum Cappellano dividebat veluti societatis iure, Voet ***ad pandect.*** L 19 ***lit.*** 2 ***n.*** 8.

Denique observabatur, quod si de laesione indubie constaret, reeolenda tamen essent verba ***Legis*** 2 ***Cod. de rese. vend.,*** quae venditori optionem tribuunt, vel recipiendi supplementum pretii, vel contractum rescindendi. Quae iuris dispositio extensa etiam •est ad emphyteusim, sive dominus directus sive dominus utilis laesionem obiiciat, prout Barbosa in ***L.*** 2 ***C. de rese, vend. n.*** 72 aliiq. Quare etiam in hypothesi extantis laesionis, iniuria videbatur concedi Augustino canonis diminutio, quin Cappellano simul tribueretur ius eligendi contractus rescissionem.

Adductis insuper aliis exemplis, causa scilicet ***Camerinen. Reduci. Canonis,*** ter in S. Rota agitata, ac denique incunctanter definita die 15 Martii 1837; nec non altera recenter resoluta in S. C. C. in ***Tusculana Reductionis, seu Affrancationis canonis*** die S Augusti 1863, propositum est resolvendum

Dubiam,

« An, et in qua summa sit locus reductioni canonis in casu.»

RESOLUTIO. — S Congregatio Concilii re cognita die 28 Ianuarii 1865 respondere censuit: ***negative in omnibus.***

Ex ns COLLIGES:

I. Contractus emphyteuticarios, in quibus canon cum rei fructibus comparatur, naturam induere contractus locat. conductionis.

II. Quare pro ea parte in qua eiusmodi contractus conveniunt, iisdem legibus reguntur. Ubi enim eadem est legis ratio, eamdem convenit esse legis dispositionem.

III. Hinc nemo de enormi laesione conqueri potest, nisi probet canonem constitutum duplo plus maiorem esse fructibus rei in emphyteusim acceptae (1).

(i) la *Lege* 16 *ff. de minor.* §. 4 legitur: a *Pomponius ait: In pretio emptionis et venditionis naturaliter licere ontrahentibus se circumvenire.-a* Nec laesionis querela tunc locum sibi vindicabat, nisi de metu, machinatione vel dolo constaret. Invaluit postea ut dolus ex ipsa re argui posset, quod videlicet nimium appareret pretii discrimen: quod ne in incerta quadam aestimatione versaretur, Imperatores Diocletianus et Maximianus Constitutionem ediderunt, quae habetur in *lege* 2 *Cod. de Rescindendo, venditione,* hisce verbis «/tem *maioris pretii si tu vel pater minoris distraxerit; kumanum est, ut vel,pretium te restituente emptoribus, fundum vero datum recipias auctoritate iudicis intercedente: vel, si emptor elegerit, quod deest iusto pretio recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit.* » Quae dispositio ad omnes bonae fidei contractus extensa est, inter quos et emphyteusis recenseri solet.

Die **23** *Septembris* **1865.**

Sunnnariapreeum, Episcopus N. in relatione status suae ecclesiae ad S. C. Concilii transmissa inter alia sequens postulatum iudicio Sacri Consessus subiecit: cc In dioecesi ex consue-
» tudine sicut in aliis ecclesiis regni, Examinatores synodales
» pro examine et ratione laboris in concursu pro obtinendis
» Parochiis, aliquod parvulum emolumentum suscipiunt. Estne
» sustinenda haec consuetudo, vel omnino abolenda, licet im-
» memorabilis, tamquam Tridentino contraria?

Ut planior redderetur via in dubii examine, idem Remus Episcopus rogatus est ut referret in quo consisteret eiusmodi emolumentum , et utrum idem mos obtineret in eireumiacentibus dioecesibus, praesertim ecclesiasticae eiusdem provinciae. Quibus inter caetera responsum fuit: a emolumentum, quod ra-
» tione laboris ab Examinatoribus pro-synodalibus percipitur in
» hac dioecesi ad 13, vel 15 regalia reduci potest, pro unoquo-
» que ex adprobatis... Non ita in circumiacentibus dioecesibus,
» sed in quibusdam eiusdem provinciae, ad quam haec dioecesis
» pertinebat, aliquod stipendium a pro-synodalibus percipieba-
» tur, non idem in omnibus sed maius vel minus. »

EA QUAE EX OFFICIO OBSERVABANTUR —Tridentina lege in ***Cap.*** 1 s ***sess.*** 24 ***de Reform.,*** Examinatoribus synodalibus praescribitur: « ***iurent omnes ad sancta Dei Evangelia, se, quacumque humana affectione postposita, fideliter munus exsecuturos. Caveantque, ne quicquam prorsus occasione huius examinis, nec ante nec post accipiant; alioquin simoniae vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant, a quo absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quae quomodocumque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. »***

Nonnullis vero animadversis, adducebantur analogae Resolutiones, quae in antiquis Regestis S. C. C. reperiuntur, videlicet: in ***Aurien. lib. Decr.*** 2 ***pag.*** 193 , Episcopus declarari ab» Emis Patribus rogabat, an Examinatoribus in synodo dioecesana iuxta formam Concilii Tridentini deputatis aliquo modo* et ***vigore consuetudinis,*** liceret citra vitium simoniae, peracto

examine, aliquid ab eo, cui beneficium collatum fuit, ratione dicti examinis accipere: et S. Congregatio respondit: ***non licere.*** Item in ***Salertina lib. Dec.*** 2 ***pag.*** 252 quaesitum est: quid sentiendum foret de decreto synodi dioecesanae, quo statutum fuerat congruum quoddam stipendium Examinatoribus ex fructibus particularium ecclesiarum, aut aliorum beneficiorum vacantium. Et prodiit rescriptum: ***Archiepiscopum non posse eiusmodi stipendium statuere, et decretum synodi dioecesanae esse milium? et delendum.***

In Civitaten. lib. Decret. 7 ***pag.*** 70 ***ad III. dubium,*** S. Congregatio rescripsit: ***non licere Examinatoribus synodalibus quidquam accipere, non obstante quacumque consuetudine immemorabili.***

Refert Garzias in suo opere ***de Benef. eccl. tract. par.*** 8 ***c.*** 1 ***n.*** 78 in Concilio provinciali Toletano anni 1566, et in provinciali Concilio Compostellano statutum fuisse, ut Ordinarii, rectae suae conscientiae arbitrio, iubeant persolvi Examinatoribus munus suum fidelibus exsequentibus aequam laboris mercedem ex redditibus ecclesiae vacantis, qui alioquin Rectori debeantur. At idem Auctor, praemisso quidem adesse nonnullos Doctores, qui eiusmodi statutum minime adversari autumant Tridentinae legi, contrarium tamen retinendum esse concludit ex dicto Concili* Decreto §. ***Caveant,*** et ex declarationibus S. Congregationis.

Similis denique est Resolutio in ***Iacen.*** 14 Ianuarii 1758, in qua agebatur de vetustissima consuetudine in pluribus Hispaniarum dioecesibus vigente, a Conciliis etiam provincialibus adprobata, qua electus ad parochiam debebat quoddam solvere emolumentum tam Examinatoribus synodalibus, quam Curiae episcopalis officialibus sive nomine stipendii, sive largitatis. Cum autem quidam ad parochiam electus integrum emolumentum solvere nollet, mota quaestione coram S. C. C. Procurator Fiscalis pro solutione dicti emolumenti insistebat ex ea praesertim ratione, quia haec consuetudo non videbatur adversari legi Tridentinae, cum abesset pactum praecedens, et ideo deesset simoniae vitium; proposito tamen dubio: <c An et quae emolumenta de- » beantur occasione examinis in concursu parochialium in casu:»- S. Congregatio respondit: ***quoad Praesides, et Examinatores negative: in reliquis ad Eminentissimum Praefectum iuxta mentem***

Verum non praetermittebatur observatio, qua nonnulli fuerunt Auctores, Petrus Navarr. ***de vestit, lib.*** 2 c. 2 ***n.*** 188, Ladesma ***in Summ. part.*** 2 ***tract.*** 7 ***et conclus.*** *7* ***prop. finem circa*** 18 ***difficultatem,*** Castropal. ***in praxi Episcopi par.*** 1 ***verb. Parochia §.*** 2 ***dubio*** 13 Raphael de la Torre ***de Relig.*** 2 ***tom. q.*** 100 ***art.*** 6 ***disp.*** 3, qui hanc consuetudinem non improbant, ex ea ratione quia emolumentum ipsum absque ullo praecedenti pacto, largitionis tantum nomine et stipendii titulo, persolvi consuevit. Animadvertunt enim dicti Auctores dignum esse mercenarium mercede sua. Benedictus vero XIV. in opere ***de synodo dioeces. L.*** 4 ***cap.*** 7, quamvis non absolute adprobaverit, multoque minus imitandum proposuerit, quod a Concilii Toletani Patribus gestum fuit, idipsum tamen non improbavit.

His pro officii munere animadversis sequens data est

RESPONSIO. — S. Congregatio Concilii re discussa in comitiis habitis die 23 Septembris 1865, respondere censuit: ***Detur Resolutio*** in lacen. ***diei*** 14 ***Ianuarii*** 1758.

In ***lacen.*** quam mox adduximus resolutum fuit, non deberi emolumentum Praesidibus et Examinatoribus synodalibus occasione examinis in concursu parochialium, quamvis illud ex vetusta consuetudine Electi ad paroeciam iisdem solverent. Insuper Emi Patres in ea ***lacen.*** mentem S. Congregationis Iacensi Episcopo patefecerunt quae publicata non est.

MISSAE PRO POPULO.

***Die* 9 *Decembris* 1865.**

Summaria precum. Episcopus N. in relatione status ecclesiae suae ad S. C. C. transmissa, inter alia sequens dubium proposuit: « In hac dioecesi sunt quaedam ecclesiae filiales, quae D a presbyteris parochorum adiutoribus, pensionem licet parvam **o** a Supremo Gubernio percutientibus, reguntur. Ii coadiutores **i>** Missam pro populo diebus festis non applicant. Quaeritur re-

» etc ne se gerant, an e contrario debeant pro populo Missam :» applicare praedictis diebus?»

Ad eiusmodi quaestionem pleniori cognitione resolvendam, «opportunum visum fuit eumdem Episcopum rogare, ut referret, an filiales ecclesiae conferantur in titulum perpetuum; suam ibabeant plebem distinctis a Matrice limitibus circumscriptam; 'earumque Rectores independenter a Parocho sacramenta administrent: quaesitum insuper est, quot essent redditus parochialis annui stipendii, comprehensis incertis utriusque stolae.

Ad haec laudatus Rmus Episcopus respondit: « ut clarius » dubium proponatur animadverto : filiales paroecias sive eccle- -» sias minime in titulum perpetuum conferri : suam habere » plebem distinctam a Matrice limitibus circumscriptam : earum- 3> que Rectores (Coadiutores) dependenter a Parocho sacramenta i» administrare : annui stipendii parochialis quantitas, non com- » prehensis incertis utriusque stolae, de quibus inter Parochum » proprium et coadiutorem conventio fieri solet, sunt etc.»

EA QWAE EX OFFICIO OBSERVABANTUR. DUO praemittebantur principia, nempe, applicationem Missae pro populo diebus Dominicis, aliisque festis inter parochialia munera recenseri, eamque incumbere ratione officii in Parochum, et in quemlibet animarum curam actu exercentem, sive perpetuus is vicarius sit, sive ad nutum amovibilis, Conc. Trid. *sess.* 23 *cap. de Reform.* Benedictus XIV. Const. *Cum semper oblatas.* Pius IX. feliciter regnans in Constit. *Amantissimi Redemptoris,* et S. Congregatio passim. Definitum pariter esse, satisfieri eiusmodi obligationi unica Missae pro populo applicatione ubi unica sit parochia, licet plures parochiales ecclesiae fuerint illi unitae, dummodo unio sit subiectiva, ceu pluries declaratum est, ut in *Nuscana* 17 Ianuarii 1756 *§. An Canonici,* et alibi. Quare inquirendum in praesenti quaestione supererat: an ageretur de una tantum Paroecia, vel de totidem paroeciis, quot sunt filiales ecclesiae

Cum autem resolutio propositi dubii ex facto penderet, observabatur quod quamvis ecclesiae de quibus agimus dicantur habere *suam plebem distinctam,* eiusmodi distinctio tamen induci certo oportuit, ne confusio oriretur in iurisdictionis exercitio singulis Coadiutoribus delegatae, non vero ut totidem essent paroeciae. Quod quidem satis ostendi videbatur ex laudati Episcopi

narratione, qua dicitur una ecclesia esse matrix, caeterae nonnisi filiales, quibus praeficiuntur Coadiutores qui sacramenta dependenter a Parocho administrant, et inter quos conventio fieri solet super incertis utriusque stolae.

His animadversis, cum ex dictis satis constaret unicam tantum esse paroeciam, cui titularis Parochus actu praeerat, ipse, non vero Coadiutores tenebantur applicare Missam pro populo, ut, aliis omissis, resolutum fuit in ***Alben.*** 17 Iulii 1723, ***lib. Decret.*** 73 ***pag.*** 367, in qua quaerebatur, utrum unus Archipresbyter teneretur Missam celebrare pro populo; seu potius etiam alii Canonici in aliis ecclesiis adiutricibus: et S. C. C. censuit solum Archipresbyterum teneri ad applicandam Missam pro Populo diebus festis.

Idipsum S. C. C. respondit in ***Nuscana*** die 17 Ianuarii 1756, in qua docuit, Canonicos collegiatae ecclesiae S. Mariae de Plano-teneri unam tantum Missam pro populo celebrare diebus festis, licet plures parochiales ecclesiae essent unitae. Namque ad dubium: « an» Canonici collegiatae ecclesiae S. Mariae de Plano... » teneantur unam Missam pro populo celebrare ; seu potius tot » Missas, quot sunt parochiales ecclesiae illi unitae: » responsum prodiit: ***affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Hisce omnibus pro officii munere disputatis, proposito ab Episcopo dubio haec prodiit

RESPONSIO. — S. Congregatio Concilii re cognita in comitiis habitis die 9 Decembris 1865 respondere censuit: ***prout exponitur non teneri.***

Habita scilicet ratione expositionis factorum, ex quibus apparebat, filiales ecclesias non esse paroecias distinctas a'Matrice» sed cum Matrice unicam constituere paroeciam, quamvis territorium distinctum haberent; illi, qui filialibus ecclesiis praefecti sunt, utpote meri coadiutores titularis Parochi, non tenentur Missam pro populo applicare (1).

(I) Plura de applicatione Missae pro populo, deque paroeciarum unione, eiusque unionis qualitate maxime consideranda habentur in primo volumine harum ephemeridum, uti in indice eiusdem indicatur.

IX S, CONGREGATIO! EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

MEDIAE ANNATAE.

***Die* 19 *Martii* 18G6.**

Compendium facti. Cum cathedrale Capitulum civitatis N. reductionem non exigui missarum numeri a S. Congreg. Episc, et Regul. suppliciter exorasset eum in finem, ut eleemosyna pro earum celebratione persolvenda in necessarias quasdam templi cathedralis refectiones impenderetur, Sacro Ordini innotuit nedum in ea Civitate , sed et in universa Dioecesi, non adamussim observari praescriptum Constitutionis Benedicti XIII. pro Italia et insulis adiacentibus, incipien.- ***Pius et misericors-*** in Concilio Romano anni **1725** editae. Porro ii, qui ibidem de beneficialibus praebendis providebantur, nequaquam veram et realem exsolvebant medietatem singulorum fructuum, qui percipiuntur in primo post initam possessionem anno, veluti punctim in eadem constitutione sancitur, sed certam quamdam soliti erant ac determinatam pensitare pecuniae summam pro Cathedralis vel Collegiatarum fabrica iuxta eorum locorum perantiquam consuetudinem, quae speciatim ferebat, ut in Cathedrali singuli Canonici recens suffecti summam scutatorum viginti; in Collegiata A. primae erectionis Canonici scutata triginta supra quinque, ceteri secundae erectionis scutata duodecim; ac denique in Collegiata B. nunquam plusquam scutata viginti persolverent.

Itaque S. C. Ep. et Reg. in rescripto reductionis missarum iuxta preces dato clausulam superaddidit, ut - ***Ordinarius provideat, ut futuri Canonici et Beneficiati mediam annatam favore -ecclesiae ad praescriptum Const. Bened. XIII. omnino persolvant*** - Huic mandato fideliter obtemperans Episcopus, nulla interiecta *nora, edictum pro tota dioecesi protulit, quo memoratam Constitutionem ad accuratam observantiam revocavit, aliasque adiecit leges, quibus huiusmodi solutio et reddituum erogatio regeretur, lateri **aa ea** edita lege tres praebendae canonicales vaca-

verunt, una videlicet in Cathedrali, altera in Collegiata A, tertia in Collegiata B., ideoque novelli earum possessores moniti sunt» ut dimidium fructuum, quos perceptum erant primo anno, Cathedrali vel Collegiatae ad normam Benedictinae Constitutionis et edicti ab Episcopo recens promulgati persolverent : sed frustra-Singuli namque excipiebant standum esse perantiquae consuetudini, utpote quae legitimum titulum praeseferret, quo nullo ira mundo melior: quocirca non dubitarunt simul coniuncti communem libellum S. C. Ep. et Reg. offerre, quo deprecabantur* ut eadem episcopale edictum abrogare, et particularem consuetudinem suo decreto sancire dignaretur.

S. Congregatio pro suo instituto supplicem libellum Episcopo dioecesano transmisit, ut super eodem referret, unaque suam sententiam aperiret. Insuper eidem mandavit, ut singula. Capitula, ad quae canonici oratores pertinebant, rogaret, responsaque scripta referret. Denique admoniti sunt oratores, controversiam ab iis excitatam plenis comitiis disceptandam ac definiendam esse.

Retulit Episcopus allatam consuetudinem reapse in facto locum habere, at vero iri iure neutiquam attendendam esse, quandoquidem Benedictus XIII. omnem consuetudinem etiam centenariam atque ideo immemorabilem abrogaverat. Subinde animadverterat, neque Cathedrali neque Collegiatae pro fabrica tuenda alios inesse redditus praeter eos, qui a Canonicis recens» electis deponebantur. Capitula Cathedralis et Collegiatarum, quae-audita sunt, consuetudini adhaerere, ueque ab eadem, ut plurimum, recedendum esse opinari. Oratores vero acrius propugnabant edictum Episcopi revocandum esse, eoque magis, quod media annata, quamvis non ea, quae a Constitutione praefinita fuerat, quantitate pensitaretur, attamen haud omnino praeter—mittebatur, soluta videlicet ea summa quam vetustissima usus-induxerat: ceteroquin nihil vetabat, quominus praescriptio contra constitutionem Benedictinam si non circa substantiam, at saltem circa modum persolvendae mediae annatae suam vim exerere? deberet.

Haec erant rationum momenta quae in medium afferebantur, quaeque fusius et uberius heic exponere superfluum arbitror-Potius igitur ad ea referenda gradum facio, quae ex officio

observata sunt, ut iudicari posset, an allata consuetudo in iure sustineri posset, dum ceteroquin non ambigeretur eamdem in facto realiter existere.

Disceptatio synioptiea.

QUAE EX OFFICIO DISPUTABANTUR. — S. M. Benedictus XIII., ut ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tuitioni stabili ratione provideret; pro Italia et insulis adiacentibus Constitutionem edidit in Conc. Romano anno 1725, quae incipit -***Pius et misericors*** - iv. Idus Maii eiusdem anni, qua edixit, ut « ***provisi de parochialibus una cum incertis, annuum redditum scutatorum centum monetae romanae excedentibus, et de Canonicatibus et beneficiis— sitis extra ecclesias collegiatas. . . . .teneantur solvere ac respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae cathedralis. Provisi vero de parochialibus una cum incertis annuum redditum scutatorum centum excedentibus, et de canonicatus et beneficiis... sitis in ecclesiis collegiatis.. . itidem teneantur solvere ac respective deponere mediam annatam pro fabrica ecclesiae collegiatae...»***

Quamvis autem ex iure canonico Cathedralium tuitio ad Epicopum et Capitulum pertineat, attamen Summus Pontifex statuere censuit, ut mediae annatae solvendae obligatio sarta tecta maneret. Exceptus est tamen casus, quo ecclesiae iam satis provisum sit, sive quod redditus ad id sufficientes obtineat, sive quod personae adsint patronatu praeditae, quibus eadem obligatio inhaereat; ibi enim ita statuitur « ***Volumus autem, quod huic nostrae Constitutioni.... minime subiecta existant beneficia illarum Dioeceseon, et respective Collegiatarum, in quibus reperitur opus seu peculiare patrimonium fabricae sufficienter instructum : aut onus seu obligatio reparandi.... residet penes Communitates Locorum, vel adsunt dictarum ecclesiarum Patroni.))*** Et sane quoties huiusmodi conditiones intercedere dignovit S. C. Concilii, beneficiatos a solutione mediae annatae absolutos dimisit: ut in ***Camerinen. et Anagnina Med. Ann.*** 2 ***Maii*** 1783. ***ad L et IL, et Ariminen. Reparat, eccl.*** 19 ***sept.*** 1789 ***ad I. dub.***

Benedictina Constitutio salutaribus clausulis munita est, videlicet ***decreto irritanti,*** et ea, quae audit ***sublata :*** quae porro clausulae ea de causa nuncupantur ***salutares,*** quia dispositio,

quae earumdem munimen praesefert, salva ac firma remanet, tametsi consuedo quaelibet etiam immemorabilis eidem obsistat, quae proinde nullam vim et efficaciam explicat, veluti passim Doctores, et S. Rota constituunt, ***Decis.*** 572 ***n.*** 2 ***coram Penia Gerunden Canonicatus*** 3 ***Martii*** 1727 ***n.*** 10 ***coram Calcagnino.*** Hinc est, quod S. C. Conc. huic principio innixa, numquam ullius vel assis aestimavit consuetudinem, quae contra Ben. XIII. sanctionem a partibus opponebatur, ut annatae deponendae obligatio declinaretur, uti videre est in ***Reatina Mediae Annatae*** 12 ***Maii*** 1770 ***et in Amer ina Mediae Annatae*** 13 ***Martii*** 1841.

Observabatur autem in computatione fructuum primo possessionis anno praestandorum non recenseri nisi eos redditus, qui supersunt demptis oneribus fixis ac realibus, minime vero personalibus, ut eadem S. C. Con. edixit in ***Tiburtina Med. Annatae*** 1754 ***et Reatina anni*** 1794. Observandum insuper, quod solutio mediae Annatae exigi queat ad hoc, ut ecclesiae aedificium conservetur, minime vero, ut sacra supellex coematur, ut S. C. Con. resolvit in ***Tusculana*** 20 ***Dec.*** 1727.

His animadversis propositum est resolvendurr

Dubium.

« An et quomodo sustineatur consuetudo de qua in casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Epis. et Regul. re discussa in comitiis habitis die 9 Martii 1866 respondere censuit: ***negative An omnibus, et servetur mandatum Episcopi.***

Ex HIS COLLIGES:

I. In Italia, et insulis adiacentibus pro fabrica ecclesiarum cathedralium et collegiatarum a recens suffectis ***mediam annatam*** solvendam esse.

II. Excipi tamen ecclesias, quae sufficienti patrimonio potiuntur, aut patronatui Communitatum aliarumque personarum obnoxiae sunt.

III. In computatione autem fructuum detrahenda quidem esse onera fixa et realia, minime vero personalia.

IV. Mediae annatae solutionem exigi quidem posse pro tuendo ecclesiae aedificio, non autem pro sacra tuenda supellectili.

V. Eamdemque solutionem declinari non posse praetextu consuetudinis aliter obtinentis.

ORDINIS HIEROSOLYMITANI SUPER IURE FERENDI SUFFRAGIUM.

Die **27** *Aprilis* **1886.**

Compendium facti. Sanctissimus D. N. Apostolicis **Literas** in forma Brevis diei 28 Iulii 1854, quae incipiunt: ***Militarem Ordinem,*** ut ii qui inter Equites Hierosolymitanos referri cupiunt, ***« eam consilii maturitatem afferant, quae in re tanti momenti necessaria est, ne minus considerate agentes, non sine aeternae mlulis detrimento minus accurate ea postmodum servent, quae Deo solemni ritu polliciti sunt*** » derogans statutis et legibus laudati Ordinis, praescripsit, « ***ut in posterum quiqui in Equites Hierosolymitanos professos referri cupiunt, simplicia primum vota emittant, non ante tamen, quam decimum sextum aetatis annum attigerint ; deinde vero solemnia vota profiteri possint, posteaquam integrum decennii spatium defluxerit a simplicium votorum nuniupatione; quae quidem vota simplicia, durante decennii spatio, a singulis Equitibus in singulos annos renoventur, ita ut antequam vota eadem renovent, liberum et integrum iis sit, mutata sententia, ad saecularia vota transire, quo proinde in casu, eos a votis simplicibus, omnique contracta obligatione, Auctoritate Nostra Apostolica, iam nunc dissolvimus, ac solutos declaramus, pariter omnibus honoribus, facultatibus, privilegiis exemptos, quibus antea in Ordine ipso vi eorumdem votorum simplicium emissorum frui poterant, vel fruebantur.»***

Dubitatio quaedam deinde orta est, an Equites in Ordinem cooptati, qui vota simplicia nuncuparunt iuxta Literas Apostolicas) possent convocari in capitula, fieri solita iuxta Ordinis constitutiones, in quibus capitulis negotia Ordinis pertractantur, ita ut suffragium haberent aeque, ac Equites professi vota solemnia.

Omittimus ea, quae occasionem dederunt praesenti controversiae, quae ad iuris quaestionem minus pertinere videntur. In facto est, quod Sacrum Ordinis Hierosolymitani Magisterium, re maturius in examen revocata, emisso decreto, declaravit: Equites dumtaxat professos cum votis solemnibus in capitulis vocem activam habere.

Adversus eiusmodi decretum nonnulli Equites votorum simplicium pertinentes ad Magnum Prioratum Regni N., nixi tum quibusdam factis, tum iuris principiis a SSmo authenticam declarationem postularunt.

Disceptatio synopticis.

PRAECIPUA RATIONUM MOMENTA EQUITUM RECLAMANTIUM. — Ostendebat dicti Equites, in eorum Magno Priorato difficile admodum fore, ut legali numero capitula convocari possent (non sine gravi negotiorum Ordinis detrimento), nisi admitterentur Equites professi vota simplicia.

Verum ad quaestionem iuris quod attinet ostendere studebant ex triplici capite sibi ius competere ferendi suffragium,, nempe ex Literis Apostolicis ***Militarem Ordinem;*** ex analogis decretis, quae respiciunt Ordines religiosos; ex natura votorum simplicium. Ad primum quod attinet, animadvertebant, scopum dictae Constitutionis ***Militarem Ordinem,*** non alium fuisse, quam spirituale bonum eorumdem Ordinis Equitum, non autem iurium et privilegiorum coarctationem : maxime cum in eadem Constitutione, facultate tributa transeundi ***ad vota saecularia*** singulis annis, statim subiungatur, Equites ad saecularia vota transeuntes, ***omnibus honoribus, facidtatibus, privilegiis exemptos declaramus quibus antea in Ordine suo vi eorumdem votorum simplicium emissorum frui poterant, vel fruebantur.*** Quare vi simplicium votorum honores acquiruntur, facultates et privilegia: haec autem non alia certo sunt, quam ea quibus gaudent Equites professis vota solemnia.

Ad alterum quod attinet argumentum animadvertebam iidem reclamantes Equites, plura Decreta emissa fuisse Ordines Regulares respicientia, in quibus professi votorum simplicium participes declarati sunt omnium gratiarum et privilegiorum, quibus professi votorum solemnium in respectivis Ordinibus legitime utuntur, fruuntur et gaudent. Ex quibus iidem Equites inferebant, aequiparari omnino, cum de gratiis agitur et privilegiis, utrosque professos sive votorum simplicium sive solemnium. Privilegiorum autem nomine intelligi omnia et singula privilegia^ inter quae reperitur privilegium ferendi suffragium.

Ad tertium argumentum quod spectat, adnotabant, communem modo esse canonistarum sententiam, votum solemne essentialiter non pertinere ad naturam Ordinis religiosi. Schmalzgrueber sibi quaerens: « an de essentia religionis est, ut vota, quae » in illa emittuntur sint solemnia: » respondit: « non defuerunt » Doctores, qui affirmativam defenderent. Sed tenenda est ne- » gativa sententia, videlicet ad constituendam vere et proprie » dictam religionem satis esse emittere in illa vota simplicia. » Est indubitatum hodie post Constitutionem Gregorii XIII. quae » incipit: ***Ascendente.))*** Et sane, prosequebantur, discrimen inter votum solemne et simplex, substantiale minime esse iuxta ea quae docet doctissimum Suarez : « votum simplex et solemne castitatis » intrinsece est tantum ***promissio,*** cuius naturam non mutat Con- » stitutio inducens vim irritandi matrimonium subsequens.» Quare mirum esse non debet si professi cum votis simplicibus, aequiparentur professis cum votis solemnibus.

PRAECIPUA RATIONUM MOMENTA SACRI MAGISTERII. — Supremus Ordinis Hierosolymitani Magistratus initio conquerebatur ob recursum reclamantium, quin exhausta essent omnia media, quibus uti debent Equites iuxta Ordinis statuta. Ad quaestionis autem meritum deveniens, animadvertebat, ex Constitutione ***Militarem Ordinem*** nihil posse deduci favore reclamantium. Verba enim quae in contrarium afferebantur indeterminata esse , neque referri posse ad capitula vel alia iura, quae ex statutis , iisdem deneganda sunt. Quod si pro Ordinibus religiosis, qui simul in claustro degunt, aliter sit statutum, id formiter declaratum est et expresse. Unde cum in Constitutione ***Militarem Ordinem...*** hoc factum non fuerit, contrarium argui debet. Quod enim Summus Pontifex ***voluit expressit, quod noluit non expressit.***

Observabatur insuper, eodem anno, quo dicta Constitutio edita est, non quidem praesumptionem, sed desiderium quoddam in altero Prioratu patefactum fuisse a quibusdam Equitibus votorum simplicium participandi aliquid ex Commendis, quae forsan vacaturae erant: at restitit supremum Magisterium. Qui enim Ordini non sunt perpetuo ligati, possent frui participatione Commendarum cum animo postea derelinquendi Ordinem. Porro si dicti Equites aequiparandi essent iis, qui se perpetuo Ordini devoverunt per solemnia vota, ratio non

appareret cur etiam in hac participatione aequales non censerentur.

Haec autem omnia vim suam maxime augebant ex sequenti ratione. Fundamentum perinsignis Ordinis Hierosolymitani non aliud est a sua constitutione, quam votum solemne irrevocabile, quod Equitem in ea conditione ponit sese ingerendi in praecipuis negotiis, quae Ordinis gubernium respiciunt. Non enim Equites simul in domo religiosa, vel monastica degunt, si excipias domucn Magistralem. Quare tutamen Ordinis non aliud est, quam dictum solemne votum, quod efficit, ut Equites serio curam habeant de eodem Ordine. Neque Constitutio, ***Militarem...*** Ordinis., fundamentum subvertere intendit; quin imo edita est, ut magis confirmaretur, ut nimirum, qui cooptari cupiunt in Fratres, ***eam consilii maturitatem afferant, quae in re tanti momenti necessaria est, ne minus considerate agentes, non sine aeternae salutis detrimento, minus accurate ea postmodum servent, quae Deo solemni ritu polliciti sunt.***

EA QUAE OBSERVABANTUR EX OFFICIO — Inter alia ***ex officio*** ad ulteriorem declarationem observabatur, quod congregationes de quibus in codice Hierosolymitano sermo est, ad tres diversi generis revocari posse videntur. Prima est capitulum generale: altera capitulum provinciale; tertia ea quae dicitur collecta. In praesenti autem casu agitur de secundis comitiis, in quibus negotia provinciae pertractantur, et specialiter de admissione candidatorum, et de oeconomica administratione. In eiusmodi autem capitulis, iuxta Ordinis statuta, votum non habent ***nisi Fratres, qui tres annos resederint, et expresse emiserint regularem professionem.*** Insuper, ***sub nomine Fratrum illi omnes continentur, qui professionem fecerint in Ordine.*** Haec ex codice Hierosolymitano. Quod autem sub nomine professionis intelligatur solemnis professio, dubitari non potest; quamvis in condendis statutis praevideri non poterat Constitutio, ***Militarem.***

In eo quod spectat ad Ordines religiosos, in quibus vota simplicia solemni professioni praemitti debent, in Constitutione, ***Ad universalem.,*** diei 7 Februarii 18G2 SSmus D. N. pie disposuit ***art.*** 8: ***Anni professionis, qui in dicto Ordine requiruntur, ut quis voce activa et passiva gaudeat, et ad officia admitti possit, a die emissionis votorum- simplicium computentur ; et professi votorum***

simplicium suffragium habeant in actis capitularibus sui Conventus, quatenus et prout habent solemniter professi. Ex quo concludebatur, professos votorum simplicium vocem activam non habere in negotiis ad provinciam spectantibus.

Quin imo dum agitur de admissione aliorum ad solemnia vota, haec resoluta habentur. Rmus Generalis Praedicatorum SSmo Patri supplicavi! pro solutione sequentis dubii: « cum ex » praefati decreti tenore ***art.*** 8 professi votorum simplicium » suffragium habeant in actis capitularibus sui conventus, qua- » tenus, et prout habent solemniter professi, quaeritur: an inter)) huiusmodi actus capitulares recenseantur etiam actus receptio- » nis ad votorum solemnium professionem; nam praeterquam- » quod votorum simplicium professi non sint de corpore pro- » fessorum solemniter, contingere potest, quod professi simplices » numero excedant professos solemniter, et inter eos periculum » collusionis enascatur, cum alii post alios, vel simul, vel post » breve tempus, ad solemnem professionem admittendi sint.»

Cui die 7 Februarii 1862 SSmus respondere dignatus est: ***negative.***

Hisce aliisque animadversis, propositum est resolvendum

lluliiuiia.

« An et quomodo Professi cum votis simplicibus in Ordine » Hierosolymitano ad formam Brevis ***Militarem Ordinem*** ius ha-)) beant ferendi suffragium in capitulis. »

RESOLUTIO. — S . Congregatio Episc, et Reg in comitiis habitis die 27 Aprilis 1866, re mature discussa respondere censuit: ***negative: et amplius.***

Ex ns COLLIGES.

I. Quamvis generatim Professi cum votis simplicibus in Regulari Ordine in pluribus aequiparentur Professis cum votis solemnibus; non tamen eos ius habere sese ingerendi in maioribus Ordinis negotiis cuiusmodi ea sunt quae pertractantur in capitulis provincialibus.

H. Ius tamen habere ferendi suffragium in actis capitularibus sui conventus, quae ad solemnem professionem non referuntur.

III. In perinsigni autem Ordine Hierosolymano it peculiares insuper rationes concurrere, cur ius ferendi suffragium dictis professis in capitulis denegetur.

IV. Neque eiusmodi iuris denegationem opponi Utens Apostolicis, ***Militarem ordinem.*** In iis enim dumtaxat statuitur : derelinquentes Ordinem ea omnia privilegia amittere, quibus vi votorum simplicium frui in Ordine poterant.

V. Quare sub iudice quaestio manebat, an dicti Equites iuro ferendi suffragium fruerentur.

EX S. COliGBEGATIOM INDIMENTIABliM.

Plura iam in nostris ephemeridibus retulimus decreta, quae circa indulgentias versantur, ac Deo favente, prosequemur. Verum cum Sacra Congregatio de qua loquimur, nedum praeposita sit indulgentiarum quaestionibus dirimendis, sed etiam SS. Reliquiarum; hinc referre curabimus huius alterius generis decreta. Quoniam autem rariora eiusmodi decreta sunt, adducemus antiquior, quae quamvis sint evulgata, non tamen noscitur eorumdem decretorum disceptatio per Consultores habita, in qua disceptatione, licet non semper reperiatur ratio decidendi, quam SS. Congregationes ex instituto manifestare non solent: tamen doctrina certe non extranea a ratione decidendi saepe continetur, quae Resolutionem illustrat.

ATREBATEN.

***Die* 31 *Ianuarii* 1848.**

«Cardinalis de la Tour d'Auvergne Lauragais-, Episcopus Atrobatensis in Gallia exposuit, se possidere S. Francisci Salesii

supparum (vulgo ***rochetum).*** Nunc, ut supparuin hoc publicae venerationi exponi possit, exhibitis Sac. Congregationi documentis, quaerit:

I. » An constet de eius authenticitate.

» Et quatenus ***affirmative.***

II. » An eidem cultus sit permittendus. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Indulgentiis, sacrisque reliquiis praeposita visis documentis, auditisque Consultorum votis sub die 21 Ianuarii 1848 respondit:

Ad 1. ***non constare.***

Ad II. ***provisum in primo.***

Totum unius ex consultoribus in compendium redactum.

Ex allatis documentis colligebatur Episcopum oratorem possidere supparum ipsi dono datum a quodam D. HeameDesservante de Boningues les-Ardres, qui asserebat se dictum supparum haereditate consecutum a patruo Ioanne Francisco Heame Parocho S. Petri Lugduni, qui diem supremum obiverat an. 1818, et qui pluries testatus erat supparum illud ad S. Franciscum Salesium pertinuisse; ct se quidem nescire quomodo hoc supparum in manus patrui devenisset, dubitare tamen non posse de rei veritate ob satis perspectas eius virtutes. Ex epistola vero Episcopi Anneciensis sub die 14 Novembris 1840 ad Emum Episcopum Atrebatensem desumebatur, praedictum Parochum Franciscum Heame recepisse anno 1791 a quadam JYloniali Visitationis supparum asservatum in primo Monasterio, ex relatione cuiusdam Canonici Lugdunensis, qui fuerat unus ex Vicariis Heame dum Parochi munere fungebatur. Denique aderat testimonium cuiusdam Foeminae huiuscemodi artis peritae, asserentis sibi videri supparum redolere aetatem decimisexti saeculi.

Hisce praehabitis Consultor (1) sibi duxit inquirendum, utrum haec documenta sufficerent ad constituendam eam certitudinem quam Benedictus XIV. ***De Serv. Dei Beati f. lib.*** 4. ***p.*** 2 ct alii asserunt esse necessariam in ferendo iudicio de identitate Reliquiarum; animadvertendo insuper quod cum Apostolica approba-

{i) **Ulffius et Ritus Philippus Can.Cossa.**

tic- maioris momenti sit, quam approbatio Episcoporum, validic* probationum series requiritur, ut ostendit ibidem idem Benedietus XIV.

Perpensis itaque documentis, duo haec ex eisdem morali certitudine constare debere asseruit Consultor; nempe 1. Supparum traditum a Moniali esse Sancti Francisci: 2. reapse idem semper apud diversos possessores permansisse. Quoad primum, simplex erat coniectura, licet valde probabilis, indumentum hoc S. Francisci reperiri apud Moniales, quarum ipse Institutor fuit,, cui coniecturae pondus accedebat ex testimonio supradictae foeminae artis peritae asserentis supparum ea aetate elaboratum fuisse, qua adhuc Sanctus viveret. Quoad vero alterum, existebat series testium quae facto Monialis ad nos usque pertingebat: Monialis enim supparum tradiderat Ioanni Francisco Heame qui reliquit népoti, a quo orator Episcopus acceperat. Verum mre animadvertebat Consultor omnes has probationes fundamentum habere in facto illius Monialis, quod insuper ex relatione de auditu constabat, vel potius in testimonio Heame, qui narravit se a Moniali recepisse supparum, quod existimavit esse S. Francisci, et a quo Heame omnes hanc hauserunt notitiam nobisque tradiderunt sive Canonicus Lugdunensis qui Vicarius eius fuit, sive nepos; qui omnes acquieverunt relationi saepius memorati Heame. Itaque res tota in casu nostro peragebatur testimonio unius, cum ex regulis critices plurium testium affirmatio idem narrantium ab uno acceptum non maiorem fidem, quam ille unus mereatur ; ideoque concludebat Consultor, constare quidem, praedictum Heame doctrina et probitate pollentem, aliqua usum esse diligentia ad identitatem huius suppari cognoscendam, et posteris significandam, praesertim cum secum illud ipse detulerit in varias regiones difficillimis reipublicae temporibus: attamen eiusmodi probationem non sufficere; cum agatur non de Reliquiis approbatis, sed quae nunc primum approbandae erant ; ideoque non constare de identitate reliquiae in casu.

Quam opinionem confirmabat ex Responsione S. R. C. relata a Benedicto XIV. in opere cit. ***Lib.*** 4. ***Part.*** 2. ***cap.*** 25. Hic Pontifex narrat quid in quadam causa Fanensi resolutum fuerit, cum ipse Promotoris Fidei munere fungeretur, scilicet: cum i»

Monasterio Monialium S. Theresiae illius civitatis quaedam Mitra conservaretur, quae dicebatur esse S. Pii V., itemque Indumentum, quod dicebatur esse S. Felicis a Cantalicio, et Episcopus quaereret, an ipse permittere posset ut Mitra et Indumentum ad publicam exponerentur venerationem, negativum responsum prodiit, uti colligitur ex decreto edito die 13 Iulii 1709. Tota enim identitatis probatio desumebatur ex attestatione cuiusdam sororis Agathae Catharinae annos natae nonaginta, quae praevio iuramento rite interrogata dixerat, se a teneris annis fuisse Romae educatam in Domo Rusticuccia, antequam Fanum pergeret religiosam professionem emissura ; seque in eadem domo Rusticuccia vidisse magna cum veneratione asservari Mitram B. Pii V. et Indumentum praedictum; Mitram autem et Indumentum, quae erant in domo Rusticuccia, esse illa, quae in suo Monasterio S. Theresiae reperiebatur. Porro quamvis testimonium esset verisimile, aliisque probabilibus coniecturis fulciretur, tum propter familiaritatem et sanguinis necessitudinem quae inter S. Pium V. et Card. Hieronymum Rusticuccium intercesserit, tum quia idem Card. pio mentis affectu S. Felicem a Cantalicio prosequebatur, ita ut post eius obitum curaverit apud se habere partem indumenti: unicum tamen foeminae licet piae et religiosae testimonium, adminiculis quoque vallatum, non fuit reputatum sufficiens ad constituendam illam probationem, quae est necessaria, ut ad publicum cultum Reliquiae exponi possint.

Si itaque Episcopi petitio negativam retulit responsionem in quaestione de identitate praedictarum reliquiarum, in qua testis iuratus narraverat de cultu privato exhibito iisdem Reliquiis eo tempore, quo vix sexaginta anni effluxerant ab obitu illorum Sanctorum, multo magis arguebat Consultor, in praesenti quaestione id locum habere; cum a morte S. Francisci, quae contigit die 28 Decembris 1622, pene duo saecula transacta essent, ad annum 1791, quo Monialis hoc supparum donavit; cuius tamen testis nec oculata, nec iurata adfuerat. Neque obstare videbatur responsio, qua neminem eorum, quorum venerationi oblatum erat supparum spatio viginti duorum annorum, dubitasse de eiusdem authenticitate; haec enim simplex persuasio et animi acquiescientia, quae a bona fide oriebatur, nequa-

quam inter signa (annumeratur ad authenticitatem reliquiarum comprobandam , nisi forte ad venerationem praesumptae reliquiae, et ad invocationem S. Francisci Deus mirabilia operatus esset. Hoc enim in casu res definita dicenda foret, si in humanarum attestationum subsidium testimonium divinum intervenisset.

Ex ns COLLIGES:

I. In genuitate praesumptae reliquiae diiudicanda, quae saltem publicam immemorabilemque venerationem sibi non vindicet, Sanctam Sedem non acquiescere illi probationi, quae probabilitatem , et quidem gravem de eiusdem praesumptae reliquiae genuitate gignat; non tamen moralem certitudinem (1).

II. In praesenti autem casu ex documentis adductis, concludenter non probari praesumptam reliquiam fuisse genuinum supparum S. Francisci Salesii.

ORDINIS PRAEDICATORUM.

CONFRATERNITATIS SANCTISSIMI ROSARII.

***Die ii Aprilis* 1864.**

DECRETUM. «Cum Sacr. Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita declarasset per Decretum dici 19 Augusti 1747 approbatum et confirmatum sub die 20 praedicti mensis a sa. me. Benedicto XIV. Sodalitates SSmi Rosarii erectas, inscio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, Indulgentiis in Brevi Apostolico

(i) Cum dicimus moralem certitudinem, eam intelligimus stricto veroque sensu acceptam. Notum siquidem est usu invaluisse eiusmodi expressionem, qua aliquid dicitur *moraliter certum,* cum menti non occurrat probabilis ratio cogitandi de opposito. Haec tamen est potius quaedam animi acquiescientia, qua iugiter utimur in vitae consuetudine; non autem est vera moralis certitudo, quae semper haberi non potest. Quaelibet enim certitudo, sive ea sit quae moralibus motivis; sive ea sit quae physicis naturae legibus innitatur ; sive ea quae principiis metapbysicis fulciatur, nisi possibilitatem oppositi excludat, nunquam erit certitudo, sed maior vel minor rei probabilitas.

expressis non gaudere, tamen plures Episcopi in propriis dioecesibus etiam nunc Sodalitates instituunt sub titulo SSmi Rosarii vigore Apostolicarum facultatum, quae ab ipsis impetrantur in genere, erigendi nempe Sodalitates cuiuscumque tituli et invocationis (1); itaque hodiernus Magister Generalis eiusdem Ordinis Praedicatorum eidem Sacrae Indulgentiarum Congregationi dubium solvendum proposuit.

» Utrum absque expressa mentione derogationis privilegii » Ordini praefato concessi, et sola vi generalis communicationis » Indulgentiarum quibus gaudent Archiconfraternitates Urbis, « Confraternitatibus, quae in aliqua dioecesi sub iisdem titulis » ab Ordinario eriguntur, concessae; etiam Societates sub titulo » SSmi Rosarii absque Magistro Ordinis Praedicatorum institutae, » Indulgentiis huic Societati elargitis frui possint et valeant.»

« Cum autem praefatum dubium in Congregatione habita die 29 Februarii 1864 in Palatio Apostolico Vaticano ab Emis Patribus fuerit rite discussum, respondendum esse duxerunt -

(1) Formula Brevis per quam ab Apostolica Sede Episcopis facultas impertitur •erigendi Sodalitates, est sequentis tenoris.

Pius PP. IX.« Venerabilis Frater Salutem et Apostolicam Benedictionem- Pias fidelium Confraternitates Sacris Indulgentiarum muneribus quorum Nos esse voluit dispensatores Altissimus, eo consilio ditare solemus, ut quae earum Sodales christianae pietatis ad charitatis opera exercere soleant, maiori cum animarum suarum fructu in Domino adimpleant. Cum igitur sicut exponendum curavisti Nobis, Venerabilis Frater, admodum tibi sit in votis, ut de Auctoritate tibi liceat utriusque Sexus Christifidelium Confraternitatibus quas per Dioecesim tuam canonice instituens, omnes Indulgentias impertiri, quibus gaudent Archiconfraternitates sub eisdem titulis Almae huius Urbis Nostrae, Nos hisce tuis piis votis obsecundare, quantum in Domino possumus, voluimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei Misericordia, et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, tibi, Venerabilis Frater, tenore praesentium ad quinquennium proximum tantum elargimur, ut confraternitatibus huiusmodi tam in Parochialibus, quam in aliis ecclesiis huius tuae civitatis ac dioecesis N. a Te erectis vel erigendis omnes et singulas plenarias et partiales Indulgentias caeterasque spirituales gratias,' quae Archiconfraternitatibus sub eisdem titulis de Urbe, aliisque ab hac S. Sede Apostolica respective concessae sunt, in perpetuum respective item communicare libere ac licite possis, nec non Rectoribus respectivis pro tempore existentibus potestatem facere, fideles in easdem pias Confraternitates adscribendi , itemque Scapularia, seu Rosaria et Coronas pro Sodalibus benedicendi. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis etc.» Deinceps in hac formula Confraternitas SS. Rosarii expresse excipietur.

Provisum per responsum ab hae Sac. Congregatione die 19 Augusti 1747confirmatum a Benedicto XIV. die 26 praedicti mensis, facto verbo cum SSmo - Facta deinde per me infrascriptum Substitutum SSmo Dno Nostro Pio PP. IX. relatione in Audientia diei 11 Aprilis eiusdem anni Sanctitas Sua votum Eminentissimorum Patrum benigne confirmavit. Etsi autem per praefatum Benedicti XIV. decretum cautum sit, ne in posterum, virtute Brevis Apostolici in genere impetrati, erigantur Confraternitates SSmi Rosarii inconsulto Magistro Generali Ordinis Praedicatorum, tamen ne devotionis fervor tepescat, sed potius Sodalium pietas magis augeatur et florescat, Sanctitas Sua Confraternitates tali modo hactenus erectas, dummodo nihil aliud obstet, motu proprio, ac de plenitudine potestatis sanavit et validas esse declaravit, contrariis quibuscumque etiam speciali mentione dignis, non obstantibus. Idem vero SSmus Dnus Noster de plenitudine pariter potestatis voluit et expresse mandavit, ut in posterum Confraternitates SSmi Rosarii nonnisi ad formam decreti Benedicti XIV. erigantur (1), servatis insuper caeteris de iure servandis.»

Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 11 Aprilis 1864.

Fr. ANTONIUS M. Card. PANEBIANCO Praef.

A. ARCH1P. PfilNZlYALLI Substitutus.

(i) Sequentis tenoris est iudicatum decretum.

CONSTANTIEN. **« Cum experientia compertum sit nonnullas Sanctissimi Rosarii Confraternitates auctoritate dumtaxat Ordinaria, irrequisito Magistro Generali Fratrum Ord. Praedica torum, erigi, ac pro illis Apostolicum Breve cum Indulgentiis, cuicumque Confraternitati canonice erectae et erigendae generaliter concedi consuetis, expediri, nonnulli extra Urbem ac praecipue quidam ecclesiastici Viri et sanguinis nobilitate, et morum probitate insignes ex dioecesi Constantiensi recte dubitarunt, num huiusmodi Confraternitates canonicae reputari valeant, ac revera subsistant? Quare eorum nomine duo subinserta dubia Sac. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae fuerunt exhibita: 1.»** ***An si inscio P. Generali Ordinis Praedicatorum per Ordinarium erigatur Confraternitas Sanctissimi Rosarii, Confratres re ipsa fruantur Indulgentiis in R r evi Apostolico per eosdem obtento expressis?*** **et quatenus affirmative:** ***2." An fruantur etiam aliis Indulgentiis in dicto Brevi Apostolico obtento non expressis, quas tamen aliis Confratribus Sanctissimi Rosarii a diversis Summis Pontificibus concessas esse constat, ut in Dominicis menstruis, aut aliis diebus?*** **Hisce autem dubiis Sac. eadem Congregatio die 19 Augusti 1747 rationum momentis serio matureque perpensis respondendum esse censuit : Ad utrumque**

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

BOWWA SEU AXBIKGANEjtf.

CANONIZATIONIS

BEATI LEONARDI A PORTU MAURITIO

IHSSIONARH APOSTOLICI ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI
STRICTIORIS OBSERVANTIAE
IN SACRO RECESSU SANCTI BONAVENTURAE URBIS
SUPER DUBIO

An constet de Miraculo instantaneae perfectaeque sanationis Elisabeth Boutourò a Scirrho glandulae mammariae dexterae in occultum cancrum converso cum integra virium reparatione in casu et ad effectum de quo agitur ?

DECRETUM. « Vir potens in opere et sermone coram Deo et omni populo fuit quidem Beatus Leonardus a Portu Mauritio, qui pauperismo Seraphici Sancti Francisci habitu spirituque indutus per plures annos incipiens ab hac Alma Urbe circuivit civitates et castella praedicans Evangelium, et poenitentiam in remissionem peccatorum. Ministerium huiusmodi recte implens errantium corda contrivit; sedentibus in tenebris lumen veritatis admovit; pauperum necessitatibus praesto fuit; aegrotis divinam humanamque attulit opem; afflictis solamen praebuit; annum Domini

« *Negative.* » De quibus omnibus facta per me infrascriptum eiusdem Sac. Congregationis Secretarium die 26 praedicti mensis Sanctissimo Domino Nostro Benedicto PP. XIV. relatione, Sanctitas Sua ipsumet votum benigne approbando confirmavit. Ne tamen huiusmodi Confraternitatum inconsulto eodem Magistro Generali erectarum fervor tepescat, sed magis magisque illarum Confratrum et Consororum devotio potius augeatur, omnes et singulas cuiuscumque Confraternitatis Sanctissimi Rosarii erectiones in praefata Constantiensi dioecesi inscio Magistro Ordinis Praedicatorum pro tempore existente Generali hactenus factas Motu proprio, ac de plenitudine Suae Apostolicae Potestatis sanavit, ac validas esse declaravit: immo praedictae dioecesis Constantiensis populum specialibus favoribus prosequi volens, etiam hodierno eiusdem Ordinis Praedicatorum Magistro Generali humillime supplicante, iisdem Confraternitatibus sic erectis praeter Indulgentias in respectivo earum obtento Brevi expressas, etiam omnes et singulas alias Confraternitatibus Sanctissimi Rosarii ad formam Constitutionis

acceptum, et diem retributionis annuntiavit. Laboribus deinde fractus operarius inconfusibilis in osculo Domini conquievit. Dei autem dextera ad Superos exaltatus Leonardus miraculorum gloria clarescere coepit; quibus penes Sacrorum Rituum Congregationem, post virtutum examen, rite probatis, a Summo Pontifice Pio VI. sanet. mem. inter Beatos adnumeratus est. Verum cum ille in terris agens admodum concupiverit, ut doctrina de Virginis Deiparae Immaculato Conceptu dogmatice definiretur, idcirco Dei cuncta suaviter disponens sapientia constituit, ut post altarium honores Beato Leonardo tributas, et post op latissimam illam dogmatis definitionem novis eumdem refulgentem prodigiis praestantiori cultu Christifideles prosequerentur. Et quamvis ab anno millesimo octingentesimo trigesimo nono eadem Sacrorum Rituum Congregatio de duobus Miraculis tunc propositis examen instituisset; factum tamen est ut unum dumtaxat Summus Pontifex Gregorius XVI. san. mem. probaverit, ac sexta decimo Kalendas Aprilis per decretum edixerit ***« Constare de primo ex propositis Miracidis in tertio genere,*** scilicet: ***subitae perfectaeque sanationis Laurae Cardelli Virginis ab inveterata hoematuria cum pure ex ulcere interno, viribus integre restitutis. »*** Alterum ergo erat desiderandum Miraculum, quo ad decretoriam Canonizationis Sententiam deveniri posset. Hoc Deus Omnipotens, Leonardo adprecante, in Urbe Constantinopolitana operatus est,

S. Pii V. diei 28 iunii 1569 **incipien. *« Inter desiderabilia etc. »* canonice erectis ab Apostolica Sede quomodocumque concessas clementer indulsit. In posterum tamen ut quodcumque dubium et quaevis abusus aut molestiae vel perturbationis occasio prorsus removeatur, idem Sanctissimus D. N. de Apostolicae pariter Plenitudine Potestatis voluit et expresse mandavit, quod non alijer Confraternitates seu Societates Sanctissimi Rosarii erigantur, nisi requisitis prius et obtentis iuxta formam a S. Pio V. in praeallegato Brevi praescriptam a Magistro laudati Ordinis Praedicatorum pro tempore existente Generali litteris facultativis, ut alias a S. Rituum Congregatione die** 9 **Aprilis** 1661 **resolutum fuit, et ab Auditore Generali Suae Apostolicae Camerae in consimili causa anno 1603 per sententiam definitum. Supra dictus vero Magister Generalis prc* huiusmodi Confraternitatum erectione consuetas litteras Sacerdotibus sui Ordinis vel ubi horum Conventus non existat, aliis ecclesiasticis personis, sive Regularibus, sive Saecularibus etiam Episcopo benevisis expediat, ipsaeque litterae nonnisi de consensu Ordinarii, servatisque reliquis omnibus in huiusmodi erectionibus ex Apostolicis Constitutionibus servandis, ac servari solitis, executio!» mandentur.»**

FR. I. **Card.** PORTOCABRERO **Praef.**

A. M. Erba Prot. Apostolicus Secret,

ut in longinquis etiam regionibus, et inter ipsos infideles Servi Sui Sanctimoniam declararet. Instructo itaque Apostolica Aucto-ritate, confirmatoque Processu, ter de more apud Sacrorum Rituum Congregationem eiusmodi prodigium ad examen vocatum est: scilicet in Antepraeparatorio Conventu Nonis Septembris anni MDCCCLXV. in Aedibus Reverendissimi Cardinalis Ludovici Altieri Episcopi Albanensis Causaeque Relatoris coacto : mox in Praeparatorio Coetu Reverendissimorum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum in Palatio Vaticano collecto quarto Idus Aprilis vertentis anni: denique in Generalibus Comitiis in eodem Palatio Vaticano habitis sexto Kalendas Iulii eiusdem anni, ubi coram Sanctissimo Domino Nostro **Pio** PAPA IX. tam Consultores, quam Reverendissimi Patres Cardinales proprias exposuere sententias. Quibus auditis Sanctissimus Dominus supremum suum distulit proferre iudicium, cunctosque excitavit suffragatores, ut preces secum funderent ad impetrandam sibi divini Spiritus illustrationem.

» Tandem hac die, qua Christifideles Anniversarium recolentes dedicationis BasMicae S. Mariae Angelorum de Portiuncula nuncupatae Indulgentiam Plenariam lucrari solent, Sanctitas Sua ut in hac piissima exercitatione ipsis esset exemplo Fidelibus, postquam Eucharisticum Sacrificium in privato suo Oratorio devote obtulisset, ad hanc Ecclesiam Stigmatibus S. Francisci sacram se contulit: ubi cum Sacro adstitisset, in solio assidens ad se accivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et S. Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, simulque Reverendissimum Cardinalem Ludovicum Altieri Episcopum Albanensem Causae Relatorem una cum R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, quibus adstantibus declaravit: ***Constare de Miraculo, Bealo Leonardo interveniente, a Deo patrato ;*** videlicet ***instantaneae perfeclaeque sanationis Elisabeth Bouzourò a Scirrho glandulae mammariae dexterae, in occidtum cancrnm converso, cum integra virium reparatione.***

)) Huiusmodi Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congr. referri mandavit quarto Nonas Aug. an. MDCCCLXVI.»

C. Episcopus Port. et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

LOCO)$(Sigilli D. BvniOLiNi S. R. C. Secretarius.

ROMANA SEU ALEX. ET AQUEIfT.

CANONIZATIONIS

BEATI PAULI A CRUCE

FUNDATORIS CONGR. CLERICORUM EXC ALCE ATORUM
SANCTISSIMAE CRUCIS ET PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

SUPER DUBIO

An et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

DECRETUM. «Christi in carne passi Beatus Paulus a Cruce iugi armatus cogitatione eamdem inter Christifideles quoad vixit adnisus est excitare, ut desinerent a peccatis, et reliquum vitae in Dei voluntate viverent. Ideo nihil aliud scire iudicans nisi Iesum Christum et hunc crucifixum, Crucis vexillo munitus ipse cum Alumnis Congregationis a Christi Passione cuius Institutor fuit, per urbes, pagos et villas cursitans tenebrarum potestatibus bellum indixit, et omnes verbo et exemplo hortatus est ut abnegantes impietatem et saecularia desideria eamdem Christi crucem in numeros tollerent, ipsius sequerentur vestigia, et communicarent passionibus expectantes beatam gloriae eius revelationem. Postquam bonus Christi miles in hoc certamine innumeram hominum multitudinem a diaboli servitute abducens filiorum Dei agmini accensuit, senio confectus evangelici laboris manipulos secum deferens cum exultatione in gaudium Domini intrare meruit. Sanctitatis eius fama undique diffusa ob suavissimum virtutum odorem ac prodigiorum copiam, quibus Deus ipsam confirmatam voluit, de iisdem Virtutibus primum et de Miraculis deinde severissimam actum est iudicium penes Sacrorum Rituum Congregationem. Quibus lucidissime probatis Sanctissimus Dominus Noster Pius PAPA IX. Paulum a Cruce Beatorum albo inscripsit Kalendis Maii anni millesimi octingentesimo quinquagesimi tertii. Verum post Altarium honores ei

tribulos claritas Dei in signorum virtute ita Beatum Paulum circumfulsit, ut omnes sublimem illam gloriam, quam servo huic iideli fruendam dedit in coelis suspicerent. Itaque cum duo proposita fuissent miracula de quibus a Sacrorum Rituum Congregatione examen institueretur, triplex eadem subiere experimentum, videlicet in Coetu Antepraeparatorio apud aedes Reverendissimi Cardinalis Constantini Patrizi Episcopi Portuensis ct Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti, Causaeque Relatoris, decimoctavo Kalendas Decembris anni MDCCCLXV. collecto: dein in Praeparatorio Conventu Reverendissimorum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum in Palatio Apostolico Vaticano Idibus Maii vertentis anni coacto: in generalibus denique Comitiis in eodem Palatio Vaticano coram Sanctissimo Domino Nostro habitis pridie Kalendas Augusti eiusdem anni, ubi tum Consultores tum Reverendissimi Patres Cardinales proprium pandidcre consilium. Omnibus auditis Beatissimus Pater censuit suum ulterius protrahendum iudicium, «t interim etTusis precibus lucem a Patre luminum exposceret ct auxilium.

» Tandem hac die Dominica xiv. post Pentecosten, cum prius in suo privato Sacello divina mysteria devotissime celebrasset, in aula nobiliori Palatii Vaticani ad se accivit Reverendissimum Cardinalem Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum atque Causae Relatorem, una cum R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, ct me infrascripto Secretario, quibus adstantibus rite pronuntiavit: ***Constare de duobus Miraculis,*** Beato Paulo a Cruce intercedente, a Deo patratis; scilicet de primo ***Multiplicationis tritici in recessu Congregationis Passionis apud Forum Cassii ;*** ac de altero ***Inslanlaneae perfectaeque sanationis Rosae d' Alena a tumore canceroso.***

» Huiusmodi Decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit VII. Kalendas Septembris Anni MDCCCLXVI »

C. Epis. Portuen. et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

LOCO Signi D. BARTOLJNI **S.** R. C. **Secretarius.**

EX S. CONGREGATIONE IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE.

PETITIONIS CINGULI MILITARIS.

Die 22 *Ju(P>*ti* 1843.

Compendium facti. Titius solemnia vota Deo nuncupaveraf in Ordine regulari N., ac Ordines minores suscepit: cum autem ianguescente sua vocatione, nimis sibi gravem deinde persentiret regularem disciplinam, pluries institit ut gratiam, quam ***saecularizationis*** appellant, obtineret; ac reapse obtinuit sequenti resevi-
» pto: « facta relatione supradictae instantiae SSmo D. N. Papae
» Gregorio XVI. per me infrascriptum S. Congregationis super di-
» sciplina Regulari Secretarium - SSmus attenta informatione et.
» voto tam Emi Cardinalis Episcopi Imolen., quam P. Procuratoris.
» Generalis Ordinis ... perpensisque peculiaribus circumstantiis in
» hoc casu concurrentibus, quatenus Orator ad aliam S Congrega-
» tionem pro eodem recursum non habuerit, aliter sub poenis nul-
» litatis, aliisque iuxta decreta Innocentii Xli. 4 Iunii 1692, et Cle-
D mentis XIII. 15 Aprilis 1768, benigne annuit pro gratia perpetuae
» saecularizationis, arbitrio et prudentiae memorati Emi Episcopi*
» qui constito sibi de veritate expositorum indulgere queat, ut ipse
» .Orator in saeculo extra suae Religionis claustra in habitu cleri-
» caii, vel decenti saeculari, quoad vixerit, commorari licite possit
» et valeat, servatis tamen per eumdem substantialibus Votorum
» suae Religiosae Professionis, quae semper, quantum in statu
» huiusmodi commode heri poterit in suo robore remaneant,
» retentoque interius ad excitandam iugiter istius obligationis
» memoriam aliquo sui habitus regularis signo, nec non obedien-
» tiae et iurisdictioni Ordinarii, in cuius dioecesi vel territorio»
» ipsum immorari contigerit, omnimode subsit, in vim etiam so-
li lemnis obedientiae voti, atque Eidem praesens Indultum exhi-
» bere teneatur Ordinationibus Apostolicis. . . . .non obstanti-
» bus etc.))

Anno circiter eiapso ab huiusmodi indulto obtento, Titius petiit a SSmo facultatem se adscribendi inter milites Pontificiae

Ditionis, qui sunt a publica civium securitate vulgo ***Carabinieri,*** causas interserens tum paupertatis, tum etiam quod vota non sese opponunt militari officio; ac pro parte sua nuncium mittebat cuivis iuri personalis immunitatis. Remissis precibus ad S. C. Immunitatis examen super hac re institutum fuit.

Disceptatio synontica.

Observabatur ***ex officio,*** indultum Saecularizationis a votis solemnibus nullimode professum solvere: concedit enim facultatem dumtaxat vivendi extra claustrum, manentibus in sua substantia votis castitatis paupertatis et obedientiae, quam locali Episcopo Titius, ex vi voti peculiari ratione praestare tenebatur.

Porro eiusmodi votorum observantia valde difficilis reddebatur in eo stadio militaris vitae, quod suscipere optabat Titius.

Obligatio enim in eum speciali ratione incumbebat, quamvis extra claustra degeret, viam perfectionis iugiter sectandi, et removendi a se pericula fidem Deo datam violandi.

Quamvis autem inter milites non defuerint sancti viri, quemadmodum historiae narrant de Mauritio, et Eustachio; nihilominus non sine speciali prodigio virtutem eo in statu colere poterit Religiosus professus, qui dumtaxat ratione egestatis cingulum militarem quaerit, cui insuper, in indulto obtento extra claustra vivendi, obligatio declarata est obediendi peculiari ratione proprio Episcopo.

Post haec, nonnulla observabantur circa privilegia fori et canonis, quae privilegia si simplices Clerici amittere possunt in quibusdam adiunctis, non ita amittunt illi, qui votis solemnibus obstringuntur. Et ad privilegium fori quod attinet, adducebatur exemplum in causa ***Anagnina fori sive immunitatis*** diei **6** Iunii 182G. In ea agebatur de quodam laico professo, qui obtento saecularizationis indulto, se cuidam sordidae arti mancipaverat: ema autem aes alienum contraxisset, et solvendo impar esset, in: laicum forum vocatus, damnatus fuit ad sancitas poenas subeundas. Interposita ab hac sententia appellatione ad superius tribunal ; dubitatum fuit super validitate prioris sententiae ***ex defectu iurisdictionis.*** Et proposita causa coram S. C. Immunitatis sub dubio : « an loseph. . . Professus Ordinis (N.) legitime

» saecularizatus gaudeat privilegio fori etiam m casu de quo » agitur: » responsum prodiit: ***affirmative, et ad mentem: mem est, ut Episcopus cogat Iosephum, . . . ad incedendum in habitu decenti, et ad se abstinendum a quacumque arte sordida, et indecora.*** Porro, animadvertebatur, qui militiae dat nomen, militari imperio subiectum esse, et privilegium fori facile laesum iri. His aliisque animadversis propositum S. C. fuit

Dubium.

« An petitioni, qua Clericus professus. . . saecularizatus in- » stat pro cingulo militari, sit annuendum.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio ecclesiasticae Immunitati praeposita, causa cognita die 22 Augusti 1843 respondere censuit: ***negative.***

Ex us COLLIGES:

I. Per indultum saecularizationis, quod a Sancta Sede interdum impetratur, vota solemnia non solvi.

II. Quare praecipui quos producit eiusmodi Indultum effectus sunt commutatio claustri cum propria domo, et commutatio Superioris cui est obediendum.

HI. Manet proinde eiusmodi professis a populo christiano distinctus ratione dignitatis, quam coram Deo et Ecclesia acquisivit vota nuncupando: unde nec fori privilegium amittit.

IV. Cum eiusmodi ergo statu, neque status militaris congruit, neque sordidae et indecorae artis officium.

PARRIGIDII.

Die 19 *Novembris* 1849 *et* 13 *Augusti* 1850.

Compendium facti. Cum Titius pulmentum quoddam sibi paratum degustasset acribus doloribus correptus in persuasione propinati sibi a filio veneni violenter decessit, eiusque cadaver humi conditum est.

Verum perlata veneficii fama, Fiscus pro sui officii munere exhumandum esse Titii cadaver existimavit, et illud peritorum inspectioni subiiciendum, ut de corpore delicti constare posset.

Cum autem ageretur de actu laicae iurisdictionis exercendo in loco sacro, non omisit Fiscus debitam petere facultatem ab Episcopo loci pro cadaveris exhumatione, quam Epicopus facultatibus Apostolicae Sedis praemunitus ultro concessit.

At (ignoratur quomodo id acciderit) in facultatis Uteris Fisco ab Episcopo concessis error nominis cadaveris exhumandi irrepsit: namque expressa in iis fuit facultas effodiendi cadaveris Sempronii,

Etfosso tamen cadavere Titii, vestigia veneni patefacta sunt. Quare, processu criminali peracto, Titii filius reus repertus, morte est damnatus. Ab hac damnationis sententia iam pluries confirmata ad supremum tribunal pro causae revisione appellavit. Eius porro Defensor inter alia contendebat violatam fuisse ecclesiasticam immunitatem ex duplici capite, tum quia facultas facta Fisco non erat effodiendi cadaver Titii sed Sempronii; tum quia Episcopus in eiusmodi facultatis literis ***protestationem*** non emiserat, quae praescribitur in capite ***Praelatis de Homicida in*** 6., quae protestatio facienda iniungitur etiam in literis, qui» bus S. Sedes eiusmodi facultates Episcopis impertitur (1).

(i) Literae, quibus facultates per Sacram Congregationem Immunitatis Episcopis extra Italiam in re de qua agimus tribuuntur, sunt sequentis tenoris.

I/Itile ac lime Domine uti Frater : « Liber , promptusque iustitiae cursus exigit, ut io ecclesiis, aut locis immanibus, et praecipue in nosocomiis legalis sumatur recognitio super eos. qui vulneribus forsan ex scelere sauciat?, aut iam morte deleti ibi adhuc detinentur. Hac sane de causa SSifius Dominus noster per Enlos et Rifios Patres Sacrae huius Congregationis super ecclesiastici* Immunitate praepositos benigne Indulget, ut Amplitudo Tua pro arbitrio et prudentia veniam dare queat Ministris Curiae laicalis ad effectum praefatos vul-

Supremum itaque tribunal seipsum incompetens agnoscens ad iudicandum super hoc exceptionum capite, quod respicit ecclesiasticam immunitatem, illud iudicandum remisit S. Congregationi Immunitatis, et propositis dubiis: I « an sit laesa immu-
» nitas eo quod per errorem nominis, habita ab Ordinario facultate (instante Fisco pro extractione a loco immuni cadave-
» ris cuiusdam nomine ***Titii*** qui ex dolo erat occisus), in Rescripto Ordinarii et fortasse in supplici libello notaretur nomen
» ***Sempronii*** pro ***Titii.*** » II. « An in casu ob omissionem protegistationis ad verba ***Cap Praelatis,*** sit pariter laesa immunitas.» Quibus S. C. Im. die 19 Novembris 1849 re cognita, respondit: ***ad utrumque negative.***

At non acquievit Defensor huic Resolutioni, et favore Rei iterum novam audientiam postulavit; quae eidem concessa est, dummodo intra viginti dierum spatium suas allegationes deduceret.

Disceptatio syiioptica.

DEFENSIO REI.—Ut ostenderet Rei Defensor violatam fuisse in processu conficiendo ecclesiasticam immunitatem, ut proces-

neratos, nec non cadavera transferendi tuta sub custodia in opportunum et finitimum locum , ubi comode ab ipsa saeculari Curia, cum assistentia tamen ecclesiasticae coelibis personae, omnia et singula acta ad necessariam corporis delicti assumptionem, reorumque inculpationem perfici poterunt, ut ad omnes legales usus adhibeantur, sicque absque ulla immunitatis laesione crimina pu^niantur, et coerceantur. Ita igitur Amplitudo Tua, vel ecclesiastici Ministri ad placitum Tuum delegati utantur facultate, quae ad triennium tantum a Sanctitate Sua tribuitur, et cum praeservatione insuper a quacumque irregularitate, dummodo per Te, vel per ipsos delegatos ecclesiasticos assueta emittatur Canonica Protestatio ad formam *Cap. Praelat, de Homicid. in* 6 Quod si vulnerati ita graviter decumbant, ut mortis discrimen ipsis imminere videatur dum in proximiore!!) locum sint transferendi, poterit Amplitudo Tua laicalis Curiae Ministris facultatem facere accedendi ad Immune, ubi adstante Clerico in coelibatu existente a Te deputando , ut supra , assumptionem corporis delicti, et inculpationem excipiant, et utrisque actis utantur in prosecutione iudicii, ea imposita conditione, ut laici Ministri in ambobus iis casibus processum incipiant ab inculpatione a vulneratis emissa, quae, si personam ecclesiasticam respexerit, praedictis Ministris ab ulteriorum actuum confectione sese abstinendi legem ferat: et interim Amplitudini Tuae fausta omnia deprecantur.»

Similes facultates in re de qua agimus, conceduntur Episcopis Pontificiae Ditionis , et integrae Italiae.

sus confecti nullitas comprobantur, duobus indicatis exceptionum capitibus insistebat : praemissa enim quadam Resolutione Sacrae Congregationis Immunitatis, qua declaratum fuit: ***cadavera exhumari non debent pro capienda informatione absque licentia:*** aiebat, Titii cadaver extractum fuisse e loco sacro a laicali Curia, nullo ecclesiastico praedita permissu. Nam etsi rogatus fuerit Ordinarius **a** Fisco de facultate educendi e sepul**chro** cadaver cuiusdam Sempronii; nihilominus cum non istud, sed illud Titii re ipsa fuerit eductum; patere inquiebat id sine facultate factum fuisse. Invasit ergo Fiscus ecclesiasticam immunitatem.

Ad alterum caput quod spectat, aiebat, quod cum Ordinarius Fisco facultatem facit effodiendi cadaver, ut crimen probetur, ne in periculum deveniat sese poenae sanguinis immiscendi, oportet ut sibi caveat expressa protestatione iuxta verba capitis ***Praelatis de Homicid. in*** 6. Omnes enim irregulares evadunt qui alienae mortis quomodocumque vel physice, vel moraliter fuerint participes, ***Cap.*** 24 ***de Homicid. volunt, vel eas.*** Id insuper observare debent Episcopi ex praescripto literarum quibus eiusmodi facultates eisdem indulgentur. Proindeque, aiebat, cum rescriptum **a** Fisco obtentum huius protestationis fuerit •expers, utpote contra ius emissum, irritum esse censendum: ideoque omnia Curiae saecularis acta adversus Reum de quo agimus capite damnatum nullitate laborare, quia sine debita facultate gesta erant.

EA QUAE EX OFFICIO EX ADVERSO ADDUCEBAN IUR-———E **Contra** *CX* ***officio*** observabatur, in praesenti casu errorem nominis qui irrepsitnon secumferre denegationem facultatis. Namque cum Fiscus, tum Ordinarius unice intendebant ***cadaveris effossionem illius, cuius filius N. veneficii reus accusabatur :*** itaque ad rem non pertinebat nominis aequivocatio, cum de subiecto et intentione constaret. Barbosa ***de Axiomat. iur.*** Soccin. ***ad Regni.*** 158 et 159 ***de Regni, diver.*** Card'. Tusc. ***ad verbum*** Error ***Consul*** 324 ***per lot.*** Rice. ***Collect.*** 1496, et S Rota dec. 447 ***p.*** 3 ***Recen,*** et alibi.

Ad alterum caput quod attinet circa omissionem protestationis observabatur, eiusmodi protestatione»! faciendam esse ne Ecclesiasticus in irregularitatem incurrat ***ex defectu lenitatis.*** <,)uae protestatio in praesenti casu locum non habere videbatur:

non enim Episcopus adversus Reum agebat, quemadmodum sermo est in cap. ***Praelatis,*** in quo haec statuuntur: « ***Praelatis, vel Clericis quibuscumque, qui de laicis suis malefactoribus, querelam penes saecularem iudicem deponentes petunt emendam sibi fieri, et provideri ne contra eos talia de caetero praesumuntur ,*** protestando expresse, quod ad vindictam seu poenam sanguinis; non intendunt, ***imputari non debet ; quamvis alias in tali casu de iure debeat poena sanguinis irrogari, si Iudex mortem illis inferat, iustitia exigente. Alioquin si Praelati aut Clerici propter metum (quia Iudex ad poenam sanguinis posset procedere de suis malefactoribus) taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere depraedandi. »***

Quod si eiusmodi protestatio emittenda sit in iis omnibus causis in quibus Praelatus vel Clericus posset videri poenae sanguinis cooperari, et etiam id ad praesentem de quo agimus casu protendi, hoc unum sequi animadvertebatur, scilicet: Ordinarium ex protestationis omissione, qua fassus non est, ***se non intendere poenam sanguinis,*** ad summum incurisse in irregularitatem ***ex defectu lenitatis;*** non autem sequi nullitatem rescripti.

His animadversis, sub consueta dubitandi formula iterum propositum est

©fi» Sii um.

«An sit standum, vel recedendum a decisis in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio ecclesiasticae Immunitati, controversiisque iurisdictionalibus praeposita, re in examen revocata die 13 Augusti 1850 respondere censuit: ***ad utrumque in decisis-***

Ex IIS COLLIGES.

I. Ius nullimode inesse laicae Potestati effodiendi cadaver e loco immuni, quamvis laica Potestas illud quaerat, ut iustitia publica suum sortiatur effectum.

H. In concedenda ab Ordinariis facultate exercendi laicam iurisdictionem in loco immuni servatis servandis iuxta Apostolicas facultates, eos emittere debere protestationem iuxta caput ***Praelatis,*** quoties in venia concedenda ipsi videri possint poenae sanguinis cooperari.

III. Praeter excommunicationem in quam ipso facto incurrunt immunitatis violatores, acta processus, qua^ ex violatione loci immunis fiunt irrita esse (1).

IV. In praesenti casu, violatam non fuisse immunitatem ex venia sufficienter obtenta.

(i) Inter alias plures, quae afferri possent Resolutiones sequentem adducamus , quae emissa est die 30 Septembris 1704 in causa Oritana de qua in libro 6 Literarum S. C. I. ita legitur: « In examine processus constructi super homicidio Matthaei N. patrato in territorio castri Chiae per Ioannem Paulum N. in carceribus novis Urbis detentum, institum fuit ex parte S. Cousultae pro declaratione super infrascriptis dubiis: I « An constet quod recognitio corporis delicti fuerit facta iu loco immuni ; et quatenus *affirmative :* II. « An Iudex inciderit in excommunicationem : et quatenus *affirmative:* III. «An acta in eodem processu per eumdem iudicem postea facta sustineantur nec ne, quamvis non fuerit antecedenter sequuta declaratio.

» Emi Patres praevio examine processus de mandato S. C. in eiusmodi causrt per infrascriptum compilati, censuerunt, quoad 1 et 11 *affirmative :* quoad MI. *non sustineri acta convenientia corpus delicti.»*

*0 * 0* ^ 'V*

APPENDIX IV.

CIRCA EPISCOPI MUNUS CONFERENDI PRAEBENDAM THELOGALEM, ET POENITENTIARIAM, AD NORMAM CONSTITUTIONIS, *Pastoralis Officii*, BENEDICTI XIII., QUAE EDITA EST PRO ITALIA, ET INSULIS ADIACENTIBUS IN SYNODO ROMANA ANNI 1725.

In Causa supra adducta *pag.* 81 <?t *seqq.*, non sine animorum contentione disputatum est (quamvis necessarium non esset), an Episcopus cogeretur, ex vi dictae Constitutionis, conferre theologalem praebendam illi, quem Examinatores magis idoneum renunciaverint, ita tit Episcopi iudicium super idoneitate personae ab Examinatoribus sic adprobatae silere debeat: vel e contra.

In causa *Aversana Canonicatus theologalis et poenitentiarii,* diei 21 Novembris 1K29 eiusmodi quaestio •a S. Cong. Conc. resoluta est. Quoniam isthaec resolutio inter eas recensenda videatur, quae *magistra** *les* in foro dici solent, quae scilicet controversiam, instituto *in puncto* examine, adeo dirimunt, ut nullum locum tergiversationi relinquant, atque axiomatis instar deinde, habeantur: integram referimus disceptationem quae tunc temporis *ex officio* instituta est.

Facti species, et disceptatio proposita ita se habet. « In Cathedrali ecclesia Aversana alterutra ex praebendis *theologali,* vel *poenitentiaria* ubi vacare contingit, Concursus indicitur ad formam Constitut, s. m. Benedicti XIII. quae incipit *Pastoralis,* et Examinatores perpensis singulorum concurrentium moribus, scientia, aliisque dotibus, referre solent Episcopo quot et quo gradu probandos, quosque reprobandos ipsi iudicaverint. Quoniam vero nonnulli Examinatores vacantem praebendam ei omnino ab Episcopo conferendam esse putant, *in. quem maior collatus fuerit suffragiorum numerus;* ideo hodiernus Episcopus *Xaverius Durini,* qui Examinatorum sententiam sanctioni iuris minus consonam existimat, sibique arbitratur ius esse eum eligendi, quem inter approbatos in formali concursu magis idoneum ipse iudicat, quin Examinatorum opinionem sequi teneatur, huius Sacri Ordinis oraculum sibi exquirendum censuit, ut firmissima et certa sibi suisque successoribus hac super re innotescat regula.

» Rationum momenta, quibus innituntur iidem Examinatores, quos Episcopus, ut mandatis huius Sacrae Congregationis obsequeretur, audivit, complectitur in suo voto *Promotor Fiscalis* inquiens: «Promotor

* Fiscalis Curiae Aversanae dioe-
•» cesis permotus claris verbis con-
*> stitutionisBenedicti XIII., quibus
*> iubet in concursu Canonicatus
*> theologalis et poenitentiarii in
* ecclesiis cathedralibus et colle-
»> gratis vacantem praebendam ma-
•» gis idoneo in formali concursu ab
-» Examinatoribus renuntiato confe-
» rendam esse, putat, electionem
*> personae in specie ad ipsos Exa-
»> minatores pertinere, et ita rescri-
•> psit S. Congregatio io *Salernitana*
•» *Canonicatus Poenitentiarii* 1 *Se-*
» *ptem.bris* 1753 *ac traditur apud*
« *Ferrar. Bibliolh. verb. Canonicatus*
» *art. IX in additionibus ex aliena*
»> *manu n.* 123, - ibi - Et quod ma-
*> iorem animadversionem meretur,
« electio personae post dictam Con-
* stitulionem non amplius pertinebit
•» ad Episcopum, sed ad ipsos Exa-
*> minatores, ut resolvit S. Congre-
*> gatio Concilii interpres iu *Saler-*
» *nilana* 1 Septem. 1753.

» At vero contrariam prorsus sententiam esse tenendam cuilibet memoratam Benedicti XIII. Constitutionem legenti facile liquet. Pontifex enim sermonem habens de praebenda theologali, nedum ait «am conferendam esse magis idoneo in formali concursu ab Examinatoribus renuntiato, sed insuper confestim addidit, *eo plane modo quo parochiales ecclesiae conferuntur.* Hanc -eamdem legem servari iussit in collatione praebendae poenitentiariae, -cum §. *Postremo* decreverit : *Quaecumque hactenus de praebenda theologali, et S. Scripturae lectione sancivimus, extendimus eliam, ac adamussim observari volumus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici poenitentiarii... eiusque concursum, deputationem...* Ex his plane intelligitur, eidem in conferenda Praebenda *theologali, vel poenitentiaria* inhaerendum esse regulae, quam ex iuris censura servari oportet in conferendis paroeciis.

» Iam vero Examinatores, peracto examine concurrentium ad parochiales ecclesias, renuntiare quidem debent quotcumque idoneos iudicaverint, aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, ut sanxit *Trid. Synod. sess.* 24, *cap.* 18 *de reform.*, ac monet *Bened. XIV. de Syn. dioeces, lib.* 4, *cap.* 8, *num.* 3 *et seqq.*, sed iudicium de maiori habilitate, seu supra caeteros approbatos praestantia ad solum spectat Episcopum, veluti luculenter demonstrant illa Tridentini verba « *ex hisque* (nempe approbatis ab Examinatoribus) *Episcopus eum eligat, queui caeteris magis idoneum iudicaverit»* et declarat Benedictus XIV. in encyclica *Cum illud* §. 11 diei 14 Decembris 1742 ita edisserere : *Absoluto examine, ut cuicumque satis compertum est, iii tantummodo potestà* Examinatoribus renuntiandi quotquot regendae ecclesiae idoneos iudicaverint, reservata uni Episcopo electione dignioris.* Quamobrem etsi Episcopus

eligere nequeat, quem Examinatores reprobarunt, attamen eum ex approbatis praeferre potest, quem digniorem ipse in Domino existimaverit, posthabitis illis, qui maiorem suffragiorum numerum, aut etiam cuncta ab Examinatoribus retulerunt suffragia, S. Congregatio in *Assisien. Parochialis* 27 Novembris 1773, in *Perusina Parochialis* 28 Iulii 7781, *et in Eortana, Parochiae* 28 Martii 1801, §. *Huic;* quia nemini magis .quam Episcopo innotescere possunt mores ac merita concurrentium, Barbosa *de offic, et potest. Episcop. part.* 2, *alleg.* 60, *n.* 101, Rota cor. *Ansaldo decis.* 269 n. 6. S. Congregatio *in Perusina* 28 Iulii 1781 §. *Allegrius.*

» Igitur si electio dignioris inter approbatos ad parochiales ecclesias pertinet ad Episcopum, non autem ad Examinatores; si praebenda theologalis, et poenitentiaria eodem conferenda est modo, quo conferuntur Paroeciae, patet ad Examinatores quidem absoluto examine super doctrina, moribus, aetate, aliisque dotibus necessariisad munus Canonici theologici, vel poenitentiarii rite obeundum, spectare ius renuntiandi quot, et quo gradu idoneos iudicaverint, sed ius eligendi digniorem inter adprobatos in formali concursu unius Episcopi esse proprium. Ita sane docet Rigantius *ad reg.* I *Cancell.%.* 10 *n.* 31, monet S. Congregatio *in Pinnen. Canonicatus theologalis* 28 Februarii 1761 §. *Episcopus, et in Terracinen.seuSelina* 5 Septem. 1818S.Po.tf~ Quin imo tantum abest, ut electio» Canonici poeniteniiarii ac theologi tribui possit Examinatoribus, et denegari Episcopis, ut ab hac S. Congregatione pluries definitum fuerit,, ad Episcopum spectare electionem dignioris iuter plures approbatos in concursu, quamvis ageretur de praebendis iurispatronatus ecclesiastici, ideoque ex iuris dispositione ius eligendi magis idoneum ipsi patrono foret reservatum. Huius, rei prostant exempla in *Cremonen erectionis praebendae theologalis* 15* Martii 1727 *relata in Pinnen. Canonicatus theologalis* 15 Decembris 1753 *atque in cit. Pinnen.*, in qua disceptato dubio: « An electio ad Cano-
» nicatum theologalem fieri posset
» a Capitulo favore sibi magis be-
» ncvisi iuter approbatos in con-
» cursu, seu potius praeelectio, et
» approbatio in eodem concursu,
» et collatio privative spectet ad
» Episcopum in casu. » Responsum prodiit: *Praeelectionem et collationem spectare ad Episcopum, praesentationem vero spectare ad Capitulum, et amplius.*

» Ex his plane elici posse videtur, iuri minus consentaneam esse opinionem Auctoris *in addictionibus ad Ferrar, loc. stipra cit.* aientis electionem Personae ad praebendam poenitentiariam spectare ad Examinatores. Praeterquam enim in praefata *Salernitana Canonicatu» poenitentiarii* 1 Septembris 1753, quaestio minime vertebatur inter

Episcopum et Examinatores, sed ànter Episcopum et Capitulum, •cuinam illorum ius esset eligendi poenitentiarium ; illud quoque accedit: quod cum Sacra Congregatio responsum dederit, electionem esse faciendam ab Archiepiscopo, satis aperte innuit, ipsi liberum esse eum inter approbatos eligere, quem digniorem existimaret, quin relationem Examinatorum •sequi cogeretur ; secus iudicium Ordinarii haud electionis, sed vix approbationis nomen mereretur, et iniuria coram hoc S. Ordine pluries certatum fuisset, an constaret de mala Examinatorum relatione, -et de irrationabili iudicio Episcopi, cum potius disceptari opportuisset de irrationabili iudicio Examinatorum.

» Huiusmodi dubiorum formulae passim occurrunt; ac praesertim in *Vrbanien. praebendae theologalis* -23 Iunii 1764, *in Pinnen. theologalis* 20 Septem. 1760, *et in Terracinen. seu Setina praebendae theologalis* 3 Septem. 1818.»

HINC QUAERITUR.

« An Episcopus polleat iure eum
» eligendi ad praebendam theolo-
» galem et poenitentiariam quem
» ipse inter adprobatos in formali
* concursu digniorem iudicaverit ;
* *seu potius* illum eligere teneatur,
» quem magis idoneum in eodem
» concursu Examinatores renuncia-
* verint in casu.

» *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*»

Iudicavit itaque S. C. C. Episcopum pollere iure eum eligendi ad praebendam theologalem et poenitentiariam, quem ipse inter adprobatos in formali concursu digniorem iudicaverit.

Ad normam huius Resolutionis altera causa iudicata est in *Vrbevetana concursus* diei 11 Iulii 1846. Indicto enim concursu pro praebenda theologali vacante, statutoque congruo termino pro testimoniis adducendis morum et scientiae, tres adfuerunt concurrentes, quos appellabimus Titium, Caium, Sempronium. Facto periculo Titius circa scientiam retulit Examinatorum suffragia 53, Caius suffragia 50, Sempronius 47. Circa requisita, seu merita , Sempronius suffragia tulit 60, Titius 49, Caius 40. Cum autem omnes fuerint adprobati, Episcopus sibi reservavit ius eligendi suo tempore, quem magis idoneum in Domino iudicasset.

Interim Caius suffragio Examinatorum non acquiescens , saltem quoad scientiam emisso, ad S. Sedem appellavit. Verum controversia haec inter concurrentes sopire visa est per quemdam virum veluti arbitrum constitutum, cuius iudicio ipsimet contendentes adhaerere spoponderunt. Namque cum ille relationem Examinatorum confirmasset, Caius interpositae appellationi valedixit.

Verum quaestio quae composita videbatur, denuo exarsit, quod Episcopus posthabens quae hactenus

gesta fuerant, et adhaerens duorum theologorum Urbis voto, magis idoneum inter adprobatos Caium iudicavit, et decreto emisso, theologalem praebendam eidem contulit. Quare expeditis Bullis in possessionem Caius immissus est. Inde dimicatio est orta: et non quidem adspirantes, qui tandem visi sunt acquiescere iudicio Episcopi; sed quidam Canonici, nomen Capituli usurpantes, quaestionem detulerunt S. Congregationi Concilii per supplicem asperumque libellum. Auditus itaque est Episcopus, qui inter alia retulit: iudicium Examinatorum rectum fuisse quoad substantiam: laesivum vero Caio in eo quod ad scientiam spectabat, qui evidenter primum obtinuit gradum: omnibus perpensis, multis meritis Caium praeditum fuisse, cuius opera se in multis et difficilioribus negotiis gerendis usum esse, nec unquam sibi pro temporum adiunctis renuisse; quodque unice iustum, quod Ecclesiae utilius, id solum in ea electione coram Deo sibi proposuisse.

Rationes praecipuae, quae favore Episcopi in disceptatione afferebantur, illae erant, quae in superiori causa *Aversana* ampliori expositione adductae sunt. E contra; quae adversus Episcopi iudicium proferebantur, illae propemodum erant, quas addùximus in causa* *Theologalis, quoad concursum pag.* 76,, *§. Quod, et seguenti.*

Itaque S. Congregationi proposito dubio: «An et quomodo constet de irrationabili Iudicio Episcopi circa electionem Canonice Theologi in casu.» S. Congregatio respondere censuit: *Negative, et amplius, et ad mentem: mens est ut acriter moneantur auctores supplici» libelli et veniam petant ab Episcopo.*

APPENDIX V.

CIRCA PRAXIM s. APOSTOLICAE POENITENTIARIAE SUPER DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

Vincentius de Iustis, *de Dispensat.matrim. L* I c. 4. *n.* 115 monet, ita exprimenda esse impedimenta in dispensatione petenda, « ut singula in propria specie et gradu, » et cum necessariis circumstantiis » exponantur, nec unum pro alio, » nec certum pro dubio, vel e con» tra supponatur; quia si unum » pro alio, nec in sua specie et » existentia proponatur, non valebit » dispensatio, cum neutrum impe» dimentum ob id auferatur; non » enim amovetur id quod falso nar» ratur, cum vere non extet; neque » id quod verum est, si reticeatur, » vel in dubio proponatur.»

Ex hac generali adnotatione ad casus particulares devenientes, sermo erit in hac nostra Appendice

de eo quod exprimendum est in precibus pro obtinenda dispensatione super impedimento affinitatis, in quo errores vel aequivocationes irrepere facilius possunt, ac irrepserunt.

Notum porro est affinitatis impedimenta oriri vel ex copula licita, quae in legitimo matrimonio habetur, vel ex illicita. Notum pariter est primam dictam affinitatis speciem maiorem vim exerere, vinculum fortius inducere, quam altera ; ita ut prima dirimat matrimonium contrahendum usque ad quartum gradum, dum e contra altera dirimit matrimonium contrahendum usque ad secundum.

Hinc est, quod in dispensatione imploranda exprimi necessario debeat *undenam* affinitas oriatur, an ex copula licita vel illicita, et simul praecise determinandus est *gradus et linea.*

Non raro contingit in S. Poenitentiariae officio, ut preces porrectae circa primos affinitatis gradus suspensae maneant, ideo quia clare non exprimitur affinitatis provenientia.

Dixi praeterea determinandam praecise esse praeter gradum, etiam *lineam,* namque si agatur de affinitate ex copula licita in linea recta, concedi non solet dispensatio. Si agatur de affinitate ex copula iUicita, pariter in linea recta, non sine difficultate dispensatio conceditur, cui insuper adiiciuntur clausulae speciales.

Quare S. Poenitentiaria ad maiorem etiam cautelam, ne error quilibet obrepat ex aliqua aequivocatione vel errore, cum de affinitate agitur ex copula licita in rescriptis adiungere solet : *in linea collaterali,* ut excludat lineam rectam.

Ut autem cognoscatur, quam firma sit praxis S. Sedis in denegunda dispensatione super impedimento affinitatis ex copula licita in linea recta, en casus: Oratores cum literis proprii Ordinarii dispensationem in primo affinitatis gradu obtinuerunt: eademque dispensatio per Ordinarium exsecutioni est demandata: celebratum est matrimonium, ex quo filii orti sunt; post plures aunos suspicio oritur de validitate dispensationis et matrimonii, ideo quia agebatur de affinitate in liuea recta, et in dispensationis literis sermo erat de affinitate in linea collaterali ; cum autem dispensatio irrita reperta sit; petitio facta est instanter et instantius pro nova dispensatione, ut matrimonium convalidaretur. Verum, licet agatur de deplorabili casu , dispensatio denegata est.

Non enim his in casibus alia responsio poterit a S. Poenitentiaria expectari, quam sequens : *Sanctam Sedem, quod a S. M. Benedicti XIV. monitum est,* de Svnod. dioeces, lib. 9, c. 13. *a petita dispensatione concedenda gravissimis de causis omnino abstinere , ac proinde Ordinario commendat ut mediis efficacibus et opportunis, quae Ei zelus animarum.,*

ac prudentia suggesserit, curet, ut Oratores, deposita spe dispensationem obtinendi , propriae animae saluti consulant.

Alter contigit similis casus, in quotamen agebatur uon de primo, sed de secundo affinitatis gradu in linea pariter recta, et ex copula licita ; eadem fuit S. Poenitentiariae responsio. Similes casus quamvis non frequenter contingant, tamen memoria habetur in ingenti dispensationum numero, quae quotannis expediuntur, contigisse.

Quare cum non raro preces 8. Poenitentiariae porrigantur super •dictis impedimentis , super quibus S. Sedes neque dispensat neque dispensavit , ut quodlibet removeatur periculum eventus deplorabilis; peropportunum erit, si Locorum Ordinarii eiusmodi preces, ne porrigantur, impediant.

Inutiliter itaque S. Sedi preces porriguntur, ut dispensatio obtineatur pro matrimonio contrahendo puta, inter privignnm et novercam, inter soceram, et generum et viceversa, et generatim super impedimento affinitatis in linea recta ex copula licita.

Cum autem clare exprimenda sit affinitatis origo , gradus et linea, clare et recte preces, quae S. Sedi admoventur, sic exprimuntur : *N.* A'. *petunt dispensationem super impedìmento primi in linea collaterali affinitatis gradus, exinde provenientis quod Oratrix fuerit iuncta matrimonio cum defuncto Oratoris germano fratre,* aut vice versa, *quod Orator fuerit iunctus matrimonio cum. defuncta Oratricis sorore germana.* Pari ratione exprimenda est provenientia primi et secundi affinitatis gradus, ex. gr. *super impedimento primi ac secundi in linea collaterali affinitatis gradus , exinde provenientis , quod Orator fuerit iunctus matrimonio cum defuncta amila,* seu *matertera Oratricis:* aut vice versa , *quod Oratrix iuncta fuerit matrimonio cum defuncto palmo,* seu *avunculo Oratoris.*

Hac ratione expressis impedimentis praefata incommoda declinatur.

EX S, CONGREGATIONE CONCILII.

SEPARATIONIS TOK1.

Die **18** *Febr.* **6** *Maii et* **12** *Aug.* **1865.** *Sess.* **24** *cap. i de Ref.*

Causa isthaec, quae tota in facto consistit, ter proposita fuit coram S. O C, brevitati autem consulentes ex tribus positionibus ea quae sequuntur in unum collegimus.

Compendium facti. Celebratis nuptiis anno 1S4SS inter Titium et Caiam nobilem puellam in urbe A., quae est patria ^mulieris, coniuges longe profecti sunt in urbem B. exterae nationis, in qua publico munere Titius fungebatur. Decem et octo menses non sine dissentionibus individuam vitae consuetudinem in ea urbe B. coniuges duxerunt. Primus quem habuerunt infantem lethali morbo correptus est, ad cuius vitam recuperandam, patriam Caiae coniuges remigrarunt. Vir uxorem in domo parentum praegnantem reliquit, et in propriam urbem B. rediit suo munere perfuncturus. Mortuo interea infante, et nova filiola nata, vir anno 1845 in uxoris urbem reversus uxorem cum filiola secum transferre velle visus est: at repulsus a Caiae parentibus fuisse dicitur : quam repulsam ipsimet parentes intervenisse sub iuramento deinde denegarunt. Reverso Titio ad suum officium, missis vicissim epistolis, vir uxorem in urbem B. vocare videbatur, uxor e contra proficisci detrectabat, iugiter manens cum sua filiola in domo parentum a quibus alebantur. In votis erat Caiae ut Titius a Gubernio obtinere studeret translationem sui officii in provinciam, in qua ipsa Caia cum parentibus degebat , eidemque suggerebat media opportuna, quibus hoc facile esset consecuturus.

At praetereundum non est, anno 1851 Caiam rescripsisse viro suo, se velle redintegrare maritale consortium, cui Titius respondens, hoc sibi esse periucundum, et ex eo temporis

momento se in acceptis habere Caiae determinationem, ac ***si statuta esset definitiva unio:*** nihilominus plures difficultates in'ea epistola interserebat, ob quas propositum executioni mandari non poterat. Inquiebat enim inter caetera, se nescire determinare tempus ad unionem exequendam: ob quasdam rationes eam unionem exigere maturam animi reflexionem, ut difficultates- etiam leves facile possent superari, ne decepti deinde reperirentur in promovendo eo gradu, qui faciendus non erat, quique proinde viles eos redderet: se nullimode redire posse in domum parentum a quibus fuerat reiectus : opus esse ut primus amor revivisceret: haec omnia exigere maturam animi reflexionem,, proindeque tempus non posse determinari unionis exsecutioni mandandae. Aliae insuper habebantur expressiones, quae sub verborum involucro significare videbantur, se velle, et nolle dictam exsequi unionem. Conquerebatur insuper de filiola, quam ad balnea valetudinaria mittere uxor non poterat, ratione expensarum , quas tamen nec se facere posse Titius aiebat. Compatiebatur uxori, quod plures expensas impendere deberet in sua valetudine curanda: amorem praegrandem significabat erga filiolam cuius memoria iugiter excitabatur praesentia alterius infantulae eiusdem aetatis, in quadam familia, quam ipse frequentabat: epistolam autem claudebat verbis, quibus optabat vitae consuetudinem cum uxore instaurare. Qua epistola accepta, Caia laeta rescripsit, se in ipsa ad evidentiam usque cognovisse maxime cordi viro esse unionem de qua sermo erat.

Anno 1853 Caia viro spopondit, se profecturum esse in urbem B. proximo vere anni insequentis, quae tamen promissio suum effectum non habuit. Contigit denique ut vir novo munere ornatus in provinciam Caiae missus fuerit: at maritale consortium redintegratam non est.

Caeterum ex pluribus epistolis a muliere Titio scriptis, quas ipsemet Titius sui favore coram S. C. C. produxit, haec satis clare eruebantur : videlicet I. mulierem non dubium amorem viro ostendisse a tempore separationis ab anno scilicet 1844 usque ad annum saltem 1858: II. eruebatur ex indiciis minime spernendis virum vices non rependere prout exigebat amor *. muliere significatus: III. quin imo non deerant epistolae, quibus mulier virum redarguebat, quod solicitudines suas erga uxo-

rem, factis saltem, nunquam ostendisset: IV. subvidebatur mulier in quadam animi anxietate et suspicione persaepe mansisse de vera viri voluntate redintegrandi maritale consortium: V. neque deerat epistola, qua uxor Titip exprobrabat vexationes, quas exercuerat cum uxore, ab ipso matrimonii initio.

E contra ex viri epistolis ad mulierem missis, quarum tres tantum in medium proferebantur, clarius apparebat: I. virum maxime optasse apud se habere filiolam suam: II. non idem sincerum desiderium ostendisse habendi apud se uxorem: HI. quin imo unio, de qua instauranda iugiter sermo erat in epistolis, ex parte viri ita considerari videbatur ***(si ad substantiam spectes)*** ac si de novo matrimonio ineundo ageretur, vel de consortio iterum instaurando, quod fuisset dissociatum ope iudicialis sententiae ex culpa mulieris: IV. virum per plures saltem annos denegasse uxori et filiae congruam sustentationem et fructus dotis, quamvis mulier pecunias optare eidem urbano modo significaret, praesertim pro sua et filiae valetudine curanda. Coeterum in iis epistolis non deerant expressiones, quibus vir conquerebatur de mulieris absentia, quam in culpam mulieris vertebat. Haec omnia eruuntur sive ex aperta ratione dicendi, sive ex sententia sub verborum involucro abscondita.

Circa annum 1860 mores Caiae suspicionem et quidem gravem de sua vitae honestate induxerunt, quas suspiciones ipsimet Caiae parentes Titio patefecerunt. Nescimus quid Titius responderit, nihil tamen agere ipse visus est.

Res deinde in peius prolabi coeperunt, ita ut Caia anno 1860 inopinato nocturnam arripuerit fugam, et extra urbem sola cum auriga currum agente discesserit; et in urbem rediens, numquam domui)} paternam regressa est, sed quamdam malae famae domum habitare incoepit. Sufficit audire testimonium matris, quae in iudicium vocata deponere non dubitavit ea quae sequuntur, nempe: filiam suam quatuordecim annis, quibus seiuncta a viro in sua domo habitavit, bene satis se gessisse: postremis duobus annis se exacerbatum iugiter esse ob quosdam malae famae rumores, qui diffundebantur: in cognitionem deinde venisse res male procedere, et in peius prolabi : rubore suffusam se fateri debere, inter caetera ***quamdam fdiae scandalosam consuetudinem,*** quin complicem nominaret, ***praeter alias externas***

consuetudines, cum militibus. Ita mulier inter meretrices recensebatur, et scandalum viciniae esse dicebatur.

Hac vivendi ratione animos omnium alienavit, donec egestate pressa libellum porrexit Curiae episcopali in qua Titius degebat, ut declararetur divortium ob saevitias, et desertionem inalami a Titio factam, ita ut compelleretur Titius, qui percipiebat fructus collatae dotis, ad suppeditanda alimenta. Vir e contra reconvenit mulierem petens et ipse separationem, et simul declarari postulavit, ***separationem ob mulieris culpam evenisse.***

Auditis itaque partibus in regulari iudicio, tribunal sententiam definitivam emisit favore viri, decernens scilicet separationem coniugum adiecta clausula ***ex culpa dumtaxat Caiae.***

Mulier ad S. C. C. appellavit et caeteris de more servatis disputatum est, an sententia isthaec esset confirmanda, vel infirmanda.

Disceptatio synoptiea.

DEFENSIO VIRI. — Pluribus allegationibus Titius causam suam defendit per Oratorem, quem in Urbe constituit, ex quibus nonnulla tantum decerpimus. Ex triplici causa Defensor contendebat sententiam praefatam esse confirmandam, nempe ob mulieris adulterium, ob malitiosam tori desertionem , et ob <lamna, quae essent honori civili Titii eventura, si separatio non decerneretur.

Ad adulterium quod attinet, animadvertebat Titii Defensor in praesenti iudicio non agi ad criminis punitionem, sed ad tori separationem obtinendam. Iam vero sufficientes ad hunc effectum reputantur leviores etiam suspiciones, ut adulterium adfuisse decernatur, Sanchez ***de Matr.*** /.10 ***disp.*** 12 ***n.*** 44 Cosci ***de Separ. Tori p.*** 2 c. 14 ***n.*** 1 ***et seqq.*** qui ***num.*** 7 scripsit: « quod multo magis procedit, quando non agitur criminaliter » ad poenam, sed ad effectum separationis tori, ***Rot. dec.*** 818 » ***n.*** 3 ***par.*** 18 ***tom.*** 2 ***recen.*** - ibi - ***ubi non agitur de adulteris » criminaliter ad effectum infligendi poenam adultero, sed solum v civiliter ad separationem, licet materia dicatur gravis et ardua, » nihilominus omnes Doctores conveniunt, quod leviores probatio- » nes sufficiunt, quodque ad istum effectum lex adulterii probatio-***

» nes admittit per coniecturas, praesumptiones et adminicula, ut » ponderai Farinae, etc. »

Porro in praesenti casu non solum leves, sed gravissimae concurrebant coniecturae, et indicia , quae cuilibet adulterium intervenisse persuadebant. Adnumerabatur enim Caia inter meretrices, dicebatur a testibus scandalum viciniae, indulgebat consuetudinibus cum militibus, quae omnia ipsamet Caiae Mater in iudicio confirmare non dubitavit.

Ad malitiosam tori desertionem ostendendam procedens Orator, ostendere conabatur ex epistolari commercio, virum omnia adhibuisse media ut uxor induceretur ad maritale consortium instaurandum; contendebat enim demonstrare non solum pluries virum suam uxorem vocasse ad redintegrandam unionem; sed etiam descendisse ad facta quae dignitatem suam dedecebant, ut obtineri haec unio posset: mulierem e contra semper restitisse; uno alteroque praetextu unionem modo promisisse, modo distulisse.

Denique contendebat non esse amplius permittendum inter coniuges maritale consortium. Hoc enim cederet in maximum detrimentum honoris civilis viri ex pessima mulieris agendi ratione. Maxime cum, prosequebatur Defensor, filiola, quae ad patrem rediit, lamentabatur et lugebat matris agendi rationem: adolescentiae autem corruptio maxime erat pertimescenda, si mater ad domum esset reditura: quod etiam ethnici intellexerunt. Habemus enim titulos in Pandectis et in Codice de educatione pupilli, qui sollicite disponunt in adolescentulorum moribus maximam curam esse adhibendam, et omnes illos esse arcendos ab educatione docent, qui pupilli moribus possent insi**diae.** Ita ***in L.* 5 *ff. Ubi pupillus,*** statuitur: « ***si disceptetur ubi morari vel educari pupillum oporteat, causa cognita, id Praesidem statuere oportebit, In causae cognitione evitandi sunt, qui pudicitiae impuberis possunt insidiavi.*** Cui doctrinae concinunt Auctores: Surdus ***de Alimentis tit. i quaest.*** 13 scripsit: K Quae » vero dicta sunt in matre ad secunda vota transeunte, proce» dunt etiam in ea, quae etsi vidualem servet vitam , tamen » est vilis, improba, impudica, vel imprudens, ***nam ei quoque » denegabitur filii educatio*** et alia eligetur persona idonea. Pa» ria enim sunt, quod mater nubat vel inhoneste vivat... quod

» poenae mulieri impositae secundo nubenti, locum habent quo-
» que in muliere impudicam vitam agente. » Item Montanus ***de tutelis leg.*** 39 ***n.*** 236, « quando pupillus habeat matrem vilem
» ac turpem, quae vitae, religioni, moribus, vel bonis pupilli
« insidiari praesumeretur, apud quam iudex non arbitrantur
» pupillum esse educandum, etiamsi pro illis extaret patris vo-
» luntas. »

Post haec prosequebatur Defensor ostendens non esse a viro praestanda alimenta uxori, quae absque viri culpa, propria temeritate ab eius consortio recesserit. Sic enim docuit Sanchez ***de Matrimonio lib.*** 9 ***dis. An. 19 et seqq.*** « Vir tenetur alere
» uxorem.... Intellige tamen quando uxor cohabitat cum viro.
» Si enim absque viri culpa, propria temeritate, ab eius consortio
» recedat minime est alenda, quia uxor debet esse in viri obse-
» quio, c. ***haec imago*** 33 ***qnaes.*** 5, ac proinde si obsequium de-
« bitum minime praestare velit, receptura non est alimenta sibi
» debita: qui enim non facit quod debet, non recipit quod opor-
» tet, 1 ***Si ea Cod. de cond. inser. etc.*** » Schmalzgrueber ***de Sponsalibus num.*** 351, pariter scribit: « Addi potest quartus ***(effe-
» cius),*** scilicet ius alimentorum, quae ipsi et familiae submini-
v strare maritus debet. ***Excipitur*** 1, ***si uxor sine culpa viri ct
» absque causa necessitatis a marito discedat: hinc enim quamvis
)> dotem ab ea maritus acceperit, ad eam alendam non obligatur,
r»*** quia uxor debet esse in obsequio viri ***can.*** 13 ***caus.*** 33 ***q.*** 5,
» ac proinde si non velit praestare obsequium debitum , non
» recipit alimenta alias sibi debita, qui enim non facit quod
» debet, non recipit quod oportet. » Quibus consonant Ferraris ***Biblioth. can. verbo: Alimenta.*** Voet. ***lib.*** 4 ***tit.*** 2 S. Rota ***in Romana alimentorum coram De Retz*** 14 Ianuarii 1833.

Quare cum Defensor contenderet mulierem propria auctoritate et sine culpa viri maritalem domum deseruisse, accedente etiam impudica agendi ratione , concludebat reiiciendam esse Caiae instantiam, et plene confirmandam esse Curiae episcopalis sententiam.

DEFENSIO MULIERIS. — Mulier e contra defensionem sui non suscepit; quare ***ex officio*** adducebantur ea quae in priori iudicio mulier contra viri exceptiones fassa fuerat. Dixerat enim virum a nuptiarum primordiis ostendisse erga uxorem anlipa-

filiam; exinde pessimae vexationes, humiliationes, quae non cessarunt nisi malitiosa desertione.

« Uxor contenta sit vexatione (ita Caia se improperatam » fuisse a viro inquiebat); quod si antea eam vexaverim, idem » ulterius in futurum faciam; hisce conditionibus uxor mecum » maneat. » Haec autem omnia suum effectum habuerunt, prosequebatur Caia, cum plus quam sexdecim annos uxor deserta manserit, quin Titius uxori et filiae prospicere cogitaverit. Quod si ipse interdum epistolas uxori scripserit, id simulatione fecit, ita ut quando uxor semet paratam exihibebat ad vitae consortium ineundum, ipse veluti perterritus respondebat: fieri hoc non posse sine longa maturaque animi ponderatione. Quod si anno 1845 Titius in uxoris urbem redierit, id non fecit ut uxorem secumferret: et argumento est ipsum difficillimum iter quod aggrediendum erat hiemali tempore cum infantula nutrici concredita. Hac circumstantia ortae sunt in familia dissentiones, ita ut Titius a parentibus fuerit repulsus. Quae de fuga arrepta, deque ratione scandalose vivendi proferebantur, mulier aiebat, fugam quidem fuisse actum inconsulto gestum, quin tamen ex ea argui posset quod Titius arguebat: caeteras vero accusationes nimis vagas esse inquiebat, utpote quae nihil in concreto determinabant.

In aliis autem literis ad S. C. C. missis Caia factum recolebat, quo Titius uxori denegaverat alimenta, et fructus dotis, ita ut etiamsi vera essent quae contra mores obiicebantur, prima causa in virum refundi deberet, qui post tot annos absentiae alimentis denegatis ad incitas uxorem redegit.

His aliisque adductis propositum est resolvendum

Dubium.

« An et quomodo sententia Curiae... sit confirmanda, vel » infirmanda in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii, re mature discussa in Congregatione habita die 18 Februarii 1865, respondere censuit: ***sententiam esse confirmandam dempta clausula.***

Vir non acquiescens huic sententiae novam audientiam postulavit et obtinuit, novaque distributa allegatione, ad dubium: « an et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in casu: »

S- Congregatio die 6 Maii 1865 re denuo discussa respondit: ***dilata et ad mentem.*** Distulit scilicet responsionem, simul mentem suam patefaciens quae fuit, ut Curia episcopalis iterum moneret Caiam de propositione controversiae coram S. C. C.,, eum in finem, ut si vellet, ulteriora iura sua deduceret. Et die 12 Augusti 1865 denuo proposita causa, S. Congregatio respondit: ***in decisis, et amplius.***

Ex ns COLLIGES:

I. Graves requiri causas ad decernendam dissociationem coniugum quoad torum et habitationem.

II. Inter eiusmodi dissociationis causas praecipuum locum obtinere alterutrius coniugis adulterium.

III. Adulterium, ad hunc dissociationis effectum, demonstratum censeri, si concurrant graves coniecturae quae adulterium commissum fuisse suadeant; quamvis eaedem non satis essent, ad adulterii crimen puniendum.

IV. Inter temporaneae dissociationis causas recenseri generatim desertionem uxoris sine causa a viro factam (1).

V. In praesenti casu utramque divortii causam intervenisse; desertionem quamdam uxoris ex parte viri, et gravem saltem adulterii suspicionem ex parte mulieris.

VI. Has divortii causas ea relatione se excepisse, ut indicatum mulieris adulterium, culpae etiam viro esset ex desertione imputandum.

VII. Quare licet neuter coniugum audiendus esse videretur in petitione iudicialis dissociationis: tamen ius aliquod favore mulieris militabat, hanc iudicialem dissociationem obtinendi.

VIII. Hoc iure pro muliere militante, teneri virum eidem alimenta suppeditare, seu dotem restituere, vel fructus dotis prout de iure.

(I) **Inter temporaneas divortii causas recensetur expulsio uxoris sine causa,** ***Cosci de separ. tori I. 2c.,7 n.*** **9. Eiusmodi tamen uxoris expulsio sicut caeterae causae, quae sub saevitiarum nomine veniuat, considerandae sunt cum omnibus suis adiunctis, interveniente prudentis; iudicis arbitrio. Nec praetereunda est personarum qualitas: ex. gr. erga honestas nobilesque mulieres, quaedam saevitiae reputantur graves, quae leviores essent in humilioribus foeminis.**

IX. Non esse tradendam prolem educandam illi parti, interveniente iudicis sententia, quae posset bonis moribus religiosaeque prolis educationi insidiari.

X. Denique colliges, tribunal coram quo vir legitime a muliere convenitur, competens esse iudicandi super reconventione mulieris in eodem iudicio a viro facta; quamvis ratione domicilii eidem tribunali mulier subiecta non censeretur (1).

SEPARATIONIS TORI QUOAD COMPETENTIAM.

Die* 28 *Ianuarii* 1865.** ***Sess.* 24 *c.* 12 *de Refor.

Compendium facti. Matrimonium inter Titium et Caiam contractum in dioecesi A., felicem non habuit exitum. Statim enim pax domestica turbari coepit donec mulier relicto viro aliam exteram dioecesim B. sola petiit, quam deinde sequutus est vir, et in hac dioecesi plures annos coniuges manserunt. Proles, quae interim suscepta est, quin coniugum controversias extingueret, easdem adauxit, et Caia, auctoritate viri contempta, imperium

(1) Cum ad petendum divortium mulier preces porrexerit tribunali cui ratione domicilii subiectus erat tantum Titius, cumque deinde Titius instantiam pariter eidem tribunali admovent adversus uxorem pro obtinenda sui favore divortii sententia, locum habuit conventio et reconventio, ita ut cum prius mulier actoris partes egerit citans Titium, postea Titius ex reconventione factus est etiam actor instantiam movens adversus mulierem.

Porro inter alia contendebat mulier non potuisse Titium partes actoris agere in eo tribunali, quia *actor sequi debet forum rei:* forum autem Caiae illum non e se, quia Caia eidem tribunali subiecta non erat ulla ratione. Quare nullam concludebat esse sententiam latam iuxta instantiam quam Titius in eo tribunali fecerat ex defectu iurisdictionis.

At eiusmodi exceptio, quae fori declinatoria dicitur, locum in praesenti casu habere non poterat: namque, caeteris omissis, quando reconventio locum habere potest, actor nequit declinare reconventionem : *cuius enim in agendo observat arbitrium, eum habere et contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur,* prout statuitur in Lege 14 *Cum Papinianus Codic. de sentent. et interloqut.* et communiter docent Auctores.

affeetabat, et nimis familiares relationes cum altero homine iniit, quas magis in dies confovere dicebatur; quin imo inscio, vel invito coniuge domum familiae saepe deserebat Denique cum Titius cogitaret ad arma iudicialia devenire ut in officio uxorem contineret, Caia longe extra dioecesim se contulit in domum parentum.

Omittimus nonnulla quae deinceps gesta sunt, quaeque minus ad praesentem quaestionem pertinere videntur. Itaque spe pacificae conciliationis deperdita, Titius libellum Curiae in qua ipse degebat obtulit, in quo, enarrata factorum historia, petiit: 1. legitimam separationem tori, et mensae: 2. filiae restitutionem, quam secum tulerat Caia.

Mulier ab auctoritate ecclesiastica vocata in dioecesi B., quatuor vicibus dilationes pro responsione petiit, atque obtinuit. Iudex enim dilationes eiusmodi indulgebat, quod sibi spes adhuc erat, ut, relicta via iudiciali, coniuges pacifice conciliaremur. At omnia in irritum cesserunt: namque Caia aliam excogitavit viam protrahendi iudicium, opponens exceptionem fori declinatoriam. Inquiebat enim matrimonium se iniisse in dioecesi A., ibique matrimoniale contractum stipulatum fuisse, non autem in dioecesi B., quae dioecesis sub altero civili gubernio reperiebatur: ac proinde incompetens esse ecclesiasticum hoc tribunal ad ferendum^ivortii iudicium super exteris personis. Hac exceptione accepta, ecclesiasticum tribunal perpendens,«quod » rea conventa exceptionem fori declinatoriam non opposuit intra » tempus legitimum iuxta leges in ea dioecesi vigentes. Quin imo » non solum implicite, sed etiam explicite competentiam eccle» siastici tribunalis admiserat facto suo, quo per quatuor supplices » libellos prorogationem iudicii postulavit,... Quod iuxta sacros » Canones rite in causis matrimonialibus Ordinarius iurisdictio)> nem exercet etiam in personas, quae habent quasi-domicilium » in sua dioecesi, quin necesse sit ut habeant verum domicilium. D Quod in praesenti casu ex documentis constabat, Actorem Ti» tium tresdecim abhinc annis domicilium firmiter habuisse in)> ea dioecesi. Quod distinctio facta inter domicilium, et subie» ctionem civili gubernio, per se nullo pretio erat habenda; mult> toque minus in casu, in quo agebatur de persona quae 13 annos a> inibi habitaverat cum animo manendi etc. » emisso decreto

suam competentiam declaravit, et reiecta mulieris exceptione, mandavit, ***ulterius esse procedendum.***

Contra huiusmodi decretum Caia appellavit ad Apostolicam Sedem. Appellationis instantia a Curia excepta, Ordinarius acta omnia super incidentali quaestione ad S C. C. transmisit, additis .literis quibus significabat ex sua sententia decretum valorem undequaque habere.

Acceptis a S. C. C actis et literis, rescriptum fuit, prout in more est positum, Ordinario ut praefigeret partibus terminum ad deducendum iura sua coram S. C, et de resultantibus ceitioraret; quod absque mora factum est.

Transmittens autem Ordinarius ad S. C. novas partium deductiones, graviter conquestus est, quod Caiae Procurator non de incompetentia fori tantum, quod optimo iure poterat; sed etiam de merito principalis controversiae disseruerit, et graves in Titium accusationes coniecerit, a quibus abstinere omnino debuisset.

His in facto indicatis disputatum est de dubio in calce posito.

Disceptatio synoptiea.

EA QUAE sui FAVORE ADDUCEBAT CAIA. — Caiae Defensor ex duplici capite nullitatem decreti arguebat: 1. ex defectu debitae intimationis, cum citatio introductiva iudicii non personaliter Caiae sed eius fratri intimata fuerat: 2. ex defectu iurisdictionis in Curiae ecclesiasticae tribunali. Ut primum defectum evinceret, contendebat, Caiam insciam prorsus fuisse peractae intimationis usque ad diem, quae immediate praecessit appositionem exceptionis declinatoriae. Frater enim ideo sorori acceptam intimationem non manifestavit, quia spem fovebat, ope dilationis, vel suadendi Titio ut a prosecutione iudicii desisteret, vel conciliandi sororem cum Titio. Caeterum quaecumque sit causa ob quam ita se gesserat Caiae frater, certum esse recolebat, ***intimationem personalem Caiae factam non esse; eiusmodi autem defectum, nullitatem actorum quae gesta sunt secumferre; ideoque decreti emissi nullitatem.***

Ad incompetentiam tribunalis comprobandam, Defensor praeminens, quod matrimonium celebratum fuerat in dioecesi A.,

gratis asseri aiebat, domicilium Titium obtinuisse in dioeces» B: eumdemque non civem sed extraneum esse in ea Imperii ditione. Quod ostendere curabat ex documento ex Regestis municipalibus deprompto illius civitatis in dicta dioecesi B., in qua coniuges degerunt. In eo enim documento legebatur, Titium cum sua familia in dictis Regestis reperiri inscriptum ceu subditum exterum, et precarie ibidem commorantem ab anno 1857: Quare Defensor, ambigi non posse concludebat Curiam de qua agimus iurisdictione carere.

EA QUAE SUI FAVORE ADDUCERAT TITIUS. — Primum defectum, qui ex adverso opponebatur, reiiciebat Titius affirmans personalem citationis intimationem requiri in civilibus actionibus instituendis ea in Imperii ditione; tamen iuxta consuetudinem Curiarum episcopalium satis esse ut intimatio fieret vel ipsis rei conventi domesticis, vel etiam in eiusdem domicilio: uxorem deinde ita se gessisse, subdebat, ut quemcumque aditum declinandi forum illum sibi ex sua agendi ratione praecluserit.

Notissimum praeterea esse inquiebat Canonem 12 sess. 24 Synodi tridentinae, quo anathema illis infligitur , qui causas matrimoniales non spectare dixerint ad iudices ecclesiasticos: pro competentia autem alicuius ecclesiastici tribunalis iuxta canonicas, leges, domicilium sufficere, vel quasi - domicilium : extra controversiam autem esse positum se ab anno 1843, vel saltem ab anno 1850 absque ulla interruptione in ea civitate, stabili sede sibi et familiae suae constituta permansisse, quidquid legi placeat in Regestis municipalibus, quae contrariam probationem non excludunt.

His adductis, dumtaxat ***ex officio*** recolebatur, id quod ***cum*** aliis docet Reiffenstuel ***lib.*** 2. ***tit.*** 2 ***num.*** 24, certum scilicet esse, quod ratione domicilii, quivis forum consequatur, ita ut ibidem conveniri valeat; quin imo huiusmodi dici verum et naturalem forum iuxta ***Caput licet*** 20, ***et cap. Ex parte*** 15 ***de for. compelen.*** Fagnanus in ***dicto capite Licet n.*** 9; et forum domicilii ordinarium esse et universaliorem caeteris, utpote concurrentem cum quolibet alio foro, quem quivis ex aliis titulis sortiatur. Reiffenstuel /. ***c. n.*** 28.

His utrinque adductis propositum est dirimendum

Dubium.

« An decretum Curiae.... sit confirmandum, vel infirmandum *v* in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii causa cognita die 28 Ianuarii 1865 censuit confirmandum esse decretum, respondendo: ***affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Ex ns COLLIGES:

I. Quamvis regulariter quis forum sortiri dicatur, iuxta caput ***Licet de For. compet,*** ratione delicti, contractus, domicilii, rei sitae; tamen domicilii forum dici et esse naturalem, ordinarium, universaliorem, et cum caeteris concurrentem.

II. Praepostere denegari competentiam alicuius ecclesiastici tribunalis in re ad ipsum spectante, ex ratione, qua Actor vel Reus conventus non reputetur subditus ditionis civilis, in qua dictum tribunal extat. Sufficit enim quod Reus conventus per aliquod domicilium iuxta canonicam doctrinam subditus evaserit alicuius ecclesiasticae Curiae, ut ibi conveniri possit (1).

III. Uxorem forum sortiri in quo vir suus domicilium habet (2).

(i) ID eausa *Nullitatis Matrimonii* «ruam adduximus in *Votum. L pag.* 129 -*et seqq.* disputatio inita fuit affinis praesenti quaestioni. Sponsi matrimonium in •quodam oppido contraxerunt coram Parocho non proprio: neuter enim coniugum ibi unquam habitavit. Vir tamen, quamvis exterae nationis, curaverat in «ibo eorum oppidanorum adscribi. Mota -quaestione super matrimonii nullitate, •vir, qui matrimonii validitatem pro viribus sustinebat inter caeteras rationes sequenti innitebatur, contendens, se ex -dicta adscriptione inter loci municipes •«xterum non esse, sed subditum illi civili gubernio, et ex hac subiectione concludebat, parochum illius oppidi esse parochum proprium; maxime cum civiles -leges illius loci huic rei suffraga re n tu r. At eiusmodi ratio nullo pretio habita est: «leerat enim domicilium quod iuxta canonicam disciplinam requirebatur, ut vir dici posset subditus illius Parochi coram quo matrimonium fuit contractum. Iurisprudentia enim canonica non considerat vigentes civiles leges ut, quoad ecclesiasticos effectus, quis subditus, vel non subditus dicatur.

(2) In Lege 9 *Codicis de Incolis,* statutum reperitur: *a Mulieres honore maritorum erigimus, et genere nobilitamus, et forum ex eorum persona sta-> fuimus. Sin autem minoris ordinis virum postea sortitae fuerint, priore dignitate privatae, mariti sequentur conditionem, et domicilia mutamus.-»* Item in Lege 13 *Cod. de Dignità t.,* et Lege 3 *Cod. de Municip* , et Lege 9 *ff. de lurisdiction.* Quam legem sequuti sunt Canonistae inter quos Sch malzrueber *de Sponsalib. num.* 349 scripsit: « effectus proprius ex » parte uxoris est, quod acquirat domi-

Die 28 *Ianuarii* 1865. *Sess.* 24 *c.* 1 *de Reform, matrim.*

Compendium facti. Inferiorem partem domus cum suis parentibus incolebat adolescentula Caia sutoris filia, superiorem autem iuvenis Titius cum patruis suis. Loci proximitas amicitiam primo inter eos induxit; haec deinde amores excitavit,, qui eo usque progressi sunt, ut defloratione interveniente, Caia prolem habuerit.

Postmodum, cum Titius cogitaret de matrimonio cum altera iuvene contrahendo, Caia cum matre sua Curiam episcopalem adiit, atque petiit ut via Titio praecluderetur ad alias ineundas nuptias, ob sibi datam sponsalium fidem , prolemque ex passa defloratione susceptam. Hisce precibus Curia annuit, emisso decreto quod audit: ***nihil transeat.***

Postulante dein Titio testimonium liberi status ut nuptias cum alia iniret, Curia illud denegare debuit, donec processu instituto sententiaque prolata favore ipsius sponsalium impedimentum infirmaretur. Verum cum Episcopus ob peculiares rationes ab eiusmodi iudicio ferendo se abstinere duxisset, preces admotae sunt Apostolicae Sedi, ut submoto decreto ***nihil transeat?*** Titius liber declararetur.

In eiusmodi precibus haec sui favore enarrabat Titius, videlicet: se instigatione Caiae eius habitationem frequentasse etc.,. quin tamen sive scriptis sive verbis eidem nuptias promiserit: se tamen paratum esse eam uxorem ducere si patrui, a qui-

«cilium viri /. 3 *Cod. de Municip. I.* 13 » *Cod. de dignit.*, et forum cum eo com» mune habeat, adeo ut dotem non ubi » pacta dotalia confecta sunt, sed ubi » maritus domicilium habet repetere po» test.»

Eadem lex adeo vires habuit in canonica disciplina, ut si Maritus esset clericus, qui scilicet conditiones tridentinas observaret, iudicanda esset in foro ecclesiastico mariti etiam in re, quae natura sua ad forum ecclesiasticum non pertineret, De Ameno in *Tractatu de Delictis et poenis, tit.* 1 §. 2 *n.* 51. Et plures resolutiones citans Ferraris *in biblicth. canon,* verbo *Uxor* 56 *et seqq.* docet, uxores clericorum gaudere fori privilegio aliisque exemptionibus Maritissuis competentibus, durante illorum vitaquod etiam decisum fuisse idem Auctor tradit circa mulieres clericorum graecorum. Uxor enim sequitur mariti dignitatem, et forum.

bus alimenta accipiebat, huic matrimonio annuissent, atque se deinceps obligarent ad coniugum sustentationem; ipse enim unde viveret non habebat: quibus omnibus patruos suos omnino refragari. Denique aiebat ius quodlibet Caiam ad hoc matrimonium amisisse, quod licentiose ipsa se deinde gesserat, alium iuvenem amore prosequens, ita ut cum eodem fugam attentaverit.

Non est praetereundum, quod Titius, instituto dein processu, fassus est, se promisisse Caiae nupturum , sed sub conditione si patrui apud quos vivebat consensissent.

Acceptis Titii precibus, prout moris est, rogatus fuit Episcopus , ut audita muliere eiusque parentibus, de resultantibus certioraret, et confectis transmissisque actis, una cum voto, referret de existentia sponsalium , et de subsequenti vitae ratione mulieris. Hoc munere sibi demandato functus est Episcopus, et acta processus sedulo confecit.

Caia in Curia declaravit: supplicem Titii libellum mendaciis scatere: falsum omnino esse se Titium solicitasse, cum ipse e contra sponte sua vel per quamdam domus fenestram , vel ianuam, cuius ipse claves retinebat, habitationem suam ingrederetur: falsum omnino esse Titium sibi nuptias non adpromisrsse, cum pluries certiorem ipsam fecerit sibi esse nupturum etiam sine obolo, si patrui noluissent: quodque duo aderant testes de hac promissione: falsum pariter esse se licentiose gessisse, sive ante, sive post dedecus a Titio habitum, et de sua vitae honestate duo parochorum testimonia, quae exhibebat, fidem facere, aliosque testes, quos indicabat: falsa esse quae de fuga dicebantur; rem autem ita se habere, nempe ob timorem percussionum a patre, qui supponebat se amori cum alio iuvene operam dare, divertisse in domum cuiusdam mulieris, apud quam conversandi causa, familia ipsa interdum morabatur, ubi tres horas manserat, domum suam reversa ipsa comitante muliere.

Subiecti fuerunt examini iudiciali testes ad quos provocabant, cum Titius tum Caia, ex quorum testimoniis sub iuramenti fide emissis, ea quae sequuntur constant. Consona erant testimonia circa dictos mulieris amores cum Titio, circa patratum stuprum, quo excepto, Caia honesta semper reputata est; quin imo tres vel quatuor testes aderant, qui eo facto excepto, Caiae mores

apprime commendabant, ob domesticam et religiosam rationem vivendi, quae neque e domo prodibat nisi parentibus comitata: quibus suffragabantur duo parochorum testimonia.

Ad fugam quod attinet et alios amores, quibus a Titio puella accusabatur, testes ab eodem Titio provocati ea quae sequuntur deposuerunt. Illa ipsa mulier in cuius domo timore percussionum sese receperat Caia, scripta dedit, quibus testabatur, quodam mane die dominica Caiam perterritam et flentem confugisse in suam domum; se interpellasse Caiam cur id fecerit, quae respondit: ***fuisse fortiter a patre baculo percussam, quod se noctu ad fenestram invenerat colloquenlem cum quodam iuvene Sempronio. «Me*** imploravit (prosequitur eadem testis) ut accersirem eumdem Sempronium , quia ob novarum percussionum timorem cum eodem et in eiusdem Sempronii patriam proficisci volebat. » Quod tamen opera ipsius testis factum non est. Alii testes haec suis scriptis confirmabant, qui interrogati a iudice an aliquid munus a Titio acceperint ut id testarentur, responderunt se revera accepisse a Titio quoddam munus ob conscriptas attestationes.

At licet ob eam causam munus acceperint et unus vel alter illectus fuerit ad testandum, non videntur tamen fuisse subornali ad falsum dicendum testimonium.

Episcopus suam aperiens sententiam in ea erat opinione, ut removendum non putaret decretum ***nihil transeat.***

Disceptatio synoptica.

DEFENSIO TITII.—Defensor Titii inter caetera praenotabat, quod ***ubi de obligando quaeritur, propensiorés esse debere nos ad negandum,*** ut legitur in ***Lege*** 47 ***ff. de obi. et act.,*** et id quod minus est tenere debemus, ***ex lege*** 99 ***ff. de verb. oblig.*** maxime cum agitur de sponsalium obligatione, quae respicit hominis libertatem in re magni momenti: ideoque nisi afferantur probationes, quae omne dubium removeant, etiam levissimum, standum est pro libertate, ceu docuit S Rota in ***Pampilonen. Sponsalium*** die 28 Iunii 1754 ***coram Bonell.*** §. 3 ***et alibi,*** nec non S. C. C. ***in Romana seu Comen. Sponsalium*** 24 Novembris 1781 et ***in Sypontina Sponsalium*** 22 Iunii 18G1 ***et passim.*** Nec sufficit demonstrato quae dumtaxat ostendat adfuisse aliquam prae-

ordinationem, dispositionem, velleitatem ad matrimonium contrahendum , sed ostendi debet mutuus perfectusque consensus.

Qui mutuus consensus duo elementa simul complecti debet: *i.* scilicet promissionem explicitam serioque deliberatam contrahendi sponsalia: 2. repromissionem similem ex parte alterius. Si alterutrum desit, sponsalium obligatio non intelligitur.

Porro in praesenti themate facile concedebat Defensor praecessisse conditionatam matrimonii promissionem ex parte viri: at conditio suum implementum non habuit, ob patruorum dissensum, qui obfirmat!) animo eiusmodi nuptiis restiterunt. Verum «non impleta conditione, obligatio evanescit, ***Leg.*** 4 ***ff. de pact.***

Quare etiamsi ex parte mulieris haberetur repromissio, haec oullo pretio esset habenda ex conditione non impleta ; multoque minus aiebat vicem repromissionis habere potuisse stuprum, .quod ad summum praesumptionem inducere poterat acceptationis promissionis conditionatae, ceu observat Cosci, ***ad Vota de spons. decis.*** 25 n. 7.

At caeteris omissis Defensor contendebat, quod admissa etiam validitate sponsalium, alterutra pars a data fide resiliendi ius habet aliqua interveniente iusta causa; iamvero praeter metum ^mittendae haereditatis, quo Titius urgebatur, in themate aderat fides violata ab ipsa Caia, quae aliis amoribus operam dedit. Neque testes qui haec affirmarunt subornati dici poterant ad falsum dicendum testimonium ; nam alter testis pecuniam accepit post editum testimonium tamquam liberalitatis munus, nec caeteroquin quis praesumendus facile iurisiurandi fidem pessumdare exigua pecunia illectus.

DEFENSIO CAIAE. — E contra ***ex officio*** suscepta Caiae defensione, animadvertebatur, in praesenti casu satis constare de promissione sponsalium ex parte viri. Namque Titius fassus est in iudicio promissionem; quamvis eam conditionatam diceret. Iamvero ad conditionem quod spectat, minus ipsi erat credendum. Conditio enim apposita quam ipse affirmavit, ab eodem concludenter probari debebat ob notissimam regulam: reus in excipiendo fit actor: ***ei enim incumbit probatio, qui dicit, non qui negat, L.*** 2 ***(f. de probat, et L.*** 23 ***C. eodem titulo.***

Maxime autem in praesenti casu, in quo Titius sibi contradixerat. Nam i u precibus nihil promisisse sive scriptis sive ver-

bis dixit; in iudicio vero promisisse quidem, sed sub conditione affirmavit.

Caeterum neque deerant pro absoluta hac promissione testimonia. Mater enim Caiae testata est, pluries Titium promisisse, Caiam uxorem se ducturum, etiamsi neque obolum ipso possedisset, si patrui noluissent. Altera autem testis deposuit ; « testor Caiam, dum operam amori dabat cum Titio ***f tempore** » proinde non suspecto)*** pluries mihi dixisse quod Titius uxorem » se ducere volebat. » Quare, concludebatur, de asserta conditione vel non constare, vel contrarium evinci.

Quod si conditionata revera fuissent sponsalia, conditio sublata ab ipsis contrahentibus dicenda foret ob deflorationem quae- intercessit prole suscepta. Stuprum enim honestae puellae non solum suppeditat indicium sponsalium et locum tenet formalis- repromissionis ex parte mulieris, verum etiam conditionatam promissionem in absolutam convertit, ***argumento ex text. Cap. De illis, et Cap. Per tuas. de cond appos.,*** Heiffenst. ***in I.*** 4 ***decr. tit.^i §.*** 4 ***n.*** 08. Quemadmodum enim honesta mulier non praesumitur in tantum sui dedecus devenire nisi ex fide , et intuitu futuri matrimonii, ita pariter non praesumitur amasii votis indulgere nisi vel expresse, vel tacite removeatur conditio, quae iidem futuri matrimonii incertam nimis et ancipitem redderet.

Iamvero de Caiae honestate ambigi in facto non posse dicebatur, tum ex Parochorum testimoniis, tum ex testium depositione, qui uno ore fassi sunt eius honestatem: et, post lapsum, rigidioribus etiam moribus et magis circumspecte vitam duxisse ac ducere tradiderunt

Circa propositum vero Caiae arripiendi fugam cum altero viro, observabatur, eiusmodi accusationem suspectam esse, quod apparet tum ex studio, quo pars contraria testimonia exspicaverat, ut mores puellae corrupti ostenderentur, tum quia unus ex his testibus subscripserat attestationi a parte contraria exaratae , tum quia alter odio ferri dicebatur in parentes Caiae. Iamvero testium mores diligenter examinandi sunt et tunc ad mittendum testimonium est, cum caret suspicione, ut statuitur in ***leg.*** 3 ***ff. de Testibus: « Si careat suspicione testimonium vel propter personam a qua fertur, quod honesta sit, vel propter cau~***

sam, quod neque lucri, neque gratiae, neque inimicitiae causa fiat, admittendum est. »

His aliisque adductis propositum est resolvendum

nubium

« An et quomodo sit locus remotioni impedimenti sponsa-
» lium in casu. »

RESOLUTIO: — S. Congregatio Concilii causa discussa in comitiis habitis die 28 Ianuarii 1865 respondere censuit: ***affirmative.***

Ex us COLLIGES:

I. Sponsalium obligationem, quae oritur ex seria deliberataque voluntate , qua una pars promittit, et altera repromittit matrimonium de quo agunt, probandam concludenter esse, qualibet dubitatione exclusa.

II. Defloratione interveniente, si explicita repromissio ex parte mulieris desit, eam ex turpi facto praesumi, si puella undequaque honesta demonstretur.

HI. Hanc praesumptionem (quae ex eo oritur, quod honesta puella nunquam inducitur m tantum sui dedecus nisi certitudine futuri matrimonii) cessare, si indicia habeantur, quibus puella eiusque parentes, proprium filiae decus plurimi facere non videantur (1).

IV. In praesenti casu caeteris omissis si sponsalia intervenissent, liberum virum evasisse eo ipso, quo mulier cum altero aliis amoribus operam dare incoepit.

(i) Legenda sunt, quae scripsit Christophorus Cosci in celebri Voto VII. ***de spoit' talibus filiorum familias.***

Die IS Februarii 1865.

Summaria precum. Episcopus N. in relatione status ecclesiae suae S. C. C. enarrans, quod Canonici Cathedralis ex S. Sedis Rescripto recitabant tempore Adventus post Completorium, Matutinum insequentis diei, postulavit ut hoc Rescriptum extenderetur ad quadragesimale tempus, maxime vero ad dominicos dies et ferias quartam et sextam, manente tamen observantia absolvendi triplici tempore integrum chorale officium; scilicet post Completorium, Matutinum et Laudes pro die insequenti; post solis ortum Primam, Tertiam cum Missa conventuali de Sancto, et Sextam ; hora DECIMA ante meridiem , Nonam cum secunda Missa de feria, post quam Canonici adstitissent sacrae Concioni, atque deinde Vesperis.

Cum autem responsum laudato Episcopo fuerit ut Rescripti a S. Sede habiti exemplar transmitteret, retulit, non potuisse hoc Rescriptum in capitulari archivio reperiri; transmisit tamen particulam constitutionum capitularium ab Episcopo antecessore adprobatarum, quae ita se habet: u choralis officiatura tribus » distinctis vicibus quotidie peragenda erit integra, excepta » Octava Corporis Christi, exceptis dominicis festisque diebus, » qui in Adventu contingunt, atque toto triduo maioris hebdo- » madae, tunc enim post Completorium diei praecedentis Matu- **ri** tinum cum laudibus sequentis diei recitari solet. »

Postulatam xMatutini anticipationem tempore quadragesimali commendabat Episcopus tamquam populo perutilem, cui Missis privatis assistere dabatur, et maior Confessariorum copia suppetebat.

EA QUAE EX OFFICIO OBSERVABANTUR. — Videlicet animadvertebatur circa divini officii recitationem in choro, certas esse horas ecclesiasticis legibus statutas, ut dicitur in ***Cap.* 1 *Clementin. de Celebr. Miss.;*** et quamvis ad Matutini cum laudibus recitationem quod spectat, hora mediae noctis in ***Cap.* 1 *Decretalium, de Celebr. Miss,*** innuatur, remissa deinde fuit illa prisca disciplina, et translata est Matutini recitatio ad auroram, ita ut in

cathedralibus ecclesiis, exceptis tribus ultimis diebus maioris hebdomadae, recitari debeat mane, non autem vespere pro sequenti die, prout docet Benedictus XIV. ***Inst. eccl.*** 24 ***n.*** 9 ***et de Syn. dioec. I.*** 13 c. 9 ***n.*** 13.

Verum ab hac inducta generali regula intervenientibus rationabilibus causis, S. C. interdum recessisse observabatur: namque ex L. 17 ***Decret, pag.*** 379 habetur S. Congregationem Concilii super hac re die 12 Novembris 1644 consultam, censuisse ***petitam facultatem recitandi Matutinum post Completorium praecedentis diei esse concedendam, pro arbitrio tamen Episcopi,*** Benedictus XIV. ***loc. cit.***

In ***Abulen. Servitii Chori,*** diei 23 Ianuarii 1790 , agebatur de cathedrali ecclesia, quae forsan a fundatione ad annum 1772 servaverat veterem disciplinam recitandi media nocte Matutinum. At aeris inclementia, decentior Matutini recitatio, bonum populi exemplum, aliaeque concurrentes graves circumstantiae suadere videbantur Matutini cum Laudibus recitationem post Completorium diei praecedentis faciendam : et proposito dubio : « an et » quomodo sit locus recitationi Divini Officii in choro in casu: » S. C. respondit ; ***affirmative iuxta votum Episcopi; per Breve.*** In ***Montis Politiam*** diei 26 Iunii 1723, S. C. eo quod cathedralis ecclesia sita esset in cacumine montis, Canonicis tuendae valetudinis gratia tempore hyemali, a die immediate sequenti post festum Epiphaniae usque ad diem Cinerum, Matutinum et Laudes diei sequentis de sero recitare indultum fuit, quamvis capitulares constitutiones confirmatione Apostolica fuissent roboratae.

Pronior etiam fuit S. C. C. in concedenda dispensatione, quando ageretur de spirituali fidelium bono procurando, ut in ***Casalen.*** 21 Septembris 1822, in qua postulabatur anticipatio Matutini ob Theologi et Poenitentiarii officium, et ob munus fidelium confessiones excipiendi pluribus Canonicis concreditum, et ad arcendum detrimentum quod fidelibus obveniret, ob recitationem Matutini cum Laudibus, si mane diei festi ab huiusmodi administrando sacramento Canonici distraherentur, et proposito dubio: « an et quomodo sit concedendum Indultum in » casu: » responsum prodiit: ***affirmative arbitrio et conscientiae Episcopi ad decennium, facto verbo cum SSmo.*** Neque aliter responsum fuit in ***Massanen.*** diei lo Decembris eiusdem anni 1822.

Quamvis non desint casus in quibus hanc veniam S. Cong. denegavit, ut in ***Firmana,*** diei 10 Iulii 1790, in qua Matutini recitatio post Completorium cedebat potius in Canonicorum commodum, quam in fidelium utilitatem.

Denique adducebatur recens exemplum in ***Balneoregien.*** diei 25 Iunii 1864 per ***summaria precum*** exposita, in qua responsum fuit: ***pro gratia iuxta votum Episcopi ad decennium facto verbo cum SSmo.***

Hisce ***ex officio*** observatis sequens datum est indultum.

RESOLUTIO.—S. Congregatio Concilii re cognita die 16 Februarii 1865 respondere censuit: ***pro gratia, pro diebus ab Episcopo designatis ad decennium facto verbo cum SSmo ; et ad mentem*** (1).

Ex ns COLLIGES:

I. In cathedralibus, et collegiatis ecclesiis divinum officium debitis horis esse persolvendum.

II. Debitas horas pro chorali recitatione Matutini cum Laudibus non esse tempus vespertinum diei antecedentis; quod et nomen ***Matutini*** indicat, et mentio, quae ***de aurora*** fit in Laudibus, magis comprobat.

III. Quare, licet non amplius vetus mos in ecclesiis saecu-r laribus servari soleat praeveniendi eiusdem diei lucem in laude Creatori publice persolvenda; attamen a constituto in Ecclesia ordine esse alienum, ut Matutini choralis recitatio eo tempore fiat, quo vespertinae preces sunt ab Ecclesia adsignatae.

IV. Concurrentibus autem rationabilibus causis, si hae sint perpetuae, S. Sedem dictam anticipationem perpetuo indulgere; si temporaneae, sint, Episcopi prudentiae eam ad tempus remittere (2).

(1) Mens S. Congregationis fuit, quod exceptis feriis dumtaxat quadragesimae, vesperae recitari non possunt mane.

(2) Praetereunda heic non est commemoratio cuiusdam controversiae inter Episcopum et Capitulum cathedralis papiensis, quae extincta fuit a S. P. Benedicto XIII, die 8 Iulii 1726; quam controversiam eiusdemque resolutionem sic enarrat Ferraris *Biblioth. can.* verbo: *Officium divinum, art.* 4 *n.* 37. « Pretendente dicto Capitulo sine petitione necessariae licentiae Episcopi uti indulto Sacrae Congregationis Concilii; quamvis remisso ad arbitrium Episcopi, recitandi certis anni temporibus Matutinum post Completorium, et contradicente Episcopo nunc Archiepiscopo, tandem dicta con-

SACRAE VISITATIONIS,

XHe **16** *Martii* **1866.**

Compendium faeti. Episcopus dioecesis A, in Italia suis literis S. C. Ep. et Reg. exponebat, Regulares viros in sua dioecesi constitutos, nempe Somaschenses, Cappucinos, Franciscanus Minores, et Observantes, ac denique Servos Deiparae Virginis vulgo ***Serviti,*** quorum omnium coenobia reintegrala fuerant post notas gallicae suppressionis vicissitudines, in suis ecclesiis divinas functiones peragere adsolere cum interventu Sacerdotum saecularium, qui proinde ibidem Missae sacrificium celebrant, atque etiam sacrae poenitentiae sacramentum administrant: subdebat insuper in iisdem ecclesiis christianam doctrinam pueris tradi, catechismum populo explicari, ac functiones extraordinarias absque sua venia cum detrimento iurium parochialium absolvi. Nominatim vero super ecclesia Servorum Deiparae Virginis conventui adnexa, ubi celebre erat Sanctuarium B. M. V, ipsis concreditum, dependentiam ac subiectionem sibi ab iisdem deberi existimabat in vim peculiaris cuiusdam conventionis, quae in coenobii reintegratione solemniter inter Episcopum pro tempore et Superiores locales illius domi inita fuerat.

troversia extincta, et decisa fuit die et anno quo supra a Benedicto XIII., per suum speciale Breve relato a laudato Card. de Lambertiuis, postea felicis recordationis Summo Pontifice, ***Volumine*** **5** ***Notificatione*** **19 §. 4, his verbis:** ***Quod igitur Dignitates et Canonicos illos primum a beneficio ad mensem , deinde •a divinis suspenderis, eo quod matutinum officium te contradicente, ac velante recitare ausi fuerint post vespertinas horas antecedentis diei, obtentu interpositae appellationis, et Rescripti Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Concilii Tridentini interpretum, laudamus consilium zelumque fraternitatis tuae etc. propterea, cum ex antedicta matutini officii recitatione ansam repugnandi arripuerint Canonici, per praesentes etiam Literas declaramus tuae auctoritatis hactenus fuisse, semperque fore decernimus, potestatem iisdem Cano-' nicis facere, sive licentiam impertiri, quoties et quamdiu tibi opportunum videbitur, antevertendi statutis recitationis temporibus.»***

Rogatus a S. C. Episcopus, quae potissimum se rationum momenta sibi suffragari arbitrantur, ut sacram inibi visitationem aggredi posset, respondebat eadem momenta in hoc sita esse, ***quod*** suus Decessor haec iura reapse exercuisset; ***quod*** Sacerdotes saeculares Missae sacrificium perlitare, et Confessiones ibi audire solerent, ***quod*** christiana doctrina et catechismus explanaretur; ***quod*** ultimo divinae functiones extra ordinem absque* suo consensu non sine damno Parochorum celebrarentur.

S. C. supremos Moderatores Regularium, quos nominavimus,. audiendos esse iussit, ac speciatim sciscitandos, quot numero* religiosorum capita in suis quibusvis conventibus sedem haberent. Eos insuper invitavit, ut quas rationes sui favore haberent, in medium proferrent.

Iamvero circa numerum Religiosorum memorati Moderatores perscribebant, ultra numerum duodenarium in suis omnibus conventibus ali religiosos; negabant quod asserebat Episcopus, Decessorem eius regulares ecclesias visitasse, si tempus forsan excipias, quo religiosi infra duodenarium numerum aliquantisper in domibus religiosis commorabantur. Unus erat Somaschensium Moderator, qui Orphanotrophium in ea dioecesi habere se renunciabat cum uno Sacerdote ac quatuor laicis Orphanorum servitio mancipatis.

Quod vero pertinet ad peculiares rationes ab Episcopo in suae petitionis praesidium prolatas, respondebant uno ore dicti Moderatores, non admitti in suas ecclesias Sacerdotes saeculares neque ad Missae sacrificium offerendum, neque ad Confessiones excipiendas, nisi necessariam Episcopi facultatem et approbationem sive pro sacrificio, sive pro Confessionibus rite exhiberent; veluti communiter in omnibus ecclesiis, tum regularibus tum saecularibus factitari solet. Iucundum et gratum non molestum et grave Episcopo esse debere putabant, si Religiosi Parochis subsidio essent in pueris et idiotis hominibus christianam doctrinam et catechismum edocendis. Denique circa functiones extraordinarias nunquam renuerant, neque in praesens renuebant debitam Episcopo subiectionem praestare.

Superius innuimus Episcopum suas querelas contra Servos Deiparae Virginis admovisse circa Sanctuarium penes eorum ecclesiam populi devotione cultum ac celebratum. De quo scien-

dum est, conventum illum anno 1853 Servitis restitutum fuisse, eaque occasione pactum conventum intervenisse, cuius mentio facta est. In eo porro, assentiente civili Gubernio (namque vincula ecclesiae imposita per illud gubernium adhuc firma manebant) Episcopus et Servitarum Moderatores communi consensu sanciverant certas leges ac normas, quae servari debebant tum in Missarum, quas fideles committerent, celebratione, tum in functionibus extra ordinem, et oblationibus erogandis, tum in officiis divinis peragendis, et bonis administrandis. De hisce rebus generatim satis est dicere, quod singulis casibus determinatum fuerat, quae iura Episcopo, quae Religiosis reservarentur: adeoque nulla insuper difficultas superesse videbatur.

IBiseeptatio synoptiea.

Postquam omnia, quae ad factum referuntur, in Consultatione ***ex officio*** conscribi solita summatim exposita fuerant, praemonebatur, Episcopi petitionem generalem esse, et quamvis quaestio Regulares in dioecesi N. degentes dumtaxat respiciat, nihilominus ad omnes ecclesias regulares quorumcumque locorum extendi, speciatim vero ad christianae doctrinae et catechismi explicationem, necnon Missae celebrationem, et poenitentiae sacramentum quoad Sacerdotes seculares circumscribi. Primo itaque controversia generalis, specialis deinde expendebatur.

QUIDNAM CIRCA QUAESTIONEM GENERALEM PROFERRETUR. Summi Pontifices (ita ibi statuebatur) ut aliquo praemio Ordines Regulares remunerarentur pro insignibus eorum erga Ecclesiam meritis, amplissima exemptionis a potestate Episcoporum privilegia eisdem conferre nunquam destiterunt: idque eo magis praestiterunt iidem Pontifices, quo Regularium Ordinum Moderatores Uberiores effecti facilius et efficacius regularem observantiam in domibus religiosis tuerentur. Quoniam vero progressu temporum pro circumstantiarum diversitate nihil est in rebus humanis, quod **in** peius haud ruat, ac retro sublapsum referatur, mirum non est, si aliquid humani etiam Regulares Ordines paterentur, ac privilegia iisdem concessa aliquid abusionis secum ferrent.

Et sane; parvi conventus vulgo ***Convellimi*** ob parvum Religiosorum numerum aliquibus in locis hoc incommodum subiisse

deprehensi sunt, ut regularis observantia negligeretur, neque adprime fini, propter quem fundati fuerant, responderent. Itaque R. P. Innocentius X. idoneum et opportunum buie rei remedium afferre deliberavit. Ad hanc rem assequendam discrimen posuit inter Conventus, ubi duodecim religiosi viri numeraretur, et Conventus, ubi religiosi infra eumdem numerum sedem haberent.

Ad primos quod attinet, nihil innovatum est, adeoque privilegia iisdem eatenus competentia sarta tectaque servata sunt. Hinc ad quaestionem ab Episcopo Oratore propositam rursum sermone converso, illud concludi posse videbatur, nullum iurisdictionis actum ab Episcopo exerceri posse in Cappucinos, Franciscanos Minores et Observantes, itemque Servitas, eorumque sacras aedes (nisi quod circa hos eae conditiones in pactis conventis anni 1835 sancitae ad unguem servari debuissent) ; quandoquidem , prouti superius praenotatum est, religiosae eorum domus ea in dioecesi positae duodenarium capitum numerum excedebant.

Dein sermo fiebat de conventibus in quibus minor quam duodecim capitum numerus alebatur. Hasce nimirum domos Innocentius X. suis Apostolicis literis suppressionis decreto perculit et extinxit, sed tamen uno eodemque tempore maximam earumdem domorum suppressarum partem restituit, ea addita conditione, ut hae omnes plus vel minus, iurisdictioni Episcoporum, sacraeque eorum visitationi subiacerent. Quae res effecta est per Decretum incipien. « ***Ut in parvis*** » diei 10 Febr. 1654, ut videre est penes Fagnanum ad ***Cap. Relatum*** 7 ***Ne Cleric. vel Monach,*** qui uti secretarius particularis illius Congregationis, quae ab Innocentio X. deputata fuerat, magnam in eo negotio partem habuit, et historiam diligenter enarrat. Breviter hanc attingit clarus Auctor novissimi Operis hoc anno editi typis officinae nostrae de Prop. Fid. cui titulus ***De VV. SS. LL. seu instructio Ben. XIII. exposita et illustrata Vol. H. a pag.*** 29 ***et seqq.*** Ibi insuper declarationes omnes super hac materia prolatae referuntur, dignaeque sunt, quae Episcopis innotescant, ut, quoad eorum potestas in parvos huiusmodi conventus pateat, tuto certoque internoscere possint (1).

(I) **Hoc opus, quod tribus voluminibus absolvitur, Lectores reperient eruditione plenum. Clarus Auctor Angelus Lucidi, qui munere fungitur conscribendi**

Enimvero Episcopus, de quo res erat, in Orphanotrophio Somaschensium dumtaxat iuxta haec, quae praelibaviinus, iura ob duodenarii numeri defectum visitationem absolvere potuisset. At ex speciali privilegio a Summis Pontificibus Somaschensi congregationi elargito, neque ibi hoc ius exercere potuisset: allegabantur enim Apostolicae Constitutiones, quarum vi Orphanotrophia aliaque sacra instituta ei congregationi concredita, ab omni Episcopi iurisdictione, et sacra visitatione exempta fuerant.

Insuper animad vertebatur, quod S. C. Concilii in responsionibus ad Episcoporum relationes, quod pertinet ad parvorum conventuum visitationem, (de qua agit Instructio Benedicti XIII. ***IV. n.*** 3) solemne habeat nullatenus urgere, ut hoc ius, quod ab omnibus ordinarie solet omitti, exercere studeant, dummodo peculiares circumstantiae aliter fortasse non suadeant. Neque diversa est S. C. Ep. et Reg. disciplina: quod utique confirmafoatur exemplo cuiusdam causae ***Tarvisinae Oratorii*** penes eam S. C. pluries in examen deductae. In ea de Oratorio agebatur, quod cuidam Hospitio Societatis Iesu erat adnexum. Eiusdem visitationem aggredi voluisset Episcopus Tarvisinus: at S. C. post plures propositiones, cum aliunde nequaquam dubitaretur, quin omnia, quae ad divinum cultum pertinent, sancte religioseque in eo custodirentur; tandem die 20 Martii 1857, rem indefinite distulit, dato responso « ***Dilata, et scribatur Episcopo, ut attentis peculiaribus circumstantiis se abstineat a visitatione Oratorii.))***

QUID IN SPECIALI CONTROVERSIA EXPONERETUR. A celebratione Missae initium sumebatur de qua ab Apostolica Sede sancitum iam fuerat, ut in ecclesiis Regularium Sacerdotes exteri ad celebrandum Sacrum non admittantur, nisi prius ab Episcopo inspectae et examinatae fuerint literae proprii Episcopi, quae vulgo audiunt ***discessuales,*** quia videlicet a proprio Episcopo traduntur occa-

literas ad relationes Episcoporum in Sacra Congreg. Concilii et Consultationes elaborandi in S. C. Ep. et Reg. hanc sibi legem edixit in eo opere conscribendo, ut nihil de suo obtruderet, sed omnia ad iuris canonici, pontificiarum Constitutionum, et declarationum SS. Almae Urbis Congregationum amussim exigeret. In duplicem opus dividitur partem; una primo, ac secundo volumine comprehensa iura exponit, quae ad singula Instructionis Benedictinae capita referuntur: altera pars tertio volumine continet acta perplurima per extensum, cuiusmodi sunt Constitutiones aliquae Pontificum, *folia* S. C. Concilii, aliaque eiusmodi, quae fastidium in corpore operis Lectori iutulissent.

sione, qua quis a dioecesi discedit* eo nempe fine, ut quocumque hic sese ferat, absque difficultate Missam celebrare permittatur. Quod enim Episcopus in ecclesiis regularibus id exigere valeat, patet ex declaratione S. C. Conc. diei 7 Novemb. 1594 lib. 6 ***Decr.*** p. 78 apud Ben. XIV. ***Inst. Eccl.*** 34 ***n.*** 4.

Quid vero iuris, si agatur de Sacerdotibus non exteris ? Hos scilicet sine speciali facultate admitti non debere declarat ubique recepta praxis, quae fert, ut Episcopi huiusmodi speciales facultates vel indefinite vel ad tempus singulis Sacerdotibus concedant, qua muniti Missam ubique celebrare possint.

Et sane; in dioecesibus non multo Sacerdotum numero refertis, semel ante primam post ordinationem Missam dictae literae concedi solent: in dioecesibus autem numerosis conceduntur ad tempus; ita in Alma Urbe nonnisi ad annum Sacerdotibus etiam Romanis tribuuntur Quae cum ita sint si in ecclesiis Regularium existentibus in dioecesi Episcopi, de quo res erat, Sacerdotes sive exteri sive indigenae huiusmodi facultatibus praediti sese obtulissent, ut Missam celebrare sinerentur, iis ab eodem Episcopo nec prohibitionem nec impedimentum inferri posse videbatur: quin imo nulla ratio suppetebat, cur ea de causa ecclesiam regularem sacra visitatione pcrlustrandi ius habere dici posset idem Episcopus.

Idem statuendum erat de Sacerdotibus non exteris ad audiendas confessiones ab Episcopo rite adprobatis, cum in Regularium ecclesiis ad poenitentiae sacramentum administrandum reciperentur, dummodo tamen approbatio illimitata sit et absoluta , videlicet neque ad certa loca, neque ad certas personas coercita, aut alio quocumque limite circumscripta.

Circa doctrinae et catechismi explicationem, declaratio S. ***C.*** Conc. afferebatur edita in ***Ferrarien. Doctrinae Christianae*** diei 11 Augusti 1742. Pientissimus quidam Canonicus Sacerdotes Missionum pio legato honoraverat, ea adiecta conditione, ut festis diebus populo doctrinam christianam et catechismum traderent in quadam rurali ecclesia. Emus Episcopus dioecesanus suo decreto edixerat, ut id onus diebus ferialibus exequeretur. Cum Sacerdotes legatarii restitissent, proposito dubio : « an Sacerdo-
» tibus Missionum liceat tradere populo doctrinam christianam
» diebus dominicis in ecclesia rurali Fantolinae ad formam piae

*> dispositionis Canonici Bertoni : seu potius sit exequcndum de-
i> cretum ab Emo de licio in casu » S. C. respondit: ***Affirmative ad primam partem, et quoad modum arbitrio Archiepiscopi.*** Hinc inferebatur posse quidem Episcopos determinare modum et formam , quibus doctrinae christianae et catechismi munus obire deberent Religiosi in sua dioecesi exstantes, minime vero prohibitionem facere, ne id munus omnino absolverem, ac multo minus videri causam exinde habere, ut sacram visitationem in ecclesia ipsorum regularium aggrederetur.

Hisce consideratis, sub generali formula propositum fuit

Dubium.

« An et quomodo respondendum sit literis Episcopi N. et potissimum circa Sanctuarium B. M. V. loci N. N.

RESPONSIO. — S . C. Episc, et Reg. re in examen vocata in plenariis comitiis diei 16 Martii 1866 respondere censuit: ***prout exponitur non constare de iure Episcopi peragendi sacram visitationem.***

Ex us COLLIGES:

I. Conventus Regularium, quibus alitur duodenarius religiosorum numerus, ab Episcopi iurisdictione et sacra visitatione exemptos esse.

H. Conventus, quibus idem numerus non alitur, iurisdictioni ac visitationi episcopali subiacere iuxta terminos Apostolicis sanationibus et SS. fcC. declarationibus praestitutos.

III. Episcopos exigere posse, ut in ecclesiis Regularium Sacerdotes exteri ad Missae sacrificium celebrandum minime admittantur, nisi prius literae discessuales ab eodem inspectae fuerint.

IV. Regulariter loquendo, Episcopos non posse prohibere, quominus Religiosi doctrinam christianam et catechismum publice tradant (1).

V. Posse tamen modum determinare, quo utraque res ab iisdem peragi queat.

(i) Vid. Appendicem VI. in qua contrarià quodammodo quaestio in eo quod respicit catechismum exponitur, quae agitata est in S. C. C. anno 1861.

SUPER QUARTA FUNERUM.

Die 19 *Ianuarii* 1866.

Compendium facti. Benedictus XIII. anno 1725 Constitutionem edidit pro Italia insulisque adiacentibus, quae incipit; ***Romanus Pontifex,*** ut arcerentur controversiae inter Parochos et Regularium monasteria seu conventus circa solutionem quartae funerum, quae ex SS. Canonibus Parocho Defuncti debetur. In ea Constitutione legitur: « ***Statuimus et mandamus, ut in Italia, eique adiacentibus insulis Parochis Defunctorum, qui in ecclesiis quorumcumque Regularium praedictorum tumidabuntur. persolvatur, et cum effectu tradatur quarta pars omnium inlorticiorum, ct candelarum, quibus Defuncti cadaver in itinere ad ecclesiam tumulanlem associabiiur, nec non omnium inlorticiorum et candelarum, quae in eadem ecclesia circa cadaver, vel etiam in altaribus in die funeris accendentur. A praedicta tamen quarta funerali exceptae intelligantur et sint candelae quas Sacerdotes etiam Regulares... funus associantes mànualiter per viam accensas deferent. Quod si funus non fieret in die tumulationis, sed ad diversam diem, vel ad aliud longius tempus differretur, Parocho nihilominus assignetur quarta pars... Haec porro omnia locum habeant, et exacte in posterum observentur, quotiescumque Defunctus extra suam parochialem ecclesiam tumuletur, vel exponatur, sive quia in ecclesia tumulante, vel exponente beneficium obtinuerit, sive quia ibidem sepulcrum habuerit gentilitium, sive tandem quia in ea sepulturam elegerit... Ubi vero consuetudines legitime probatae, conventiones, concordiae, vel statuta vigerent, quae praefatis Parochis magis faverent, illisque pinguiorem praedicta quarta emolumentorum funeralium portionem assignarent, ea in iis, in quibus vigent locis, inconcusse ab omnibus observari sancimus etc. »***

Circa hanc ultimam dispositionis partem quaestiuncula versatur, quae orta est inter Capitulum Collegiatae N. cui adnexa est animarum cura, et quamdam Regularium ecclesiam. Contendebat Archipresbyter Collegiatae ex consuetudine iam vigente tempore dictae Constitutionis spectare Capitulo non quartam • sed dimidiam partem emolumentorum funeralium: eamdemque

consuetudinem usque in praesens perseverasse, quamvis ratione restaurandae ecclesiae collegiatae per plures annos, quadam facta temporanea conventione, (quae consuetudini non refregabatur) omnes Defunctorum exequiae in ecclesia Regularium absolverentur: rebus autem in pristinum restitutis, vetus ius reviviscere debere.

E contra Regulares de speciali hac consuetudine constare quidem aiebant usque ad annum 1731, deesse tamen argumenta, quibus eadem consuetudo usque in praesens perdurasse demonstraretur. Quin imo Regulares nonnulla adducebant testimonia emissa a viris aetate provectis, qui testabantur se meminisse ante dictam conventionem a Monasterio persolvi solere Capitulo ratione funerum non mediam, sed quartam emolumentorum partem. Quare contendebant Regulares primaevae consuetudini immemoriali, quae vigebat favore Capituli, quaeque in suo pleno vigore erat anno 1731 fuisse derogatum per contrariam invectam consuetudinem, ita ut ad Capitulum spectare deberet nonnisi vera pars quarta emolumentorum, non autem pars dimidia.

Hisce in facto adductis, documentisque firmatis, propositum est resolvendum

U ubi «i m.

«An constet de legitima consuetudine favore Capituli eccle-
» siae collegiatae parochialis N. percipiendi mediam partem ce-
» rae occasione sepulturae parochianorum in ecclesia Regularium
» NN. in casu. »

RESOLUTIO.—S. Congregatio Epis. et Reg. re cognita die 19 Ianuarii 1866 respondere censuit: ***affirmative: et amplius.***

Ex US COLLIGES.

I. In materia funerum loci consuetudinem multum operari.

II. Consuetudini immemoriali praeexistenti non censeri fuisse derogatum per contrariam consuetudinem, nisi contraria isthaec consuetudo obtinuisse concludenter demonstretur, ab eo qui eam invectam fuisse affirmat.

III. In praesenti casu eiusmodi facta adducta non fuisse, quae consuetudinem invectam fuisse ostenderent ad effectum saltem enervandi praeexistentem immemorialem consuetudinem, quae vigorem iuridicum multum auxerat ex Benedictina Constitutione.

EX S, CONGREGATIONE SUPER STATU REGULARIUM.

SUPER DECLARATIONE LITERARUM APOSTOLICARUM.

***Die* 16 *Augusti* 1866,**

Abbas Ordinis N. Americae Septemtrionalis regionis sequentia dubia S. C. super Statu Regularium exposuit: L « quod adhuc «dubitatur, utrum in casu, quo Sacerdos saecularis habitum » petivit et obtinuit, qui annum 25 longe transgressus sit, huic ***» professio solemnis differri possit supra consuetum triennium,*** si » scilicet intra triennium non sufficientia argumenta de sua vo» catione dederit. » II. « Et si post unum alterumve annum ad« huc tum dubius vel suspectus existat (v. gr. An ebrietatis vi» tio laboret), utrum deinde statim dimittendus sit, vel ***cum » votis simplicibus*** retineri possit in Ordine, ut timor expulsio» nis eum cautiorem reddat; et ne in saeculo penitus labatur » et pereat; et quia si bene se gerat, Monasterio v. gr. erudi» » tione sua valde utilis esse possit. »

Priusquam eiusmodi dubia S. C. resolvenda proponerentur, auditus Romae est Procurator Generalis eiusdem Regularis Ordinis, qui circa primum dubium advertebat, iuxta verba Literarum encyclicarum diei 18 Martii 1857 nempe: ***((poterit Superior Generalis ac etiam Provincialis ex iustis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra aetatem annorum*** 25 ***expletorum;*** » ad primum dubium negative esse respondendum: nihilominus perutile existimabat, si eiusmodi facultas induceretur Superioribus Regularibus Americae regionis in qua rarus non est casus, quo viri spectabiles probitate, scientia, et eruditione misere subiaceant ebrietatibus. Indigenae enim, quibus pro maxima sui parte componuntur status foederati septemtrionales, in huiusmodi ebrietatis vitium feruntur, quod si in omnibus est reprobandus, maxime reprobari debet in ecclesiatico viro, quamvis eiusmodi vitium, nomilo

-earum regionum grave scandalum non creet, prout nostratibus crearet. Quare peropportunum existimabat laudatus Procurator solemnem suspendere Professionem quoties alumnus aliquis in «eiusmodi vitium ferri videretur.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE PRO NEGATIVA RESPONSIONE ADNOTABANTUR. — In Consultatione quae ***ex officio*** solet conscribi, adductis verbis quae leguntur in citatis Literis encyclicis quae incipiunt: ***Neminem latet*** diei 19 Martii 1857 g. ***Professi,*** cuius haec sunt verba: ***Professi post triennium a die quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis Institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit. Poterit vero Superior Generalis ac etiam Superior Provincialis ex iustis et rationabilibus causis prcfessionem votorum solemnium differre, non autem ultra aetatem annorum*** 25 ***expletorum. Si vero in Ordine seu Instituto Provinciales non habeantur , eadem differendi professionem votorum solemnium facidlas attribuitur etiam Superiori domus Novitiatus, de consensu tamen Magistri Novitiorum et duorum Religiosorum, qui in Instituto aliquo gradu insigniti sint:»*** advertebalur, terminum annorum vigintiquinque esse ita definitum ut protendi non possit. Neque consideratione videbatur dignus casus in quo ille qui Religionem ingreditur, suae aetatis annum 25 excesserit: nam cum agatur de casibus qui raro contingunt, locum habere videbatur effatum illud: ***de minimis non curat Praetor.*** Maxime cum disciplinae conformitas ct observantia constantis legis multa bona adducit quae ex legis relaxatione non derivant.

EA QUAE IN CONTRARIUM ADVERTEBANTUR. — E contra vero videtur mens Legislatoris in iis Literis praecipue intendisse ad florentem iuvenum aetatem qui Religiosum statum amplecti solent, ut per longius temporis intervallum probati, tutius ad professionem solemnem admitti possint. Verum causae propter quas professio solemnis differtur in iuvenibus, non desunt in illis qui provecti sunt aetate; quin imo in adolescentibus vitia, si quae contracta in saeculo fuerint, faciliori ratione delentur quam

in adultis, prout experientia testatur. Quare si Legislator eiusmodi casum non infrequentèm, quo aetate provectiores Religionem ingrediantur, minus contemplatus sit, locus datur legis declarationi, vel dispensationi pro locorum et personarum adiunctis. Maxime cum non desint Regulares Ordines, qui vota simplicia protrahunt ultra aetatem 25 annorum; nec eiusmodi protractio iis in laudatis Literis interdicta est, quae reservatur verbis: ***nisi...professio votorum simplicium ad longius tempus iam concessa fuerit.***

Iamvero ebrietatis abominabile vitium quod in Americae regionibus dominatur, quod natura sua dignitatem humanam deprimit et subvertit, detrimenta spiritualia et temporalia quae secumfert, causae esse videbantur cur ad aliquam legis derogationem pro iis locis deveniretur.

Hisce aliisque generatim perpensis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. ((An et quomodo primo ex praepositis quaesitis sit re- » spondendum.

II. » An et quomodo secundo sit respondendum. »

RESPONSIO. — S. Congregatio super Statu Regularium in comitiis habitis die 19 Augusti 1866 re discussa censuit respondendum :

Ad I ***Negative.***

Ad II ***Recurrendum in singulis casibus.***

Ex ns COLLIGES:

I. Quamvis facultas praescriptum triennale tempus votorum simplicium protrahendi Superioribus Regularibus, de quibus in Literis encyclicis sermo habetur, concessa sit: eamdem tamen facultatem omnino denegatam censeri si professi vota simplicia annum expleverint aetatis suae xxv.

II. Id maiori ratione locum habere si illi, qui Religionem ingrediuntur iam dictam expleverint aetatem, nisi aliunde Ordini indultum sit differendi ulterius solemnem professionem.

III. Singularis enim concessa facultas ultra praescriptos limites non protenditur, quamvis ratio legis assistere videri posset.

EX S. COIGflEfiATlOl SS. RITUUM.

AUGUSTODTOEJF. SEU AEBUE^.

CANONIZATIONIS

BEATAE MARGHARITiE MARIAE ALACOQIJE

VIRGINIS MONIALIS PROFESSAE ORDINIS VISITATIONIS

BEATAE MARIAE VIRGINIS

INSTITUTI SANCTI FRANCISCI SALESII

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

DECRETUM. « Instante Rmo D. Canonico Dominico Borghi (1) Cubiculario honorario Sanctissimi Domini Nostri Pii PAPAE IX. Postulatore Causae Beatae MARGHARITAE MARIAE ALACOQUE praefatae, quum subscriptus Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationis

(i) 11linus et Reifius Dominicus canonicus Borghi causae Postulator huius praedileetae virginis, quae divini cordis amore incensa ad ipsum amoris fontem adspirabat verbis: *Deus cordis mei, ei cor Dei mei!,* instituit per Oratorem supplici oblato libello Emo Praefecto SS. RR. Congregationi, ut causa isthaec reaussumeretur. Gratum fore existimavimus Lectoribus nostris si eiusmodi libelli tenorem expoueremus, qui sequentibus verbis est conceptus.

Eme et Rme Domine

1. « Ea quae coelestia sunt, divina atque immortalia, solet mundus contemnere, quod ea non videt neque scit, ac defixus tantummodo in iis quae sensibus percipiuntur et corpus voluptate aut dolore afficiunt, demisso in terram vultu,, libentius in coeno quam in aere puro, potius inter pecudes, quam inter Angelos versatur. Haec quae summa stultitia est persaepe a compluribus sapientia nuncupatur, et inanibus fucata verbis multos ex iis qui sublimibus Christi doctrinis sunt instituti decipit et in fraudem inducit. Satis haec deliramenta profligari possent si solida illa fundamenta respicias queis Christiana religio innititur; verum ad arguendam validius tantam perversitatem et tam impudentem fallaciam, solet nonnunquam Deus animabus quibusdam fidelibus atque innocentibus ea quae superna et invisibilia sunt miris

*

Praefectus huius Causae Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis sequens proposuerit Dubium: - ***An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?*** - Eminentissimi et Reverendissimi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accu-

manifestare modis et videnda exhibere, ut visa haec deinde testata aliis roborent infirmam debilium fidem, et incredulorum mendacia gravius retundant. Possunt hae animae Iectissimae testari cum Paulo sibi Christum visum esse (t. Corint. xv. 8) atque enarrare visiones et revelationes Dominr(2. Corint. XII. 1) nec non Petri voces usurpare dicentis: «Non doctas fabulas secuti notam fèci^ » mus vobis D. N. Iesu Christi virtutem » et praesentiam, sed speculatores facti *o* illius magnitudinis (2. Petr. I. 16).»

2.» Fuit in hoc numero felici et divinis charismatibus insigni Beata Margherita Maria Alaeoque, cui SSmus Dominus Pius IX. plaudentibus bonis omnibus coelitum honores post diuturnam disceptationem primum tribuit solemnissime *àie* ix. Kal. Octobris anni MDCCCLXIV. **Humilem hanc virginem, quae se ab ineunte aetate divino famulatui addixerat ita dilexit Deus, ut nescias utrum magis mirere gratiani, cuius ope virtutes omnes tam praestanti atque heroico gradu valuit exercere, an dona illa supernaturalia quibus ita cumulata fuit, ut mortalem hanc vitam potius in coelis inter Superos, quam inter homines in terris degere visa sit. Siquidem puella atque adolescens asperrimas saeculi, carnis; ac daemonis pugnas sustinuit, ac Deo opitulante victrix evasit. Multa a suis et domesticis perpessa est, sed in patientia possedit animam suam. Hominum invidia afflictam suscepit et assumpsit Deus, illecebris amoris sui devinxit, et in sacrum asceterium attraxit.**

3.» Ibi sapientissimas Francisci Salesii regulas et instituta sequens Beata Mulier a saeculo remota, et omnino seipsam Domino ac Sponso suo devovens ita se gessit, ut tanquam exemplar virtutum omnium inter sorores fulgeret, et mentis ac corporis sui perpetuum, donec viveret, Deo holocaustum offerret. Etsi nullius gravioris noxae sibi conscia esset, tamen carnes innocentissimas assiduis ieiuniis, vigiliis ac verberibus edomuit et attrivit. Voluntatem suam abnegans, convicia et contumelias aequo animo excipiens, abiectissimis sese exercens ministeriis vanitatis et superbiae stimulos omnes non tam retundere, quam praevertere potius enixa studuit. Paupertatis amatrix et cultrix ardentissima non modo omnibus quae habebat aut habere potuisset ultro valedixit, oblatamque sibi annuam pensionem repudiavit, sed incommoda paupertatis omnia inhians experiri, cum sibi necessarium aliquid sentiret deesse, nunquam quaesivit, ac quidquid esset in cibis, indumentis, supellectili deterrirnum et contemptissimum praeprimis adamavit. Sic tria illa quae in Crucifixo Domino potissimum admiramur, doloris molestiam, humilitatem cum ignominia, ac rerum omnium inopiam cupide amplexa cum imagine Sponsi sui conformis fieri quoad potuit contendit.

4. » Verum cum viam mandatorum et consiliorum Domini curreret alacriter virgo amantissima, ipse dilatavit cor eius candidarnque animam supernis replevit luminibus, ac mirabilibus repraesentationibus recreavit, erexit. Arcana cordium, quae intuitus omnes, praeter divinum, effugiunt, perspiciebat humilis,, et immerito contempta virgo, et frustra celantibns leniter revelans, infensos ana*

rate perpensis, rescribendum censuerunt: - ***Affirmative st Sanctissimo placuerit.*** - Die 1 Septembris 1866.

» Quibus omnibus a subscripto Substituto Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum eidem Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPAE IX. fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae

mos in sui rapiebat admirationem. Saepe quae ventura erant prospiciens dilucide aliis praenunciabat, ut vel anxietatibus levarentur, vel in re dubia prudens consilium eligerent, vel sese adversus ingruentia mala praemunirent. Nonnumquam invisibiles regiones gloriae, purgationis, et aeterni supplicii animo contemplans noscebat quae fata defunctorum animas mansissent, et cogente obedientia, revelebat sciscitantibus Quandoque etiam Angelorum choros, Sanctos coelesti lumine circumfusos, atque ipsam Coelitum Reginam Virginem Deiparam cernere illi datum est. Quid quod Humanitatem Sanctissimam Christi Domini praesentem saepe potuit intueri, et frui eius conspectu et collòquio iucundissimo, unde edidicit arcana amoris, quo Cor divinum flagrat, atque flammis exinde erumpentibus incendens animum eas ubique diffudit, hominesque excitavit ut redamarent amantem Deum, Cor sacratissimum Iesu pia veneratione prosequentes.

5. «Tot dignata muneribus et tanto exardescens charitatis aestu, incredibile dictu est quantopere creverit in omnium virtutum studio et aemulatione. Perpeti voluit impensius cum patiente Christo, ideoque partim afflictationibus et austeritatis confracta, partim igne sancti amoris absumpta non ultra quadragesimum tertium aetatis suae perduxit annos, et dissolvi cupiens placidissime obdormivit in domino die xvi. Kalendas Novembris anno reparatae salutis millesimo, sexcentesimo nonagesimo. Honores quos viva contempsit habuit post mortem amplissimos. Maxime postquam publicus cultus cum Beatae compellatione a Summo Pontifice ei fuit indultus, longe lateque Margharitae Mariae nomen inter fideles personuit. Tanquam patronali» apud Deum potentissimam, quippe quae dilexit multum, passim in publicis privatisque calamitatibus illam invocarunt. Nec vana spes esse poterat, siquidem ipsa dum viveret, amoris et bonitatis diviuae quasi signum extollens, omnes ad fiduciam absque limitibus excitare studuerat. Itaque primum incertus manare rumor gratiarum et sanationum qaae divinitus B. Margherita intercedente patratae fuerunt, tum solidior vulgari fama, et miraculorum voces increbrescere. Demum certior rerum fieri notitia et validissimis confirmari testimoniis.

6. » Visa haec prudentibus quasi monita eoelitus data volentis Dei dilectam suam ad sublimiorem honoris gradum vocari, ut nobilis charitatis praeco potissimum celebretur apud fideles quo tempore vesanus impiorum furor odium erga Deum (horrendum dictu !) animis ingerere adnititur. Proinde praeclarissimi viri maximeque religiosissimi Galliarum Antistites certant studiis, precibusque instantibus ad Summum Pontificem missis, ut commissionem reassumptionis causae signare dignetur, atque acta instituantur quibus rite deinceps ad canonizationem Beatae Margharitae Mariae deveniatur. Apparet ex eorum literis continuatio illa et incrementum famae, quo, testante Benedicto XIV, moveri solet Apostolica Sedes ut causae reassumptionem indulgeat (Bened. XIV. Lib. 2 cap. 38 num. 3.) Affirmat hoc prae caeteris Emus Ludovicus Iacobus de Bonald Archiepiscopus Lugdunensis cuius haec

Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem Reassumptionis Causae Beatae MARGHARITAE MARIAE ALACOQUE Virginis. Die 6 iisdem mense et anno.»

Loco ^ Signi

C. Episc. Pórtuen. et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Pro R. P. D. DOMINICO BARTOLINI **Secretario.**
Iosephus Ciccolini Substitutus.

verba suDt. - Percrebrescente fama sanctitatis virtutum ac miraculorum Beatae Margharitae Mariae Alacoque.. . cultus etiam fidelium erga-^eam adauctus est, et augetur in dies. - Neque id in Galliis tantum contigit, sed in aliis Europae plagis, plures enim supplices libelli dati sunt ab Ecclesiae Pastoribus, qui in Italia, Helvetia, Belgio, Hispauia, Anglia, Hibernia, imo et in insula Creta auctam fidelium venerationem erga Beatam Mulierem agnoverunt.

7. » Ad augendam provehendamque hanc famam et venerationem mirum in modum contulit aucta fidelium devotio erga Sacratissimum Cor Domini Nostri Iesu Christi, quae tantum invaluit, ut complures Galliarum Dioeceses, testante Emo ac Rmo Card. Clemente Villecourt in suis literis ad Summum Pontificem, huic Cordi SSmo se consecrarint. Ecquis autem pium illum cultum exerceat, quin simul occurrat memoria et nomen Beatae Margharitae Mariae,quae tam impenso studio ad eius propagationem intendit? Imo ex canonizatione Beatae Mulieris permulti ex praestantissimis viris, qui supplices dedere preces, augurantur maxima bona Ecclesiae Dei obventura, eo quod actus ille solemnis plurimi valebit, ut fideles ad hunc cultum excitentur vehementius, scilicet inflammentur ad charitatem erga Dominum Nostrum, quae si profundas radices egerit in cordibus hominum, optima quaeque, fausta et salutaria fas erit polliceri et ominari. Odium quo increduli et impii Christum prosequuntur peperit haec mala quae videmus et patimur, infiammata charitas in Ipsum potest mederi malis, instaurare quae lapsa sunt, pessimam rerum faciem in bonam convertere.

8. » Quapropter alacri fiducia erecti instamus enixis precibus penes Sacrum hunc Amplissimumque Senatum, ut benigne respondeat pro *signatura commissionis reassumptionis causae,* **prout Emi Viri, Archiepiscopi, et Episcopi superius laudati, nec non alii Oratores nobilissimi (quorum epistolas Emo Praefecto ac Relatori tradidimus), praesertim vero Venerabilis Ordo Visitationis B. M. V. Salesiani Instituti, eiusque nomine Rmus Praesul Dominicus Canonicus Borghi pervigil Causae Postulator etiam atque etiam implorant.»**

Quare etc.

HILABIUS ALIBRANDI **AL**)V.
PHILIPPUS CARLINI.

MANTUANA SEC ORD. MINORUM

CONFIRMATIONIS CULTUS

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

SERVAE DEI PAULAE MONTALDI

MONIALI PROFESSAE

SECUNDI ORDINIS S. FRANCISCI SIVE CLAR1SSAB

BEATAE NUNCUPATAE

DECRETUM. « Quum R. P. Fr. Bernardinus a Cryptis Castri Postulator Generalis Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia existimaverit validis monumentis demonstrare se posse Servam Dei Paulam Montaldi praefotam ab immemorabili tempore ad praesentem aetatem semper obtinuisse publicum ecclesiasticum Cultum, petiit ut in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis hodierna die ad Vaticanum habitis ab Emo et Rmo Domino Cardinali Iosepho Bofondi Causae Relatore sequens Dubium proponeretur - ***An constet de Cidtu publico ecclesiastico ab immemorabili tempore praestito praedictae Servae Dei, seu de casu -excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae Viii? -***

» Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, exhibitis monumentis accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt - ***Affirmative, seu constare de casu excepto.*** - Die 1 Septembris 1866.

»De praemissis facta postmodum ab infrascripto Substituto Secretariae Congregationis Sacrorum Rituum Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPAE IX. fideli relatione, Sanctitas Sua, sententiam Sacrae Congregationis ratam habens, Apostolica Auctoritate sua confirmavit Cultum publicum ecclesiasticum ab immemorabili tempore praestitum Beatae Paulae Montaldi Virgini. Die 6 iisdem Mense et Anno.

C. Ep. Portuen. et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco >fc Signi

Pro R. P. D. DOMINICO BARTOLINI **Secretario**
Iosephus Ciccolini Substitutus.

MEDIOLANEN.

Die 15 *Martii* 1852.

« Cum prope Basilicam ss. Apostolorum ac s. Nazarii in urbe Mediolano vertente anno 1845, quatuor sepulcra fuerint inventa, quorum unum singula unius humani corporis ossa^ atque partem ex ossibus alterius corporis una cum sanguinis vase complectebatur, Emus S. B. E. Cardinalis Carolus Caietanus Gaysruck cl. me. archidioecesis mediolanensis Antistes huic Sacrae Indulgentiarum, Sacrarumque Reliquiarum Congregationi dubia proposuit: I. *«an inventa corpora vere Martyrum dicenda sint:* et quatenus *affirmative:* II. *an publicae fidelium venerationi sint exponenda.*

» Hinc Emi Patres praefatae S. Congregationis in generalibus comitiis apud Vaticanas Aedes die 16 Februarii 1852 habitis, visa fidelissima relatione huiusmodi Corporum inventionis, auditis quoque Consultorum votis, caeterisque mature perpensis, tam ad primum quam ad secundum dubium responderunt: *affirmative:* factaque de his omnibus SSmo D. N. Pio PP IX. per me infrascriptum eiusdem S. Congregationis Cardinalem Praefectum relatione in audientia diei 15 Martii 1852, Sanctitas Sua supraenunciatam Resolutionem benigne approbavit.

» Datum Romae ex Secretaria ipsius S. Congregationis Indulgentiarum.»

F. Card. ASQUTNUS Praef.
A. COLOMBO Secretarius.

"Vota Consultorum in compendium redacta.

In praepositae quaestionis examine plura S. Congregationi! oblata sunt documenta, quae historicam coemeterii inventionem luculentissime comprobarent, utpote quae auctoritate Episcopi concinnata, et testium omni fide dignissimorum munita praesi-

dio. Praeterea doctae dissertationem exhibitae, quae a viris peritissimis id temporis typis excussae, et in publicis ephemeridibus insertae fuerunt, in quibus multa adducebantur tum historice, tum iuridice pro rei veritate perquirenda; additis monumentorum exemplaribus affabre delineatis, quae vulgo ***fac simile,*** appellantur. Quae omnia S. Congregatio antequam rite discuteret, duobus rei sacrae archeologicae peritissimis viris examinanda commisit (1). Quorum vota cum eo potissimum spectent, ut ostendant in allatis documentis notas inveniri ad constituendam authenticitatem reliquiarum idoneas in casu, nos ea solum ex utroque voto, tamquam si ab uno Consultore fuissent conscripta, delibabimus, quae ad hunc ipsum finem salva perspicuitate conducere videbuntur.

Mediolani in primis Ecclesiae saeculis sepulcrum christianum extitisse in loco Basilicae ss. Apostolorum et s. Nazarii, et in eius adiacentis firmiter evincebatur; tum ex vetustissimis traditionibus ecclesiae mediolanensis, quas referunt auctores dissertationum quos supra innuimus, tum ex facto ipsius s. Ambrosii qui ibidem Basilicam aedificavit Apostolorum, postea a s. Nazario nuncupatam, quod eius corpus recepisset. Saeculo enim quarto, vix pace Ecclesiae reddita, coepere ecclesiae aedificari supra vel prope coemeteria, ut passim Romae etiam accidisse publica monumenta testantur. Alia praetermittimus circa formam huiusmodi sepulcrorum, quae ad eruditionem magis quam ad praesentis rei necessitatem pertinere fatendum est; ex quibus omnibus illud pro certo statuere satagebant Consultores, quod nemo dubitare potest, sepulcrum, de quo in casu, et antiquitate ad tempus persecutionis referri, et qualitate christianum esse. Nec minus perspicuum erat, corpora ibidem condita ad christianos pertinere. Id enim apertissime evincebant symbola ibidem reperta, et quorum longa series a Consultoribus exponebatur ope exemplarium eiusdem sepulcri desumpta; quae symbola in sepulcris christianorum solummodo adhiberi solita esse nemo unquam in dubium revocavit.

Verum praecipuum quaestionis caput versabatur circa sepulcrum in quo Martyrum corpora asservari dicebantur. Non enim

(i) Vota scripserunt super hac re IllrTius et Rmus Antistes Dominicus Bartolini et clarissimae memoriae P. Io* seplius Marcili S. i.

liic signa generalia sepulcrorum Christianorum, quae certissima erant, exquirenda, sed inquirendum utrum pari certitudine sepulcrum Martyribus adscriptum signis Martyrii fulgeret.

Hic pariter longum et satis eruditum examen instituebant Consultores super instrumentis Martyrii, quae in ipso loculo insculpta reperta fuerant; scilicet signa ***catenae,*** et ***stipitis ferrei*** unde Martyris corpus pendens torquebatur, necnon quatuor ***coronae triumphans,*** ***crux decussata,*** quam vocant s. Andreae, et similia. Quae et alia quae praetermittimus in aliis Martyrum loculis pariter et in urbe inventa, licet tolerati signa martyrii esse videantur, non tamen certitudinem de Martyrum reliquiis potuissent inducere, nisi alia certissima signa accessissent.

At in uno ex quatuor loculis repertum fuerat vasculum cum sanguine, una cum duobus humanis corporibus altero integro , alteroque dimidiato. Iamvero constans in Urbe praxis pluribus abhinc saeculis vigens et Sacrae Congregationis decreto firmata **(1),** est, ut in disquirendis Martyrum exuviis aliud fir-

(1) Novissime in examen revocata est de signis Martyrii quaestio, et sequens decretum emissum fuit.

DECRETUM. **« Postquam saeculo xvi. laboribus praesertim et studiis Antonii Bosi iterum sacra suburbana patuere Coemeteria, quae a saeculo** VIII. **exeunte Summorum Pontificum cura penitus interclusa remanserant, ne barbari romanum solum devastantes ibi aliquam inferrent profanationem, in iis conquiri coeperunt Martyrum Corpora quae adhuc ibidem permanebant in loculis abscondita. Tutissimum dignoscendi sacra haec pignora signum a maiorum traditione receptum, erant Phialae vitreae, vel figuiinae cruore tinctae, aut ctustas saltem sanguineas occkidentes, quae vel intra vel extra loculos sepultorum affixae manebant. Attamen aliquibus visum fuit Viris eruditis alias praeter sanguinem admittere notas, quibus ipsi Martyres distingui autumabant. Verum ut in re tanti momenti inoffenso procederetur j)ede, placuit Clementi IX. Summo Pontifici singularem deligere Congregationem quae ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, aliisque doctissimis Viris constaret, eique hac super re gravissimum commisit examen.Haec Congregatio, quae postea a Sacris Reliquiis et Indulgentiis nomen habuit, argumentis omnibus perpensis die IO Aprilis anni I6f>8 decretum hoc tulit «** ***Cum in Sacra Congregatione Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis praeposita de Notis disceptaretur, ex quibus verae Sanctorum Martyrum Reliquiae a falsis et dubiis dignosci possint; eadem Sacra Congregatio, re diligenter examinata, censuit, Palmam et Vas illorum sanguine Unctum pro signis certissimis habenda esse: aliorum vero signorum examen in aliud tempus reiecit.»*** **Decretum huiusmodi duorum fere saeculorum decursu fideliter servatum est, quamvis praeterito vertente saeculo nonnulli selecti scriptores de Phialae sanguineae signo diversimode dubitaverint; quibus praecipue gravissima Benedicti XIV. auctoritas obstitit, quum in**

tmius argumentum non habeatur, quam vasculum sanguinis. Id ruteni constat ex omnibus fere Martyrum historiis ex quibus •eruitur illud ubique in more Christifidelium positum esse, ut sanguinem ab illorum membris diffluentem sedulo colligerent in corum loculis asservandum tanquam toleratae pro Christi fide mortis testimonium. Negari quidem non potest etiam palmam in loculo insculptam pro indicio haberi; poterat enim fieri ut quoties facultas deesset colligendi sanguinis, palma loco vasculi substitueretur. Quidquid vero sit, Benedictus XIV*, ut tutissime in cultu Martyribus exhibendo procederetur, vetuit corpora cum so!o pcl-

Uteris Apostolicis ad Capitulum Metropolitanae ecclesiae bononiensis de S. Proteo martyre es coemeterio Thrasonis cum Vase Sanguinis effosso edoceret. « ***Ipsi •debetur cultus et titulus Sancti, quia procul dubio nulli unquam venit in mentem, quantumvis acuto ingenio is fuerit, •et cupidus quaerendi, ut aiunt, nodum •in scirpo, nulli, inquam, venit in mentem dubitatio, quod corpus in Catacumàis inventum cum vasculo sanguinis aut pleno, aut tincto, non sit corpus alicuius qui mortem pro Christo sustinuerit.»*** **At nostris hisce diebus alii supervenere Viri •eruditione aeque pollentes, et in sacrae archeologiae studiis valde periti, qui vel scriptis, vel etiam voluminibus editis adversus Phialam sanguineam utpote haud indubium Martyrii signum decertarunt. Sanctissimus autem Dominus Noster Pios** PAPA **IX.de decreti illius robore et auctoritate haud haesitans, quum videret tamen eruditorum difficultates in ephemeridibus tum catholicis, tum heterodoxis -divulgari, ad praecavendum quodlibet inter fideles scandalum sapientissime censuit, ut huiusmodi difficultates in quadam peculiari Sacrorum Rituum Congregatione severo subiicerentur examini. Peculiaris vero Congregatio haec nonnullis «x eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinalibus, Praelatis officialibus ac selectis ecclesiasticis Viris pietate, doctrina, prudentia, rerumque usu eximie praeditis constituta, prae oculis habens universam argumentorum seriem, nec non fidelem eiusdem Secretarii relatio^nem, quum omnia accuratissima ponderaverit disquisitione, die** 27 **Novembris vertentis anni, duobus his propositis dubiis:**

I. » ***An phialae vitreae, aut figulinae sanguine tinctae quae ad loculos Sepultorum in sacris Coemeteriis vel intus vel extra ipsos reperiuntur, censeri debeant martyrii signum?***

II. « ***An ideo sit standum vel recedendum a decreto Sacrae Congregationis Indulgentiarum, et Reliquiarum diei*** 10 ***Aprilis*** 1668?

» Respondit ad primum *Affirmative.*

» Respondit ad secundum *provisum in primo.*

» Ideoque declaravit confirmandum esse decretum anni 1668.

» Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPAE **IX. a subscripta Secretario accurata omnium expositione, Sanctitas Sua Sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit, et confirmavit, atque praesens decretum expediri praecepit.»**

Die 10 **Decembris** 1863.

C. Episcopus Portuen. et S. **Rufinae**
Card. PATRIZI **S. R. C. Praef.**
D. Bartolini S. R. C. Secret.

mae indicio inventa Martyribus accenseri. Verum in nostro casus cum primo illi et certissimo signo locus esset, iure arguebatuiv quod si Romae et alibi vasculum sanguinis pro indubitato martyrii indicio habebatur, non erat cur Mediolani idem non statueretur, in ea praesertim urbe in qua S. Ambrosius eodem, signo usus fuerat ad dignoscenda corpora Martyrum ss. Vitalis* Agricolae, Gervasii, et Protasii, et Nazarii et publico cultui exponenda; ut ipse testatur.

Nullum autem negotium facessit quod haeretici blaterante et nonnulli etiam inter catholicos temere dictitant, in huiusmodi vasoulis contineri unguenta, aromata, thura, panem et vinum,, et fortasse etiam eucharisticum ; et caetera. Verum, ut solum de praesenti quaestione ageretur, ex testimonio chimicae periti quod iuramento confirmatum producebatur, constabat, materiem, quae in vase reperta fuit, vere ad sanguinem pertinere: haec enim sunt verba eiusdem periti, quae ad litteram versa referimus, hic nempe pJPfirmabat « ***certissimam praesentiam ferri inveniam in residua deposita materie examini subiecta evidenter evincere , quod in reperto vase nullum aliud fluidum animatum potuisset contineri nisi sanguinis; quoniam illud metallum constanter invenitur in solo cruore sanguinis post separationem fibrinae-*** Consultor autem asseruit constare sibi de facto quod experientia hic Romae toties habita in similibus vasibus per chimicos. peritissimos eumdem effectum protulerit.

Magnum hisce rationibus accedebat pondus ex coniunctione corporis mutilati cum integro. Nihil enim magis usitatum, quam toto corpore hominem sepulcro condi. In acie vero et maxime ubi milites Christi fortiter occubuerant, haud semper **contine**bat nec facilis erat negotii omnia membra discerpta et dilaniata eiusdem corporis colligere. Hinc Christiani superstites integrum corpus, si possent, sepulturae mandabant, sin minus, membra quae poterant, ut saltem reliquias servarent.

Mire autem praesens factum a duobus exemplis confirmatum asserebat alter ex Consultoribus quorum se testem oculatum exhibebat, et quae pro sui officii munere, quo sacris praeerat coemeteriis servandis, evulgare spondebat in opere italico : ***Monumenti de' primitivi Cristiani.***

Paucis, ut ipse testabatur, abhinc annis in duobus coemeteriis ss. Agnetis et Cyriaeae duo loculi inventi fuerant, in quibus i*econditae asservabatur, praeter corpora integra, nonnullorum membrorum partes ad alia corpora pertinentium , quarum descriptionem fuse et singillatim tradebat ; nempe in Coemeterio s. Agnetis cum duobus integris corporibus caput tertii cadaveris inclusum conspiciebatur; in altero autem tumulo praeter •duo integra corpora, femoris ossa, tibia, et pes tertii cadaveris fuere delecta.

Ex quo insuper occasionem arripiebat Consultor redarguendi •quosdam catholici nominis hostes qui iactant nostra sacra coemeteria corporibus ***Martyrum*** omnino carere, nec vascula sanguinis pro signis Martyrii esse habenda. Iamvero duo illa sepulcra reserata fuerunt ea solum ratione, quod vas sanguinis insculptum praeseferebant. Quo posito sic arguendum: Membra dilacerata in sepulcris primorum coemeteriorum ad martyrum «corpora pertinere nemo denegabit, cum sint per se tolerati martyrii certissimum documentum: ergo vas sanguinis extra huiusmodi sepulcra positum, ideo positum fuit, ut admoneret illos, qui intra iacent, subiisse martyrium: ergo sicut vas argumentum suppeditat quo martyrem cognoscamus eum qui vas idem extra sepulcrum ostendat; sic membra dilacerata et mutila argumentum suppeditant concludendi vas sanguinis tutissimum esse martyrii testimonium. Si igitur in nostris sacris coemeteriis sepulcra passim inveniuntur cum vasculis sanguinis, et alia cum laceris discerptisque artubus, eadem sepulcra non omnino esse corporibus Martyrum vacua clare deducitur.

Ceterum cum haec duo signa in sepulcro mediolanensi de <pio agimus simul concurrerent; non erat cur de affirmativa responsione in casu esset ambigendum.

Ex HIS COLLIGES:

I. Ecclesiam prioribus saeculis, quibus tunc sanguine martyrum profecit (1) et triumphavit, non omisisse quoad potuit sa-

(1) Quaelibet Ecclesiae persecutio in Ecclesiae eiusdem profectum cedit. Quod «i partialis sit persecutio, id est si ad partem aliquam integralem Ecclesiae dumtaxat referatur, et ita ut aliqua fidelium pars victa maneat, in aliis Orbis partibus Ecclesia florere et augeri solet, ad instar librae, cuius unam Ianceni quo

era corpora eorumdemque corporum laceratorum veneranda pignora , in loculis diligenter deponere, additis signis ne tolerati martyrii memoria, quod exemplo et venerationi caeteris erat* deperiret.

II. Romanam Sedem pro certissimo signo tolerati martyrii: reportatique triumphi iugiter habuisse phialas vitreas vel figulinas cruore tirictas, aut crustas saltem sanguineas occludentes., quae vel intra, vel extra loculos sepultorum effixae sunt.

maiore pondere premas, eo altior altera sublevatum Quod si **partialis persecutio non sit; sed universam respiciat ecclesiam, vel peculiariter Christi Domini in terra Vicarium, haec ipsa persecutio universalem secumfert Ecclesiae profectum, quemadmodum contigit** primis **Ecclesiae saeculis, quibus ipse** 'Martyrum **sanguis semen et germen christianorum esse videbatur. Hodiernis diebus quibus praesertim Petri successor Ecclesiae universalis magister novis diabolicae malitiae viribus vehementer impetitur, ut cum eo Ecclesia deprimatur, profectus Ecclesiae quidem magnus minime deest. Quinam autem eiusmodi profectus sit, nobis praeclare descripsisse videtur Paulus in epistola ad,Philippenses** ***cap. L v.*** **12** ***et seqq.*****, qui quantum diffusioni Evangelii sua vincula profecerint, sic expres**sit: « ***Scire autem vos volo fratres, quia quae circa me sunt, magis ad profectum venerunt Evangelii, ita ut vincula mea manifesta fierent in Christo in omni praetorio et in caeteris omnibus; et plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine-timore verbum Dei loqui. Quidam quidem et propter invidiam et contentionem, quidam autem et propter bonam voluntatem Christum praedicant, quidam charitate, scientes quoniam in defensionem Evangelii positus sum; quidam aidem ex contentione Christum annuntiant non sincere, existimantes^ pressuram se suscitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni, modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuntietur ; et in hoc gaudeo, sed: et gaudebo.»***

Porro praesenti tempore quo omnes; propemodum per integrum Orbem ***sive-per occasionem, sive per veritatem*** **de Christi Domini Vicario cogitant et loquuntur, Chistum Dominum eiusdemque, viventem Ecclesiam annuntiant, et florentiorem et nervosiorem reddunt, quae omnia praeconia sunt universaiioris nobiliorisque triumphi.**

EX S. C09GBHMTIOSE IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE.

REASSUMPTIONIS HABITUS CLERICALIS.

Die **2B** *Aprilis et* **22** *Augusti* **1843.**

Compendium facti. Titius clericus, iam ab anno 1800 habitum clericalem dimiserat, uxorem duxerat, et viduus postea manens, pharmacopoke artem exercebat. Contigit ut duobus simul aegrotis aa[1] diversas seiunctasque familias pertinentibus pharmacum quod petebant, miserit, quod veneno commixtum repertum fuit. Namque aegroti pharmacum deglutientes acribus doloribus correpti brevi decesserunt. Notitia rei evulgata Fiscus illius loci pro officii munere inquisitionem instituens, veneni qualitatem detegit, quo aegroti mortui sunt. Cum autem horum mors publice adscriberetur dolo aut culpae pharmacopolae, Titius profugus latuit. Interim non desistebat Fiscus ab actis colligendis ad rem opportunis pro institutione processus.

Iamvero Titius in eo latitationis statu libellum supplicem Curiae episcopali admovit, postulans ut causa ^vocaretur a laico tribunali, et in ecclesiastica Curia diiudicaretur, monens se habitum clericalem reassumpsisse, et utpote clericum privilegio fori gaudere debere.

Curia episcopalis perpendens, heic agi de morte illata ex causa veneficii; agi de clerico, qui ante eiusmodi factum non incedebat habitu et tonsura, ex praescripto Constitutionis Benedicti XIV. quae incipit: ***Alias,*** preces supplicantis reiecit.

At non siluit Titius, qui S. C. Immunitatis supplicavit, ut processus conficeretur, et causa diiudicaretur in ecclesiastico foro quasdam rationes interserens. S. C. ut moris est audita relatione Episcopi, consideratis rationibus, quibus Titius sibi competere fori privilegium contendebat, causa discussa dubium in calce positum diremit.

Disceptatio syitoptica.

TITII DEFENSIO.— Titius initio conquerebatur de ratione agendi Curiae episcopalis, quae sine ulla cognitione factorum, preces

Oratoris reiecerat. Quoniam autem Curia episcopalis ad reiiciendas preces innitebatur facto dimissionis habitus clericalis, Titius animadvertebam praesentem quaestionem versari super habitus clericalis reassumptione, quam sufficientem esse contendebat ad recuperandum fori privilegium. Ut hoc ostenderet resolutiones adducebat, quas refert Ferraris ***Biblioth. can. verbo*** Clericus ***numer.*** 31, 32 quo in loco sequentia leguntur.

« Clericus, qui ante carcerationem reassumpserat habitum, » fori privilegio gaudet, S. Congreg. Immunitatis ***in Rossanen.*** •» 18 Martii 1631. Clericus reassumens habitum, post praetensum •» delictum a se commissum gaudere debet privilegio fori eccle- » siastici tam quoad personam, quam quoad bona, etiam ex con- -» stitulionibus Regni, Sacra Congregat. Immunit. ***in Marsicana*** •» 11 Decemb. 1646. Et licet Clerico reassumere habitum absque)) alia licentia Episcopi, S. Congreg, ***in Orilana*** 18 Augusti 1654.»

Neque posse affirmari, Titius subiungebat, eiusmodi Resolutiones revocatas esse per Constitutionem : ***Alias*** Benedicti XIV. Namque in ea Constitutione R. Pontifex praescripsit, ut Clericus homicida habitu clericali non incedens privilegio fori non gaudeat, ***» minusque habitum clericalem resumere possit post totaliter ex- » piatam admissi delicti poenam.))*** Quare non interdixit reassumptionem habitus priusquam Clericus super reitate iudicetur. Consentit Giraldi ***De poenis pag.*** 308 ***primae editionis*** ubi scripsit: « Si Clericus in omnibus dimittat habitum, et ad statum lai- » calem revertatur, et in statu delictum committat, etiamsi ho- » micidium voluntarium simplex sit, poterit denuo habitum re- » sumere et sic frui privilegiis ecclesiasticis.»

Neque valeret exceptio, Titius prosequebatur, qua **in** fraudem facta reassumpto habitus renunciaretur : nam quoad eiusmodi exceptionem, cum aliis Auctoribus haec scripsit Benedictus XIV. in ***opere de synodo dioeces. I.*** 12 c. 2. « Tunc praesumitur Cle- » ricus, habitum quem deposuerat, **in** fraudem resumere, cum » illum induit postquam a potestate saeculari comprehensus, » atque in carcerem coniectus, ex eo se per fugam subtraxit, aut)> postquam a carceribus, praestita cautione, dimissus fuit.» Haec enim in praesenti casu locum non habuerant.

Denique aiebat idem Orator, quod in dicta Constitutione Benedictus XIV. privilegium fori illi ademit, **qui** homicida est, illi

scilicet qui vere est homicidii reus, et homicidii voluntarii, porro neque Curia quae preces suas reiecerat processum vidit, neque Fiscus aliquid pronunciavit: unde concludebat, cum de **patrato** delicto non constaret, non posse privilegium declarari ademptum.

EA QUAE EX OFFICIO DISPUTABANTUR. — Observabatur ***ex officio,*** Clericum, qui ad **normam** Tridentini Concilii, requisita ***cumula-.live*** non observaverit, ipso **facto** amittere privilegium fori, ita ut sui favore **ipsum** invocare non **possit,** ut declaratum est in **quadam** causa ***Leodien,*** adprobata ab Urbano VIII., Giraldi ***Expo-nit. Iuris Pontif. part.*** 1 ***ex lib.*** 5 ***Decret, pag.*** 770 ***et part.*** 2 ***sect.*** 93 ***$ag.*** 939. Non enim eiusmodi privilegii **amissio,** reputanda est **poena,** quemadmodum Auctores ponderant; Laurenius ***de Foro compet, p.*** 173 n. 7 ait: « deficiente habitu et tonsura ***fidem est-» de caeteris a Concilio requisitis)*** deficere privilegium fori, non T) per modum privationis, seu quod ideo privetur quis dicto pri-» vilegio : sed per modum deficientia formae, quia constitutio **J**» illa Tridentini non est lex poenalis, sed constitutiva formae » requisitae ad hoc privilegium, ut Suarez ***lib.*** 4 ***Defens. fidei c.*** 27 ***» n.*** 13 et cum eo Piringhius ***hoc tit. n.*** 9: vel per modum de-» fidentis conditionis a Concilio ad dictum **effectum** obtinendum » requisitae.»

Porro quamvis Titius habitum clericalem reassumpsit, non videbatur isthaec reassumpto eidem posse suffragari. Agebatur enim de casu qui iudicandus erat ad normam Constitutionis: ***Alias.*** Benedicti XIV., et Clementis XII. quae incipit : ***In supremo iustitiae solio.*** Iamvero Benedictina Constitutio hac clausula est **"Communita** §.2: « ***quacumque diversa ac etiam contraria iuris canonici, et Apostolicarum Constitutionum dispositione, seu interpretatione, nec non consuetudine haud refragante. »*** Quare consequens esse videbatur, adductas ex adverso resolutiones ***in Rossanen.*** 18 Martii 1631 et ***in Marsicana*** 11 Decemb. 1646 invocari in praesentia non posse; minusque ad rem pertinere investigationem, an sine fraude Titius habitum reassumpserit. In citata enim Benedictina tria statuta sunt observanda ***in causis homicidii ;*** 1. quod Clericus minorista, qui conciliaria requisita non servaverit, ***privilegio fori non gaudeat, eoque privatus remaneat,*** sublata etiam Episcopo facultate avocandi a laico tribunali causam: 2. interdicitur habitus reassumpto, etiam post expiatam poenam,

minusque habitum.. .reassumerepossit post totaliter expiatam admissi delicti poenam: 3 determinatur Episcopi officium, quod est dumtaxat declarandi, ***an reus ante patratum homicidium requisita*** er ***Concilio Tridentino servaverit.***

Coniiciebatur autem ex quibusdam indiciis minime spernendis,, venenum propinatum non fuisse ex mero casu, qui saltem culpae* adscribi Titio non deberet.

His aliisque perpensis propositum est resolvendum

Dubium.

« An in casu, et causis expositis (Titius) gaudeat privile- » gio fori.»

. RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Immunitati Controversiisque» iurisdictionalibus praeposita, re discussa in comitiis habitis die- 26 Aprilis 1843 respondere censuit: ***negative.***

At animo non deiectus Titius novam audientiam imploravit ac obtinuit, contendens inter caetera, Constitutionem Benedictinam non loqui de homicidiis, quae casu fiunt, sed de morte illata deliberata voluntate, cuiusmodi non esse contendebat mortem obvenientem duobus aegrotis. Acta itaque processus, qui ordiri coeperat, porrecta sunt coram S. C, et proposito dubio: «an sit stancfim vel recedendum a decisis die 26 Aprilis:» S. Congregatio causa denuo discussa die 22 Augusti 1843 respondit: ***dilata, et ad mentem: mens est quod remisso processu cum Restrictu tribunali conservatonali, iniungatur Gubernatori N. ut nomine Ecclesiae, legitime expleto processu usque ad sententiam exclusive, inde processus transmittatiir ad S. Congregationem pro definitione quaestionis iurisdictionalis.*** Haec tamen quaestio non amplius rediit.

Ex us COLLIGES:

I. Quamvis secundum commune ius Clericus minorista, qui- habitum clericalem dimiserit, ius non habeat invocandi fori prir vilegium : tamen habitus reassumptione, quae in fraudem facta non ostendatur, privilegio fori iterum eum gaudere (1).

(I) Dixi secundum commune ius, quod, si nihil grave obstaret, vigere oporteret ad normam scilicet ss. Canonum, praesertim Tridentini Concilii, et interpretationum SS. Congregationum. Quare heic sermo non est de peculiaribus le-

II. Quin imo, non servatis comulative conditionibus conciliaribus, quamvis eiusmodi Clericus ius non habeat invocandi fori

gibus, quae pro diversitate Regnorum vigent, vel de peculiaribus instructionibus, quae ad Ordinarios a S. Sede mittuntur pro locorum, temporum, et personarum adiunctis.

Privilegium fori, quod ss. Canones tribuunt Clerico s. Tonsura, vel etiam minoribus ordinibus insignito, post Tridentinum Concilium non difficile amittitur. Adhaerere enim videtur (loquimur semper de Clericis qui non sunt in sacris) potius clericalibus vestibus, si ita loqui fas est, externaeque observantiae, quam personae. Sacrae enim Congregationes , quae authentice ius Ecclesiae interpretantur, constanter declararunt, simul omnes esse observandas conditiones a Tridentino impositas, ita ut, una conditione substantiali neglecta, Clericus minorista vel tonsuratus ius non habeat invocandi fori privilegium. Quaenam autem sint eiusmodi conditiones cumulative servandae, et reliqua, quae ad eiusmodi materiam spectant, amplissime tradunt veteres Auctores, praesertim qui floruerunt saeculo xvi. et XVII. Inter recentiores vero qui pinguiores spicas, ut ita dicam, ex ampla messe collegerunt, certe recensentur Lucius Ferraris *in Biblioth. canon,* verbo *Clericus,* Giraldi *in exposit. iuris Ponti/, p. I. ex V. lib. Decret, pag.* 770, *et p. II. sect.* 93 *pag.* 939.

Abs re non erit in eo quod spectat ad conditiones servandas, sub oculis ponere declarationem, quam dedit S. C. Concilii die 11 Iulii 1595 pro recta intelligentia capitis 6, sess. 23 Tridentinae Synodi. Declaratio ita se habet: « S. C. C censuit, » ut Clericus fori privilegio gaudeat, re- » quiri et sufficere ea quae in aliquo ex » infrascriptis capitibus singillatim sunt » adnotata: quod obtineat beneficium ec- » clesiasticum: quod clericalem habitum, » et tonsuram deferens alicui ecclesiae » de mandato Episcopi inserviat: quod » clericalem habitum et tonsuram defe- » rens in aliquo seminario de licentia » Episcopi degat: quod in habitu et ton- » sura incedens in aliqua schola de li- » centia Episcopi versetur : quod habi- » tum et tonsuram gestans in aliqua » universitate de licentia Episcopi verse- » tur. Si vero, quae in aliquo ex capiti- » bus comprehensa sunt in Clerico con- » curram, sed aliqua occasione habitum » a se gestari solitum ad breve tempus » deposuerit, non ideo fori privilegium » amittere. An vero habitus sit clericalis » ad iudicis ecclesiastici cognitionem per- » tinere. Quibus autem casibus Clericus » ex decreto Concilii fori privilegio non » gaudet, nullam requiri monitionem. »

Advertendum tamen est, ceu perpendit Fagnanus in *Cap. Si quis. de Foro comp. n.* 22 *et seqq.* verba Concilii de *mandato Episcopi, et de lieentia Episcopi,* ex S. Congregationis sententia non esse substantialia, quod opportunis declarationibus demonstrat, rationem addens: «nimirum quia qualitas mandati » vel licentiae est levis, satisque est con- » currere quae potiora sunt, nempe ton- » suram, delationem ipsius cum habitu «clericali, servitium ecclesiae vel com- » morationem in schola aliqua. Ita enim «etiam cessante Episcopi mandato, sa- » tisfit menti Concilii.» Mens autem Concilii in exigenda licentia eo tendit, ut Clericus, qui quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos versatur, causam non arripiat huc illuc discurrendi, habitum deferens et tonsuram, ut se iuvare possit fori privilegio, quin servitio ecclesiae -insistat, ceu ibidem Fagnauus explicat *num.* 23.

privilegium, non tamen cessat Episcopi ius animadvertendi in eiusmodi Clericum delinquentem si Clericus permaneat (1).

III. In causis homicidii Clerico minoristae ***impulandi,*** qui requisita Concilii non servavit, nullimode privilegium fori post Benedictinam Constitutionem suffragari posse.

IV. In praesenti causa quaestionem ad terminos videri reductam: an mors ex propinato veneno obveniens, esset Titio imputabilis.

(i) S. Congr. Concilii die 21 Ianuarii 1594 declaravit: « Licet Clerici in mi- » noribus constituti, nisi beneficium ec- » clesiasticum habeant, aut clericalem » habitum et tonsuram deferentes, alicui » ecclesiae ex mandato Episcopi inser- viant, vel in seminario, aut aliqua » schola, vel universitate de licentia Epi- » scopi versentur, forum iudicis laici de- clinare non possint; non tamen pro- » pterea Congregatio Concilii censuit » obstare Episcopo, quominus iure suo » in huiusmodi Clericos delinquentes, si » adhuc Clerici permanent, possit ani- » madvertere.»

Quid autem intelligatur sub verbis - ***si adhuc Clerici permanent*** **- ita explicatum fuit in causa *Leodien,* diei 18 Novembris 1630 cuius resolutio conlirmata fuit ab Urbano VIII. « Sanctitas sua ad- » probavit declarationem factam, ut Cle- » rici etiam non habentes requisita *c.* 6 » *sess.* 23 *de Reform.,* licet ipsi tamquam » contravenientes Ordinationi S. Concilii, » non possint per se ipsos allegare pri- » vilegium fori, nihilominus subsint iu- » risdictioni Episcoporum, et Ordinario- » rum cognitioni, ne dum in causis, in «quibus iidem Episcopi praevenerunt, » sed etiam in quibus non praevenerunt, » et illos e manibus Iudicis laici repetant,** ***» quando iidem Clerici adhuc Clerici n permanent, videlicet si a iure vel ab » homine per declarationem servatis » servandis factam privilegiis clerica- li libus denudati, seu privati non sint.»*** **Quae declaratio iterum confirmata fuit die i Augusti 1634 « facta denuo rela- » tione SSmo *D. N.* Sanctitas sua ad re- » movendam omnem difficultatem denuo » iussit omnino observari supradictam. » declarationem, ut supra firmatam in » dicta causa Leodiensis**

EX SECRETARIA BREVIUM

PIA ARCHISODALITAS

SUB TITULG

B. V. M. IN COELUM ASSUMPTAE AD ANIMAS PURGATORIO
IGNE DETENTAS IUVANDAS
IN ECCLESIA S. MARIAE IN MONTERONE ALMAE URBIS
CANONICE ERECTA.

Haec pia Archisodalitas iam in Orbe catholico nota est, quamvis recentis sit institutionis. Centenas alias Confraternitates aggregatas numerat. Cumulata fuit gratiis et privilegiis a SS. PP. Gregorio XVI san. mem., et Pio IX feliciter regnante, ex quibus pretiosissimum est privilegium Altaris in suffragium quorumcumque Christifidelium defunctorum, quod privilegium per gratiam specialem Apostolicae Sedis singulis Confraternitatibus, et piis Unionibus praefatae Archisodalitati aggregatis communicatur, ut patet ex sequentibus Apostolicis Literis in earum favorem datis (1).

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Existit, tit nuper Nobis exponendum curavit Dilectus Filius Brixius Queloz Procurator Generalis, ut praefertur, Presbyterorum Saecularium Congregationis SSmi Redemptoris in Ecclesia S. Mariae vidgo in Monterone nuncup. dictae Congregationis de Urbe, canonice, ut asseritur, erecta pia Archisodalitas sub titulo Assumptionis B. M. V. pro solandis animabus fidelium in Purgatorio detentis. Huiusmodi Archisodalitas, cuius Moderator Ge-

li) Parochi, aliique ecclesiarum Rectores, qui aggregationem cum praefata Archisodalitate obtinendam desiderant, sese ad Procuratorem generalem Congregationis SS. Redemptoris, memoratae Archisodalitatis Moderatorem dirigant, qui degit *Romae in ecclesia S. Mariae in Monterone.* Pro expensis diplomatis, expeditionis, aliorumque, solvitur scutatum romanum unum.

neralis est idem Dilectus Filius mox memoratus, a fel. rec. Gregorio XVI. Praedecessore Nostro similibus Litteris datis sub diebus XIX. Ianuarii, XII. Febr., IV. Maii et VII., Iunii MDCCCXLI. Indulgentiis gratiisque spiritualibus fuit dilata. Inter eas privilegium Apostolicum Missarum , quae ad eiusdem Archisodalitatis Altare celebrentur, recenseri debet. Cum vero dicta Sodalitas praefatis Litteris datis sub die VIII. Iunii titulo Archisodalitatis decorata , eique concessa fuerit facultas eiusdem tituli et nominis Sodalitates aggregandi, eisdemque communicandi in perpetuum Indulgentias, caeterasque spirituales gratias ab hac Sancta Sede sibi tribulas, ii, qui tunc Archisodalitati praeerant, rati sunt ad praedicti Altaris Privilegiati communicationem etiam Sodalitates suae Archisodalitati aggregatas posse admitti, haud perpendentes Decretum Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae a sa. me. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro sub die Xl. Martii MDCCXLVII confirmatum huiusmodi communicatum obstare. Insuper praedictam Archisodalitatem novis gratiis Nos quoque ditandam censentes per Decretum eiusdem Congregationis mox memoratae a Nobis sub die VIII. Augusti MDCCGLIX confirmatum, primo quemcumque defectum, qui in aggregandis dictae Archisodalitati aliis eiusdem tituli et nominis Sodalitatibus circa Altaris Privilegiati communicationem fuisset commissus, Auctoritate Nostra Apostolica sanavimus: secundo, ut in posterum Sodalitatibus eidem Archisodalitati aggregandis, non obstante Benedicti XIV. Decreto supra memorato, Privilegium Apostolicum Missarum una cum singulis Indulgentiis communicare libere ac licite posset concessimus. Praeterea alio Decreto eiusdem Congregationis sub die XXVI. Martii MDCCCLX. privilegium Apostolicum Missarum praefatum, quod tantum Sodalibus defunctis tam Archisodalitatis, quam Sodalitatum eidem iam aggregalarum vel aggregandarum favebat, ad quoscumque Christifideles, quorum anima Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, extendimus; utque huiusmodi privilegio respectivum Altare tum Archisodalitatis tum Sodalitatum, de quibus supra, in perpetuum gauderet, concessimus. Porro idem Dilectus Brixius Queloz, memoratae Archisodalitatis Moderator Generalis, vel maxime cupiens, ut concessionibus eidem ab hac Sancta Sede factis novum veluti pondus accedat, humillimas

et enixas preces Nobis admovendas curavit, ut eas, ceterasque gratias spirituales iterum de benignitate Apostolica per Apostolicas in forma Brevis litteras confirmare dignemur. Nos piis huiusmodi votis, quantum in Domino possumus, annuere volentes, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, memoratas concessiones a fel. rec. Gregorio XVI. Praedecessore Nostro in citatis Litteris Apostolicis, itemque eas duobus Decretis praedictis a Nobis tributas, quorum omnium tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ne ad verbum insertis habentes, iterum tenore praesentium Auctoritate Nostra Apostolica in perpetuum confirmamus, non obstantibus Nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, coeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX. ianuarii MDCCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Vicesimo.

Loco Sigilli

N. Card. Paracciani Claretti.

APPENDIX VI.

CIRCA CATECHISMI, SEU DOCTRINAE CHRISTIANAE TRADITIONEM IN ECCLESIIS REGULARIUM NON PAROCHIALIBUS

**In causa *Sacrae Visitationis* quam superius adduximus pag. 157 inter caetera mentio facta est de Episcopi iurisdictione in Ecclesiis Regularium in eo quod spectat catechismi et doctrinae christianae explanationem. Huius causae occasione, silentio non est praetereunda quaedam recens causa *Visitationis Sacrorum. Liminum* agitata in S. C. Concilii die 2 Martii 1861. Episcopus N. in relatione status ecclesiae suae haec oxponebat : « In dioecesana synodo statu-
? tum est, *In diebus dominicis aliisque
» festis de praecepto in prima Missa in
» omnibus ecclesiis et publicis orato-
» riis post evangelium clara et intel-
» Ugibili voce, Sacerdote verbo ad
» verbum praeveniente, et populo co-
» mitante, recitari debet brevis instru-
at ctio, quae scienda necessitate medii
» vel praecepti continet.* Quidam ex
» Regularibus in hac dioecesi de-
» gentibus putant se non teneri ad
» illud synodale statutum servan-
» dum in ecclesiis sui Ordinis ut-
» pote exemptis. Quod si veruni
» est frustraneus foret illius decreti
» finis, qui est ut rudiores agrico-
» lae, qui in diebus festis vix ac
» ne vix quidem Missam ascultant,
» erudiri possint in iis, quae sunt
» de necessitate medii, vel praece-
» pii ad salutem, praecipue in pa-
» gis huius dioecesis, in quibus ru-
» dis populus ad ecclesias Regula-
» rium concurrit. Unde sequeretur
» quod privilegium exemptionis io
» aedificationem regularis disciplj-
» nae concessum, in destructionem
» tendat morum et disciplinae po-
» puli christiani.»**

**Hac super re laudatus Episcopus duo dubia S. G. definienda subiecit, videlicet: I. « An Regulares-
» teneantur statutum de quo agitur
» servare in suis ecclesiis ex vi le-
» gis synodalis in casu: et quatenus
» *affirmative :* II. an cogi ad id pos-
» sint ab Episcopo uti delegato Sedis-
» Apostolicae in casu. »**

Antequam eiusmodi dubiis responderetur, idem Episcopus novis literis retulit, familias Regularium quae in sua dioecesi extant, esse octo, nempe quatuor ex Ordine Cappucinorum ; unam Minorum de Observantia; unam Minorum Reformatorum; unam Minorum Conventualium; et unam Minorum S. Francisci de Paula.

Interpellans Romae de more Procuratoribus generalibus horum Ordinum, duo Procuratores responderunt, Regulares sui Ordinis synodali praescriptioni sese libenter

conformasse; nihil propterea advertendum sibi esse super proposita quaestione.

Alter Procurator innixus Regularium exemptionis privilegiis, con-* cludebat ad primum dubium esse respondendum *negative:* ad alterum vero *affirmative,* ratione nempe charitatis.

Alter autem Procurator, censebat esse respondendum utrique dubio *negative,* tum quia Regulares non obligantur statutis dioecesanis, tum quia existimabat dictum synodale statutum adversari eadem ratione sui Ordinis constitutionibus, et S. Tridentino Concilio, *sess.* 22 *decret, de observand. et evit. in celebr. M is.* Quod si in *sess.* 22 *c.* 8 *de sacri/. Mis.* mandat S. Synodus pastoribus et singulis animarum curam gerentibus ut frequenter in Missarum celebrationem ex iis, quae in Missa leguntur, aliquid exponant, praeter alia animadvertebat dictus Procurator, haec et similia iniungi *Pastoribus, aliisque curam animarum gerentibus.*

Expositis itaque Procuratorum relationibus *ex officio* sequentia aoimadvertebantur. Renedictus XIV. in opere *de synodo dioeces, lib.* 9 *c.* 15 *per tot.* probe monet ex Fagliano in *Cap. Quod super his de maior, et obedien. a num. Ii ad finem,* nihil ab Episcopis esse synodalibus constitutionibus inserendum, quod praeiudicium inferat privilegiis a sede Apostolica concessis regularium Ordinum Institutis: attamen idem Summus Pontifex non exinde consequi advertit, quod Episcopi statuta conficere omnino nequeant quoad Regulares, quatenus super iis versentur in quibus Regulares ipsos habent suae iurisdictioni obnoxios. Pro generali autem regula *lib.* 13 *c.* 4 *n.* 5 tradit, Regulares, eorum exemptione non obstante, parere debere dioecesanae synodi sanctionibus in iis quae respiciunt curam animarum, aut sacramentorum administrationem iuxta decretum Concilii Trid. *sess.* 25 c. 11 *de Regular.,* atque Apostolicas Constitutiones Concilii textum explicantes: decretis pariter subiici, quae materiam concernunt, in qua subsunt iurisdictioni delegatae Episcopi iuxta decisionem Innocentii IV. in *Cap.* 1 *de Privil. in 6 - ibi-salvis nihilominus casibus aliis in quibus eos Episcoporum iurisdictioni subesse canonicapraecipiunt instituta. »* Plures vero ex his casibus enumerat in *cit. lib.* 9, ac singillatim eos recenset Fagnanus in *Cap. Grave de offic. Ordin, a n.* 37 *usque ad finem.* Chokier *de Iunsd. Ordin, in exempt.* part. 2. *quaest.* 45. Passerin. *de Homin. stat. et offic tom.* 3 *q.* 189 *art.* IO *insp.* IO *cap.* 5 *per tot.* Ferraris *Bibliot, can.* verbo *Regulares art.* 1, aliique. In iis vero *in quibus a iure communi, a Sacro Concilio Tridentino, d Constitutionibus Apostolicis tribula est Episcopo iurisdictio in Regulares, potest illos etiam per censuras ecclesiasticas compellere,* ceu rescriptum fuit a S. Congregatione Conc. ad Episcopum Nebiensem die 7 Fe-

bruarii 1637. *lib.* 14 *Decr. pag.* 571 « *tergo.*

Praeterea idem Pontifex cum Suarez *lib.* 4 *de leg. cap.* 20 *n.* 10 adnotat *(lib.* 13 *de Syn. c.* 4 *n.* 3) aliquando ad vitandum scandalum, et fugiendam difformitatem a caeteris dioeceseos membris, teneri Regulares obtemperare constitutionibus' synodalibus, a quibus caeteroquin, ratione suae exemptionis, essent soluti; uti etiam, demandati ab Episcopo ieiunii exemplum afferens, si antiqua invaluisset in Regularium communitate consuetudo observandi aliquod Episcopi praeceptum, ad illud in posterum observandum communitatem ipsam compelli posse, quia tunc nempe obligatio non oritur ab Episcopi iurisdictione, sed ab ipsa consuetudine, quae vim habet inducendi legis obligationem.

Ad praesentem quod attinet quaestionem, praescriptio synodalis, de qua quaestio est, haud quidem comprehenditur, expresse saltem, inter illas quibus sive ex iure communi, sive ex Concilio Tridentino , aut Constitutionibus Apostolicis Regulares Episcopo iubenti parere coguntur, quasque citati Auctores enumerant ac expendunt: nec praeterea, quoad constet, de Regularibus aut ecclesiis agitur, quibus animarum cura imminet.

Quatenus itaque ad illius statuti observantiam non teneri Regulares putandum sit in vim ordinariae aut delegatae iurisdictionis Episcopi, iudicandum supererat, utrum tenerentur, vel sin minus ad id hortandi essent ex causa evitandi scandalum , et difformitatem ab aliis dioecesis ecclesiis, etiam Regularium illorum Ordinum, qui decretum synodale iamdudum observabant; seu potius ex titulo charitatis erga miseros, et rudes pagorum incolas, qui ad illorum conveniunt ecclesias.

Hisce expositis ad dubia: I.«An » Regulares teneantur statutum de » quo agitur servare in suis ecclesiis ex vi legis synodalis in casu : » et quatenus *affirmative:* II. an cogi » ad id possint ab Episcopo uti de» legato Sedis Apostolicae in casu:» S. Congregatio respondit : *in proposito casu servetur mandatum Episcopi.*

Ex qua responsione ex verbis nempe, *inproposito casu,* satis eruitur ob peculiares circumstantias S. Congregationem praecepisse ut Episcopale mandatum servaretur.

Neque existimandum est praescriptum modum tradendi christianam doctrinam rudibus pagorum incolis adversari Tridentinae legi; siquidem Tridentini Patres pluries mentem suam aperuerunt, ut christianus populus maxime inter Missarum celebrationem edoceretur circa res fidei , et iis verbis usi sunt , quae ostendunt maxime ipsis cordi fuisse eiusmodi populi instructionem. Quare Parochis S. Synodus iniungit, *ut inter Missarum solemnia aut divinorum celebrationem sacra eloquia, et salutis monita eadem vernacula lingua*

singulis diebus festivis vel solemnibus explanent, eadem in omnium cordibus, postpositis inutilibus quaestionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant, sess. 24 *c.* 7 *de Refor.*

Item, *retento ubique cuiusque ecclesiae antiquo, et a sanela Romana ecclesia omnium ecclesiarum matre, et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus Pastoribus et singulis curam animarum gerentibus; ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se vel per alios, quae m Missa leguntur, aliquid exponant, utque inter caetera sanctissimi huius sacrifiicii mysterium aliquod declarent, diebus praesertim dominicis ei festis, sess.* 22 *de Sacrif. Missae c.* 8

Pariter in *sess.* 5. *c.* 2 *de Refor; « Archipresbyteri quoque, Piebani, et quicumque parochiales vel alias curam animarum habentes, ecclesias quocumque modo obtinent, diebus saltem dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua, et earum capacitale pascant salutaribus verbis docendo quae scire omnibus necessarium est ad salutem... Id si quis eorum praestare negligat, etiamsi ab Episcopi iurisdictione quavis ratione exemptum se esse praetendere, etiamsi ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur...provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: Parvuli petierunt panem et non erat qui frangeret eis.»*

Quamvis autem io iis sermo sit de Parochis ecclesiisque parochialibus, nihilominus quam solliciti fuerint Tridentini Patres dignoscitur, ut in re fidei pro cuiusque captu christianus populus edoceretur, idque praesertim fieret in Missarum celebratione quibus populus diebus praesertim festis assistit.

Et ad rem praesentem facit Resolutio S. Congregat. Conc., quae data est in quadam causa *Neritonensi* die 3 Decembris 1757. Episcopus edictum tulerat, ut quicumque Sacerdos in ecclesia parochiali primum sacrum acturus esset, vel primum et secundum in aliis ecclesiis et cappellis, sive intra urbem sive in sexdecim terris, et oppidis quibus universa dioecesis constabat, teneretur post primum evangelium docere populum doctrinam christianam iuxta methodum ab ipso scriptam *in" folio* quod typis impressum ecclesiis omnibus distributum icut: si quis secus faceret declarabatur suspensus per tres dies; folium autem illud ita custodiri iussit ut si quacumque de causa, etiam fortuito, perirei, ecclesia interdicta esset donec novum obtineret. Ab hoc edicto Clerus neritonensis appellavit ad S. C. C. et propositis dubiis: I. « an sustineatur edictum in ea » parte qua Sacerdotibus non ha- » bentibus curam animarum impo- » nitur onus docendi doctrinam » christianam sub poena suspensio- » nis in casu: II. an sustineatur » poena interdicti in eodem edicto » inflicta adversus ecclesias in qui- » bus contigerit deficere formula-

» rium doctrinae christianae in ca- » su. » S. Congregatio respondit: ad /. *affirmative iuxta modum explicandum Episcopo: ad II. negative.*

Etsi datum non sit noscere, quid S. Congreg. Episcopo illi significaverit circa modum, certum tamen est S. Congregationem approbavisse episcopale decretum tradendi catechismum post evangelium. Ad modum praeterea quod spectat, non sine ratione coniicere possumus dicto Episcopo significasse sequendam esse normam praescriptam in synodo romana a Benedicto XIII. celebrata anno 1725, in qua, *Tit.* 1 *cap.* 5 sub rubrica: *Rustici et adulti quomodo in fidei rudimentis instituendi,* ea quae sequuntur decreta sunt: « Ad haec Nos alia , et dolenda quidem recogitamus, pueros nempe christianam doctrinam edocendos non omnes in civitatibus et oppidis habitare; imo non paucos in campestribus animalium custodiae addictos, rusticani sic vitam agere, ut, post receptum salutaris aquae lavacrum, spirituali ibi absque educatore enutriti, neque an Spiritus Sanctus sit, unquam audierint: adultosque insuper multos intra communitates occurrere qui nostrae etiam principaliora fidei, Summae scilicet Trinitatis, et Incarnationis mysteria ignorent,quod magis lamentabile est, cum caeteris in schola addiscere verecundantur. Aeternae idcirco eorum saluti consulere quocumque modo cupientes, Parochis districte praecipimus et mandamus, ut infra earumdem solemnia Missarum, statim post habitum ut supra sermonem , *alta voce, et materno idiomate, populo universo respondente,* quod et in secunda Missa post Parochum, ut omnimode ignorantium malitiae occurratur, qui catechismum effugiunt ac etiam in oratoriis, cappellis, et ecclesiis ruralibus, ubi sacra celebrari consuevere, celebrantes, adimplere teneantur sub poena suspensionis a divinis, Episcoporum arbitrio imponenda, saltem sequentia paulatim cantando edoceant: *Signum S. Crucis: Misteria SS. Trinitatis et Incarnationis: Symbolum Apostolorum: Orationem dominicalem: Salutationem angelicam: Praecepta Decalogi: Praecepta Ecclesiae: Septem Sacramenta: Actum contritionis.* Haec ex romana synodo.

Eo itaque redeuntes, quo discessimus, quamvis Episcopus neque vi ordinariae iurisdictionis, neque vi iurisdictionis delegatae iniungere posse videatur in ecclesiis Regularium exemptis, praefatam obligationem: nihilominus ob peculiares populi locorumque urgentes circumstantias, Regulares abnuere non possunt si id praecipiatur. In hypothesi enim de qua agimus, obligatio urget Episcopum edocendi plebem sibi concreditam fidei rudimenta; plebs autem ad ecclesias exemptas confluii, neque Episcopus cogere plebem potest ut ad ecclesiam parochialem accedat: superest ergo ut ecclesia Regularium exempta, ordine sic exigente, semet accommodet episcopali statuto.

Prò attera autem quaestione, an scilicet Regulares prohiberi possint, quominus publice catechismum explicent in suis ecclesiis exemptis non parochialibus, plures habentur Resolutiones S. Congregationis Concilii, quae quaestionem dirimunt. Sacra enim Congregatio praeter generale responsum quo statuit; prohibitum non esse Regularibus Doctrinam Christianam in suis ecclesiis tradere, quemadmodum refert Nicoli us *in floscul.* verbo *Regularis num.* 7, habetur Resolutio in *Tudertina Doctrinae Christianae,* quae pariter ad rem facit. In hac agebatur de Testatore, qui mandaverat erigi ecclesiam in proprio fundo, ibique residere debere Sacerdotem, qui schola pro adolescentibus habita diebus dominicis in dicta ecclesia traderet tum masculis tum foeminis doctrinam christianam. Cum Parochus intra cuius paroeciae fines sita erat ecclesia sese opposuisset ne fidei radimeli ta ibidem exponerentur, contendens id muneris ad parochialem •ecclesiam privative spectare, proposito dubio: « an praemissa Testa» toris voluntas sit exequenda; » die 30 Martii 1675 responsum prodiit; *servandam esse mentem Testatoris, et quoad modum arbitrio Episcopi,* ut ex libro *Decret.* 29 *pag.* 42. item. in *Fiorentina* diei 30. Martii 1726 ad dubium : « an itidem *(ire» sbyleri Missionis)* sacramenta poe* nitentiae, et Eucharistiae admini* strare, et Doctrinam Christianam » pocere possint contradicente Pa» rocho in casu. » S. Congregatio respondit : *affirmative, dummodo Doctrina Christiana, non fiat in hora, qua fd in parochia.*

Ad normam harum Resolutionum prodiit responsio, quae occasione causae *Sacrae Visitationis* supra expositae adducta est; ad dubium enim: « an Sacerdotibus Missionibus li» ceat tradere populo Doctrinam » Christianam diebus dominicis in » ecclesia rurali Fantolinae ad for» mam piae dispositionis Canonici » Bertoni: seu potius sit exequendum » decretum Emi de licio in casu: » *responsum est: affirmative ad primam, et quoad modum arbitrio Archiepiscopi.* Instructio, enim populi christiani in rudimentis fidei summa res est, quae licet speciali modo commissa sit Parochis, tamen illis omnibus qui in ecclesiae magisterium sunt vocati, non solum non est prohibitum, sed imo pluries a Romanis Pontificibus inculcatum ut faciant. Quod omissis caeteris apparet ex Constitutione S. Pii V, quae incipit: *Ex debito,* diei 5 Octobris 1571, qua iussit institui ab Ordinariis locorum confraternitates Doctrinae Christianae ad pueros aliosque divinae legis expertes bonis moribus sanaque doctrina instruendum: Nec praeterunda est Constitutio Benedicti XIV, quae incipit: *Etsi minime,* diei 7 Februarii 1742.

Ad modum vero quod spectat, res tota ab Episcopo pendet, cui cura imminet ne ordo publicus ecclesiasticus detrimentum patiatur.

APPENDIX VII.

CIRCA PRAXIM S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE SUPER DISPENSATIONIBUS MATRIMONIALIBUS.

In appendice V. praecedentsi fasciculi egimus de exprimenda in petitione dispensationum provenientia affinitatis ex copula licita: modo breviter agemus "de provenientia affinitatis ex copula iliieita, seu ex actu fornicario orientis.

Pyrrhus Corradus in celebri opere cui titulus: Praxis dispensationum *lib. 7 cap.* 3 *num.* 23, haec habet: « cum autem petitur dispensatio in » primo aut primo et secundo ex » actu fornicario necesse est quod » impedimenti, seu impedimento- » rum provenientia exprimatur.»

Haec necessitas, ut in memorata appendice innuimus, exinde deducitur quod pro diversitate provenientiae diversa sit dispensationis concedendae difficultas, ac diversae sint clausulae, quibus ipsa dispensatio expediri solet. Quod quidem clarum apparebit si paulisper consideremus capita seu personas ex quibus ipsa affinitas oriri possit, et praxis qua utitur S. Poenitentiaria in huiusmodi dispensationibus concedendis.

Affinitas ex copula iliicita - potest adesse vel in linea recta vel in linea obliqua.

In linea recta, et quidem in primo gradu dicta affinitas habetur sequentibus in casibus, scilicet si spon^sus copulam habuerit vel cum matre vel cum filia mulieris sibi desponsata: vel viceversa, si mulier desponsata carnaliter cognosci passa sit ve! a patre vel a filio viri sibi desponsata

In eadem linea recta in secundo gradu si sponsus copulam habuerit cum avia (italice *Nonna)* vel cum; INepte in linea recta mulieris sibi desponsatae: vel viceversa, si sponsa? carnaliter cognosci passa sit ab avo, vel nepote in linea recta viri sibi desponsati.

In linea obliqua, et quidem in primo gradu si sponsus copulam habuerit cum sorore germana mulieris sibi desponsatae: vel viceversa, si sponsa a fratre viri sibi desponsati carnaliter cognosci passa sit.

In eadem linea obliqua in primo secundo gradu, si sponsus copulam habuerit cum amita, matertera mulieris sibi desponsatae: vel viceversa, si sponsa carnaliter cognosci passa sit a patruo, seu avunculo, aut nepote in linea transversa viri sibi desponsati.

In eadem linea obliqua erit affinitas in secundo gradu si sponsus copulam habuerit cum coosobrina

mulieris sibi desponsatae : aut vice-versa, si sponsa a consobrino viri sibi desponsati carnaliter cognosci passa sit.

Iam vero cuique hos diversos affinitatis ex copula illicita casus consideranti plane apparet, quam sit diversa in iis turpitudo. Turpe quidem in honesta christianaque familia censetur ut qui illicite polluerit aliquam mulierem, deinde in matrimonium ducat eius consobrinam aut sororem; sed huiusmodi turpitudo vix comparari potest cum ea, quae oritur ex copula habita cum eius matre, aut filia ; prout pariter turpitudo magna censetur, si mulier, quae cognosci passa sit ab aliquo viro, deinde matrimonium contrahat cum eius patre aut filio etc.

Atque hinc patet, ad efformandum congruum de dispensatione concedenda iudicium, necesse esse, ut clare ac distincte explicetur impedimenti provenientia.

Haec necessitas exprimendi provenientiam dignosci potest etiam ex praxi, seu ex clausulis, quibus eiusmodi dispensationes solent concedi.

Primo quidem iniungi solet ut opportunis modis removeatur occasio peccandi, quae iniunctio fieri solet hisce verbis: « *Proviso prius opportunis modis, ut occasio f si adhuc exiet) amplius cornaliter peccandi inter oratorem, et oratricis sororem removeatur, relabendique praecaveantur pericula.* »

Haec quidem clausula plane apponitur quando sponsus copulam habuit cum sorore mulieris sibi desponsatae. At tingatur casus in quo provenientia affinitatis clare expressa non sit, sed tantum narratio sit generica de affinitate in primo gradu; verba illa: *occasio amplius carnaliter peccandi inter oratorem et oratricis sororem,* ad rem non faciunt. Affinitas enim in primo gradu potest provenire etiam a copula habita a viro cum matre sponsae , aut etiam a copula habita a sponsa cum patre, aut filio, aut fratre sponsi, quamobrem eo in casu necesse est ut vel rescribatur: *explicent clare et distincte provenientium,* vel si urgente necessitate , aut habita ratione distantiae locorum concedenda sit dispensatio, multiplicandae sunt clausulae, et adhibenda longa verborum circumlocutio; ex. gr., inter alias, ad avertendum periculum, ne quis mulierem a se genitam in matrimonium ducat addenda est clausula: *et quatenus agatur de copula habita a sponso cum maire sponsae, dummodo nativitas sponsae praecesserit copulam ab eodem sponso cum matre eius habitam.*

His addendum, quod parti sonti, seu illi ex sponsis, qui fornicario peccando causam dedit affinitate impertienda sitabsolutio,et iniungenda congrua poenitentia salutaris: quod quidem non salis commode fieri potest, si ignoretur uter sponsorum sit reus.

Quae quidem omnes difficultates evanescunt si clare et distincte indicentur personae, quae affinitati lo

cura dederunt eo modo quo ex dictis facile erui potest, scilicet: Titius cupit matrimonium contrahere cura Bertha cuius matrem, aut sororem , aut neptem , aut materteram, aut consobrinam carnaliter cognovit etc. Vel Bertha cupit matrimonium inire cum Titio a cuius patre, aut filio, aut nepote, aut patruo, aut avunculo, aut fratre, aut consobrino carnaliter cognosci passa est etc.

Haec autem omnia observanda sunt, sive preces quae S. Poenitentiariae porriguntur forum internum, sive forum externum respiciant, ut expedite dispensationes super impedimentis affinitatis ex copula illicita provenientis, existentibus causis, obtineri valeant.

DEVOTA PRECATIO

IN PRAESENTIBUS ECCLESIAE CALAMITATIBUS.

IESU cinicissime, divine Magister noster ! qui nefarias Pharisaeorum machinationes , quibus te frequenter impetebant, semper elusisti ; dissipa consilia impiorum, et omnium illorum qui in pnsillanimitate spiritus fallacibus suis argutiis Populum tuum irretire ac circmnvenire moliuntur. Omnes nos discipulos tuos illustra lumine gratiae tuae, ne forte corrumpamur astutia sapientum huius saeculi, qui perniciosa sophismata sua ubique spargunt, ut et nos in errores suos pertrahant. Concede nobis tale fidei lumen, ut impiorum insidias agnoscamus , Ecclesiae tuae dogmata firmiter credamus, ac -cavillo™m axiomata constanter reiiciamus (i).

SSinus Dnus Noster Pius Divina Providentia PP. IX. pie ac devote recitantibus praesentem orationem centum dies de vera indulgentia in forma Ecclesiae consueta benigne concessit, die 22. Octobris 4866.

AL. Card. BARNABÒ
Praef. S. C. de Propaganda Fide.

(i) Rem optimam facerent, qui prae-«{aram hanc precationem (quae quanti sit aestimanda apparet)diffunderent,eamque quam maxime sincero humilique corde -recitandam fidelibus commendarent.

Iam diximus *Fot. I. pag.* 321 *in ad' not.*, indulgentias adnexas precibus valere quocumque idiomate recitentur, dummodo versiones sint fideles,

MISSAE CONVENTUALIS.

Die 23 *Aprilis* 1864. *et* 6 *Maii* 1865 *Sess.* 22 *Decret, de observ. et emi.*

Compendium facti. In cathedrali ecclèsia N., ex vetusta consuetudine statutis capitularibus confirmata, Canonici diebus festis, Cappellani autem reliquis diebus, Missam conventualem celebrabant, quin tamen pro Benefactoribus in genere eam applicarent ante notissimam Constitutionem Benedicti XIV., ***Cum semper oblatas,*** quae **prodiit** die **19** Augusti **1744.**

Hac edita Constitutione, quae contrarias etiam consuetudines delevit, Episcopus id temporis diligenti studio instituit pro observantia Constitutionis eiusdem.

At ob quasdam difficultates nonnisi anno 1760 plenae executioni mandata est, sed sequenti ratione. Convenit scilicet die i Ianuarii 1760 inter Canonicos et Cappellanos. 1° Quod Cappellani in sua quisque vice Missam conventualem applicarent pro Benefactoribus, eamque inscriberent libro Canonici hebdomadaria 2° Quod Cappellanus celebrans non reciperet eleemosynam quam Capitulum suppeditare incoepit eidem Canonico hebdomadario pro Missa conventuali integrae hebdomadae, ac si ipse Missam celebrasset, et applicasset, sed Cappellanus idem permutaret Missae applicationem ita, ut Missa conventualis applicanda esset a Cappellano pro Benefactoribus in genere, a Canonico autem applicanda pro speciali obligatione a Cappellano assumpta absque tamen eleemosynae commutatione. Quisque enim propriam eleemosynam retinebat. Denique Canonici ob eiusmodi onus a Cappellanis acceptatum retribuerunt iisdem summam scutatorum centum cuius annuus redditus dirhibendus esset Cappellanis Missam conventualem cantantibus. Huic insuper conventioni clausula adiecta est : ***salva semper approbatione Episcopi et cuiuscumque superioris ad quem pertineat.***

Conventio isthaec observata est quatuor supra centum annos, donec anno 1868 Cappellani in examen revocantes huius consuetudinis causam, eamque illegitimam autumantes reclainarunt; proindeque Episcopus ut quaestio penitus dirimeretur, duo dubia S. Congregationi Concilii resolvenda proposuit, an scilicet sustineretur dicta conventio, et consuetudo inde exorta; et quatenus negative, an Capitulum teneretur dare eleemosynam Cappellanis, et quamnam eleemosynam, an scilicet illam quam Canonicus hebdomadarius recipit, vel secundum synodalem taxam. Namque Canonicus hebdomadarius, qui Missae intentionem cum Cappellano permutabat, eleemosynam a Capitulo receperat usque ad annum 1802 iuxta synodalem taxam, dein vero aliquantulum maiorem.

Cum autem, inter caetera, Cappellani invalidam esse conventionem dicerent, quia legitima auctoritate adprobata non fuerat; et contra Canonici eam adprobatam fuisse contenderent non solum ab Episcopo, sed etiam ab Apostolica Sede quae acta Sacrae Visitationis tunc temporis exhibita adprobaverat: hinc Romae inquisitio facta est, et in unico reperto documento, quod cum diem praeseferret 7 Decembris 1759, praecedebat circiter mense memoratam conventionem, haec ab Episcopo illius temporis in relatione status dioecesis N. enarrata legebantur: « In » cathedrali post Benedicti XIV. encyclicam, Canonici festis aliis- » que consuetis diebus Missam conventualem applicant, in cae- » teris vero paucis abhinc annis privatam. Ex quo ecclesiae » huic praeesse coepi, cum id non satis mihi probaretur, hac » de re cum Canonicis egi, qui in ea fuerunt sententia, a Cap- » peilanis quoque pro Benefactoribus applicandam esse diebus, » quibus privata Missa ab ipsis canitur, ***ex quo hi etiam possili deant, propriosque habeant redditus a Capituli massa seiunctos,*** » quod quidem Cappellani hodie praestant adsignato eisdem ob » hanc rem a Canonicis scutatorum centenario. » Nulla ergo in hoc documento mentio conventionis habetur quae paucos post dies firmata fuit, neque unquam postea ea S. Sedi adprobanda videtur exhibita, quemadmodum ipsemet Episcopus sentiebat.

Causa itaque S. C. C. primo proposita fuit die 23 Aprilis 1864, et adductis utrinque iuribus, disputatum est super dubiis: I. « an sustineatur conventio diei 1 Ianuarii 1760 in casu: et

*

» quatenus ***negative,*** II. an, quae, et ex qua massa retribuenda » sit Cappellanis eleemosyna pro applicatione Missae conven- » tualis in casu. » Sacra autem Congregatio distulit definitionem respondens: ***dilata, et scribatur Episcopo qui doceat utrum Canonici et Cappellani unum efficiant corpus capitulare, et qui sint redditus utriusque massae.***

Quare Episcopus interrogatus est, qui respondit duo sibi videri corpora distincta Capitulum, et Cappellanorum Congregationem, quod opportunis argumentis confirmabat. Cappellani enim ab antiquo proprias habebant Constitutiones, distincta bona, quae suo nomine independenter a Capitulo administrabant, quique immediate subiecti dicebantur non quidem Capitulo, sed Ordinario.

Ad redditus quod spectat referebat Episcopus praesentem reddituum statum utriusque mensae, qui redditus licet non pingues essent, nihilominus ex respectiva distributionum massa commode decerpi posse videbatur eleemosyna pro Missa conventuali quam sive Canonici, sive Cappellani celebrabant.

Disceptatio syuoptiea.

EA QUAE FAVORE CAPPELLANORUM DISPUTABANTUR. — Cappellani sequentibus rationibus innitebantur ad conventionem infirmandam, eamque pravam ostendendam: scilicet eam reiiciendam esse contendebant 1, ex defectu cuiusvis legitimae adprobationis: 2, ex defectu potestatis in paciscentibus, qui, si seipsos in hac re obligare potuissent, non poterant eadem obligatione successores devincire: 3, ex indole conventionis, quae videbatur comprehendi inter pacta prohibita a Tridentino Concilio ***Sess.*** 22 ***decret, de observ. et evit. in celebr. Miss,*** videbatur enim redolere turpem «quaestum, et comprehendi sub Decreto Urbani VIII. diei 21 Iunii 1625 qui per S. C. Concilii inter alia plura §. 5 sic praecipit: ***«Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.*** Cum autem dubium inter caetera deinde fuerit his verbis propositum: X. « an » Sacerdotes, quibus aliquando offertur eleemosyna maior solita » pro celebratione Missae, debeant dare eamdem integram elee-

y> mosynam iis, quibus Missas celebrandas committunt; an vero «satis sit, ut dent celebrantibus eleemosynam consuetam:, S. Congregatio Concilii respondit: ad X. ***debere absolute integram eleemosijnam tribuere Sacerdoti celebranti, nec idlam illius partem sibi retinere posse.*** Haec referuntur in celebri Decreto Urbani VIII. postea ab Innocentio XII. confirmato et amplius declarato, ut videre est apud Lucium Ferraris ***Biblioth. canon,*** verbo ***Missae sacrificium art.*** 2. Iamvero in re praesenti Canonicis plura temporalia commoda obveniebant ex dicta permutatione applicationis. Nunquam enim Canonicus hebdomadarius destitutus manebat eleemosyna Missarum integra hebdomada, quae paullo maior erat quam eleemosyna iuxta taxam synodalem constituta: contra Cappellanus celebrans nisi intentionem permutare!, sine eleemosyna manebat, quemadmodum pariter eleemosyna privabatur si non haberet permutandam applicationem : Quare cum onus applicandi Missam pro benefactoribus in genere in Capitulum gravet, aequum non erat ut illud in Cappellanos hoc modo reiiceretur. Quod quidem absonum erat a tenore Constitutionis: ***Cum semper oblatas,*** et a Resolutionibus S. C. Concilii, iuxta quas Canonici dicebantur teneri suppeditare eleemosynam Cappellanis pro applicatione dictae Missae, ut in ***Ferrarteli.*** diei ***i*** Martii 1719, ***et in Auximana*** diei 16 Decembris 1820.

Denique alia plura enumerabantur incommoda, quae respiciebant locum dies et horas celebrandi, ad quae omnia observanda Canonici conventione non erant obstricti. Quamobrem Cappellani nedum conventionem infirmam esse concidebant, sed etiam consuetudinem inde derivatam.

Porro infirmata conventione et inde orta consuetudine, prono alveo descendere videbatur obligatio Capituli suppeditandi eleemosynam Cappellanis pro Missa conventuali; maxime cum ipsum Capitulum sua agendi ratione pluries ostenderit semet obligatum :ui ipsam eleemosynam suppeditandam , sive ex dicta conventione, sive ex donatione scutatorum centum cuius fructus annuos persolvebat, sive ex aliis actis quae temporis decursu intervenerant. Quare in praesenti casu locum sibi vindicare videbatur Resolutio data in ***Ferrarrien.*** diei 4 Martii 1719, in qua cum Episcopus in sacra Visitatione iussisset applicari pro benefactoribus Missam conventualem , cumque a Capitulo dandam

esse constituisset eleemosynam Cappellanis eam ex consuetudine celebrantibus; reclamante Capitulo, et propositis inter alia dubiis S. C. Concilii: I. « An Dignitates, Canonici, Mansionarii et » Cappellani Capituli qui omnes ex usu et consuetudine tenen» tur celebrare in cathedrali ecclesia Missas conventuales, tene» antur ad easdem applicandas pro benefactoribus; et quatenus *y* affirmative: U.* «An celebrantibus et applicantibus Missas con» ventuales solvenda sit eleemosyna a Capitulo: » responsum prodiit: Ad f. et II. ***Affirmative.***

EA QUAE IN CONTRARIUM A CANONICIS ADDUCEBANTUR CIRCA PRIMUM DUBIUM.—Contra Canonici per Causidicum **(1)** conventionem memoratam tuebantur, quae si rescindenda foret, integrum onus Missae conventualis sustinendum esse a Cappellanis contendebant. Et ad conventionem quod attinet, eam sufficienti adprobatione non carere Defensor sustinebat ex observantia plus quam centenaria, quae praesumptionem etiam inducit Beneplaciti Apostolici. At quoniam Cappellani non solum ex defectu extrinsecae solemnitatis conventionem impetebant, sed etiam intrinsecus pravam eam renunciabant ; hinc maiori vi Defensor adductis Theologorum auctoritatibus ostendere conabatur eam undequaque licitam esse habendam. Ipse enim rigidissimus Antoine ***in tractat, de virt. art. idt. de simon. q.*** 6. haec scripta reliquit : « An permutatio rerum spiritualium inter se simoniaca sit, ideo» que illicita? Respon. ***negative,*** si illa non habet adnexum » aliquod temporale commodum, et nullum interveniat pretium, » quia nullo iure est vetita. Non iure divino... cum utraque sit » eiusdem ordinis. Neque iure ecclesiastico; nam licet in iure » prohibeatur omnis pactio in rebus spiritualibus, hoc intelligi» tur de iis quibus adnexum est aliquod temporale commodum, » vel quae fit interveniente pretio temporali. Hinc licite duo » paciscuntur mutuas preces, mutua sacrificia, mutuam operam sa**)Kcram** v.gr. ***me obligo ad celebrandum cras pro te, ut tu alio die y> eam pro me celebres. »***

Verum in casu, consensu Episcopi interveniente, res dicebatur esse simplicis sacrificiorum permutationis, proindeque conventio neque censurae obnoxia erat Decreti Urbani VIII., neque Constitutionis Benedicti XIV. quae incipit: ***Quanta cura.***

(I) **Causam Canonicorum defendendam suscepit Salvator Pallottini Advocatus.**

Quin imo (prosequebatur Defensor) eximius Theologus S. Alphonsus ***in Cap.*** 6. ***n.*** 73 ***et seq. de Mis. appi, et stip. penes Andr. €alant. vol*** 2, eiusmodi materiam late pertractans sibi quaerit: «An ***v*** licitum sit pacisci circa Missarum eleemosynam:» et inter alia haec tradidit: « ***Nec vero prohibitum est Sacerdoti accipienti stipendium pro Missa crastina die celebranda, rogare alium Sacerdotem ut cras pro se celebret, obligando sese vicissim pro alia die applicare, licet stipendium utriusque Missae sit inacquale. Hoc enim solum est permutare applicationem, seu intentionem Missarum, quod in usu positum est etiam apud viros pios et meticulosae conscientiae*** (1).»

In re autem praesenti deesse contendebat Defensor quamlibet simoniae speciem, jsive quia aequalem esse aiebat Missarum eleemosynam, sive quia donatio centum scutatorum a Canonicis Episcopo obsequentibus facta fuerat, ut in distributiones Cappellanis celebrantibus dirhiberetur, ac maxime ex consensu saltem tacito Episcopi. Submotis enim illicitis pactis sufficit in permutatione rerum spiritualium Episcopi consensus, ut permutatio legitima sit, ceu contingit in permutatione beneficiorum.

EA CUAE FAVORE CAPITULI DISPUTABANTUR CIRCA SECUNDUM DUBIUM.— Facta etiam hypothesi quod nulla dicenda sit memorata •conventio, maiori contentione Defensor ostendere studuit eleemosynam seu distributionem pro Missa conventuali, iis diebus, quibus ex consuetudine statutis capitularibus confirmata Cappellani eam celebrabant, ex propria distributionum massa eorumdem Cappellanorum esse desumendam. Antequam id ostenderet, incidentem quaestionem egit, contendens unum efformare capitulari corpus, tum Canonicos tum Cappellanos. Si illi enim Cappellani non erant ***de gremio Capituli,*** erant tamen ***Capituli,*** idest pertinebant ad clerum Capituli, et ita, ut Cappellani unum tantum corpus cum Capitulo inseparabiliter effonnarent. Ad idem enim chorale servitium tenebantur: subiecti erant capitularibus constitutionibus. Quod si suos redditus a Capitulo independenter administrare^, ex hoc Defensor arguebat Cappellanos e\ propria distributionum massa desumere debere eleemosynas.

A primis enim Ecclesiae incunabulis Clerici omnes canoni seu albo cuiusque ecclesiae adscripti preces pro benefactoribus fun-

(1) **Hanc Theologorum opinionem non amplius sustinendam esse scripsit S. Al jphoiisus *dom apost. n.* G9.**

dere, ac praesertim sacrificia suis respective vicibus litare sueverunt. Morem hunc laudabilem passim sacri Canones sanxerunt. Qui autem Missam celebrare et canere tenebantur, hi etiam applicare debebant. Non enim celebratio ab applicatione seiungenda est nisi alias espresse cautum sit, ut declaravit S. C. C. in ***Zinnen. Applicationis Sacrificii*** 18 Augusti 1668 ***Lib.*** 26» ***Decret., in Lucana*** die 26 Augusti 1683 ***Lib.*** 33 ***Decret.***

Idcirco Benedictus XIV. in Constit. ***Cum semper oblalas,*** novum onus non imposuit, sed primaevam obligationem ex abusu in pluribus ecclesiis obsoletam in vigorem revocavit. Namque ante commemoratam Constitutionem Sacra Congregatio Concilii; in singulis casibus censuit, ut tam Canonici, quam Beneficiati; seu Cappellani servitio chori obstricti suis respective vicibus Missam conventualem celebrantes eamdem applicare deberent,» ut nominatim in ***Tusculana*** diei 16 Novembris 1652 ***Lib.*** Id ***Decret, pag.*** 210. Idque docetur in ***Nullius Trium fontium, Mis* sae Conventualis*** die 13 Martii 1772 §. ***Ex hoc,*** ubi legitur: « nec sufficit tantum celebratio, sed requiritur etiam applicatio » pro benefactoribus in genere, nec ulla contraria consuetudo » suffragari valet. Constans haec fuit S. Congregationis senten- » tia in ***Camerinen.*** 9 Iunii 1714, ***in Comen.*** **11** Maii 1720, ***in » Veliterna*** 14 Martii 1722. »

Hinc Benedictus XIV. in allegata Constitutione §. 12 edixitr ***« eiusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cuiuslibet ecclesiae cuius servitio addicti sunt quicumque in eadem sive Dignitates, sive Canonicatus , sive Mansionarialus, sive Beneficia choralia obtinent > et Missam conventualem suis respective vicibus celebrant. »***

Quare sublata conventione, Cappellani qui celebrare et **ca**nere Missam suis respective vicibus tenebantur, eam applicaredebebant. Quin imo etiamsi Canonici applicare Missam vellent pro Benefactoribus in genere, non facerent satis huic oneri nisi Missam conventualem canerent; Sacra enim Congregatio in ***Aretina*** diei 11 Martii 1604 declaravit: « ***cogendos esse, ut illis diebus, quibus ex rubricis missalis tenentur, duas Missas conventuales cantent; siquidem neque ambabus neque alteri earum satis (it celebratione Missae privata cum mentali applicatione, n***

Ex quibus omnibus consequi necessario aiebat Defensor, eleemosynam seu distributionem pro Missae conventualis celebratione ex redditibus Cappellanorum propriis desumi debere, ex massa scilicet distributionum. Namque in iis capitularibus ecclesiis in quibus communis est distributionum massa, ab eadem distributiones desumuntur tam pro Canonicis, quam pro Cappellanis pro singulis horis, quibus iidem divinis officiis intersunt: in ecclesiis vero in quibus Canonici et Cappellani respectivam ac distinctam massam distributionum habent, singuli ex propria massa desumimi; ac proinde ex eadem pro Missa conventuali desumere debent, quae est praecipua pars officii divini ut ostenditur in ***folio*** causae ***Reatinae, Missae conventualis*** diei **20** Ianuarii 1850 §. ***Nemo. Quare*** Benedictus XIV. in saepe laudata Constitutione §. 18 docuit: ***u aliorum pariter exceptio fuif,*** ***quod Missa conventualis non semper a Canonicis, aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficialis et Mansionariis quos minus aequum videtur pro Missae celebratione omni eleemosyna carere , quae unde desumi valeat ignoratur. Cui rei pariter consultum est demandando ut ea desumatur ex massa distributionum.*** » Cum enim Missa conventualis sit praecipua pars-divinorum officiorum, eleemosyna seu distributio pro eadem nonnisi ex massa distributionum desumenda erat: cum autem communis non sit in omnibus ecclesiis isthaec distributionum massa, consulto R. Pontifex ***generaliter*** edixit, ***ut ex massa distributionum desumer etur.***

Et ad rem adducebatur Resolutio in causa ***Lucana Missae conventualis*** diei 14 Martii 1750. In ea enim dubia quae sequuntur proposita sunt S. C. C, nimirum: I. «An Cappellani Beneficiati, » seu Mansionarii cathedralis Lucanae teneantur applicare pro » benefactoribus in genere Missas conventuales quas celebrant » per turnum in casu: et quatenus ***affirmative:*** II. « An iidem)) Beneficiati seu Mansionarii teneantur etiam pro non applicatis in casu:» III. « An ipsis Bencficiatis seu Mansionariis ultra » distributiones adsignatas omnibus de choro adstantibus eisdem » Missis conventualibus, debeatur eleemosyna pro dictarum Missarum conventualium applicatione: et quatenus ***affirmative:*** » IV. An haec eleemosyna sit detrahenda ***ex massa communi ei » propria Beneficiatorum seu Mansionariorum;*** seu potius ***ex massa***

i) distincta Canonicorum in casu. » Quibus S. Congregatio respondit: ad I. ***affirmative et amplius.*** Ad II. ***ad D. Secretarium eum SSmo.*** Ad III. ***affirmative et amplius.*** Ad IV. ***affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Hac exposita doctrina gradum faciebat Defensor ad repellendas difficultates, quae ex quibusdam Resolutionibus S. Congregationis C. oriri videbantur, scilicet ex ***Ferrarien.*** diei 18 Martii 1719; aiebat autem causam hanc confirmare doctrinam hactenus expositam. Namque in allegata ex adverso causa ***Ferrarien.*** licet ad secundum dubium S. Congregatio responderit: a Capitulo solvendam esse eleemosynam, ad tertium tamen dubium hisce verbis expressum : « an pro eleemosyna dictarum Missa-
v rum conventualium teneantur contribuere omnes constituen-
y> tes corpus Capituli, sive sint Sacerdotes, sive Diaconi, sive
» Subdiaconi, et sive participent, sive non participent de massa
v distributionum: » respondit: ad III. ***affirmative, sed ex massa distributionum.*** Idem respondit ad dubium VII. his verbis conceptum: «an eleemosyna desumenda sit ex massa distributionum,
» vel ex fructibus praebendae singulorum Canonicorum: » ad VII. ***esse desumendam ex massa distributionum.*** Agebatur enim de massa distributionum quae communis erat ; ideoque ex ea decernenda erat distributio pro Missa conventuali.

Multo minus obstare dicebatur resolutio edita in ***Auximana Missae Conventualis*** diei 16 Decembris 1820. In ea enim res erat de Beneficiatis, ***qui beneficia choralia in eadem ecclesia non obtinent,*** ut dicitur in ***folio*** eiusdem causae §. ***Ex his.*** Hinc mirum esse non debet si iidem Beneficiati nec ad celebrandam, nec ad applicandam Missam conventualem tenerentur.

Denique coronidis gratia Defensor adducebat causam ***Ianuen.*** diei 7 Septembris 1839 quam similem nostrae causae fuisse aiebat. Agebatur enim de Cappellanis, qui distinctos redditus habebant, contendentes se ad Missam applicandam non teneri, quia cappellanias absque hoc onere constituerat Gubernium : proposito autem dubio : « an et a quibus celebranda, et applicanda
v sit Missa conventualis in casu » S. C. respondit: ***affirmative in omnibus a Cappellanis de massa, exceptis diebus, in quibus Missa canitur et applicatur a Canonicis.*** Appellatione interposita, novaque habita audientia, ad dubium: « an sit standum, vel re-

cedendum a decisis in casu: » S. C. die 17 Decembris 1842 respondere censuit : ***praevia absolutione et condonatione super praeteritis omissionibus celebrata unica Missa cum cantu et integro adstante Capitulo ac Clero, facto verbo cum SSmo, in decisis; et Emus Archiepiscopus curet confici congruam massam distributionum pro Presbyteris de massa ex annuis libellis quadringentis monetae de tempore a Capitulo iampridem assignatis et aliis bonis et redditibus coetus eorumdem Presbyterorum ex qua desumatur eleemosyna pro Missis conventualibus.***

Hisce aliisque ampie disputatis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. «An sustineatur conventio diei 1 Martii 1760 in casu: » et quatenus ***negative***

II. » An, quae, et ex qua massa retribuenda sit Cappellanis D eleemosyna pro applicatione Missae conventualis in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii re discussa die 6 Maii 1865 respondere censuit:

Ad I. ***Negative.***

Ad II. ***Affirmative in taxa synodali ex massa congregationis Cappellanorum.***

Ex ns COLLIGES:

I. Non sustineri conventionem etiam assensu Episcopi initam permulandi sacrificiorum applicationem, non inde facta respectiva permutatione eleemosynarum.

II. Neque sustineri eamdem conventionem , quamvis aliquid interveniat, quod aequivalere videatur aequae eleemosynarum permutationi. Utrumque enim pactum, quod perpetuo ad instar legis foret servandum, speciem saltem quamdam natura sua redolet vel lucri captandi, vel temporalis utilitatis pretio aestimabilis.

III. Quin imo neque sustinendam esse perfectam applicationis et eleemosynarum permutationem, quae perpetuam obligationem inducat, si onera celebrationum realia et fixa permutanda conveniant paciscentes cum oneribus celebrationum personalibus et adventitiis.

IV. Haec enim permutatio, si ex alia ratione non improbantur, esset saltem vel ab ordine absona qui per obligationem quaeritur indueendus, vel ordinem induceret alicui vioktioni facile obnoxium.

V. Quare consuetudo eiusmodi conventioni cohaerens, etsi centenaria, non esset rationabilis reputanda ; proindeque destituta esset robore firmitatis.

VI. Colliges insuper Missam conventualem praecipuum obtinere locum inter munera choralia.

VII. Ad eam celebrandam cane»ndamque teneri qui reliquis choralibus officiis ratione choralis beneficii sunt addicti, sua quisque vice iuxta singulares consuetudines et peculiaria statuta»

VIII. Seiungi non posse celebrationem Missae conventualis ab applicatione eiusdem pro benefactoribus in genere, quae applicatio ex vetusto ecclesiastico more primo est repetenda.

IX. Quare sicut celebratio ita et applicatio est onus reale* choralibus beneficiis inhaerens, proindeque neque Canonicus celebrans neque Beneficiatus exigere absolute potest retributionem titulo eleemosynae pro eiusmodi celebrationibus.

X. Convenire, aequitate suadente, ut qui Missam conventualem canit retributionem peculiarem habeat, quae licet Missae eleemosyna appellari solet, est tamen potius pars quaedam distributionum quae officiis choralibus sunt adsignatae (1).

(I) In causa *BurgiS. Donnini Missae conventualis* diei 16 Maii 1716, Episcopus in collegiata iam erecta ab anno 1601, occasione sacrae Visitationis applicari decrevit pro benefactoribus Missam conventualem a Dignitatibus, Canonicis et Vicario quibus ea Collegiata constabat, et pro illius distributione persolvi iulium unum a Thesaurario Capituli ex redditibus Mensae capitularibus qui superessent ordinariis oneribus dimissis. Contendentibus autem Canonicis non deberi eleemosynam pro Missa conventuali, utpotequae onus est Praebendis adnexum; dubium inter alta tertio loco his verbis tuit propositum - « An dignitatibus, Canonicis, et Vicario Perpetuo debita sit «eleemosyna unius iulii pro qualibet » Missa conventuali ultra emolumenta » Praebendarum et Vicariae respective.» Cui dubio S. Congregatio respondit : *affirmative per modum distributionis.* Cu* consonat paragraphus 18 supra relata Constitutionis: *Cum semper ablatas,* qua consulitur aliquo modo detrimento quod obveniret (habita ratione tenuitatis. Praebendarum) Beneficialis, et Mansionariis si nihil peculiare perciperent ob applicationem Missae conventualis. Ne scilicet omni eleemosyna his diebus Beneficiati careant, ea statuitur desumenda ex *massa distributionum.*

XI. Ex quibus pariter consequitur collegia distincta quae ad unum chorale corpus pertinent ex suis distinctis redditibus memoratam retributionem decerpere ***regulariter*** debere, vel ex communibus, si distincti non sint distributionum redditus servata quantitate ex consuetudine, vel ex peculiari lege constituta **(1).**

MISSAE PRO POPULO QUOAD DISPENSATIONEM VEL REDUCTIONEM.

***Die* 18 *Februarii* 1865.**

Sommaria precum. Episcopus N. Sanctissimo Domino Nostro exposuit: amplissimas esse parochias in sua dioecesi, in quibus Protestantes commixtim habitant cum catholicis: sufficientes non haberi Sacerdotes praeficiendos parochiis seu filialibus parochiarum ecclesiis : e contra multa haberi Missarum onera sive fixa, sive adventitia; sermonem autem ita prosequebatur: « In his parochiis tam copiosis plurimae existunt Missae funda- -» tae; praeterea pro quolibet defuncto adulto tres post diem » obitus Missae plerumque celebrantur. Pro pauperibus defun- -» ctis ab omnibus Parochis vi observantiae dioecesanae nonnisi •» difficillime relaxandae, una saltem Missa gratis celebranda est. v Alii parochiani, qui pro parentibus aliisque cognatis Missas » fundare nequeunt, in die obitus anniversaria Missas celebrari » desiderant; item et pro defunctis parvulis Missas sic dictas » Angelorum, aeque ac pro omnibus fidelibus defunctis, et in » aliis animae et corporis necessitatibus, et quidem in propria D ecclesia , ut sacrificio Missae adesse queant ; et magno certe D afficerentur dolore parochiani, si pio huic desiderio Parochi *v* satisfacere non possent. His accedunt Missae pro sponsis ce- » lebrandae. In omnibus fere parochiis existunt piae Sodalitates

(i) Quamnam normam sequuta sit S. Congregatio Concilii circa novas Ca- f>itutorum erectiones in re de qua agimus, erui potest ex causa *Missae conventualis* diei 28 Ianuarii I8fi5, quae relata est *pag.* 21 *et seqq.*

» cum plurimis Missarum fundationibus, aliaeque piae Congre-
» gationes, quarum sodales collectis eleemosynis sacra tam pro
» vivis quam pro defunctis peragenda expostulant, quae aliaque
» sacra si Parochus per alium Sacerdotem in aliena ecclesia
» celebrari curaret, facillime incurreret suspicionem neglecti of-
» ficii. Insuper in dioecesi singularis existit societas Sacerdotum
» sub nomine Pacti Mariani, cui omnes dioecesis Sacerdotes cum
» pluribus laicis adscripti sunt, qui pro singulis sodalibus de-
» functis tenentur Missam celebrare vel celebrare facere.

» His omnibus accedit, quod pluribus Parochis, ob penuriam
» Sacerdotum, etiam vicinarum parochiarum vacantium cura (et
«saepius quidem per plures annos) debeat commendari; quo»
» fit, ut cumulatis Missarum oneribus satisfacere omnino neque-
» ant. Quod si Parochus, auxilio Sacellani saepissime destitutus
» longiori tempore aegrotat, Missae fundatae, ut alias praeter-
» mittam , nimium retardantur, quod iamiam in aliis pluribus
» accidit parochiis copiosis, uno tantum Sacerdote gaudentibus,
» quod certe fideles nonnisi aegerrime ferunt. »

Ob eiusmodi Missarum celebrandarum ingentem numerum et Sacerdotum defectum idem Episcopus enarrabat, viginti saltem Parochos adesse qui nullimode, pluresque alios qui saltem non plene satisfacere poterant obligationi applicandi Missam pro populo diebus festis qui reducti, vel suppressi dicuntur. Quare rogabat huius obligationis remissionem , quae obligatio dicebatur inducta per Literas encyclicas SSmi D. N. diei 3 Maii 1858 quae incipit: ***Amantissimi Redemptoris.***

EA QUAE EX OFFICIO ADDUCEBANTUR. —Parochos, aliosque omnes curam animarum actu exercentes divino praecepto teneri pro ovibus sibi commissis novae legis Sacrificium offerre, aperte docuerunt Tridentini Patres ***Sess.*** 22 ***cap.*** 1 ***de Reform.,*** ita ut Missae pro populo applicatio recenseri mereatur inter pastoralia munera, quae Parocho ratione officii incumbunt, Innocentius XII. **in** ***fionst. diei*** 24 ***Aprii.*** 1699: eaque locum habere debet tam **in** omnibus Dominicis, quam in aliis solemnioribus festis iuxta notissimam ***Constitut.*** Benedicti XIV. » ***Curii semper oblatas,*** et quidem etsi tenues sint Paroeciae redditus, Sac. Cong. **in** Fc- ***ventina*** 26 ***Martii*** 1735 et in ***Vivaequen. 7 Maii*** 1808. Haec autem omnia firma manent non modo pro iis diebus festis*

qui adhuc a populo servantur, sed etiam pro festis diebus iam suppressis. Summi enim Pontifices, qui christianam plebem ab onere audiendi sacrum illis diebus liberam reddiderunt, non exonerarunt Parochos ab obligatione Missam applicandi pro populo, sicuti elucet ex pluribus huius Sacrae Congregationis declarationibus, ex ipsa Benedicti XIV. ***Constit, num.*** 7., et ex praelaudatis Literis Encyclicis diei 3 Maii 1858 SSmi D. Nostri cuius initium: ***Amantissimi Redemptoris,*** quibus non novum aliquod onus imponitur, sed rursus tantum praecipitur et declaratur, omnino observandam esse veterem obligationem, contra quam nulla ***quamvis antiqua seu etiam immemorabilis consuetudo*** adduci efficaciter posset, iuxt. ***cit. Constit. Benedict. num.*** 5.

Verum haud esse dubitandum, subiungebatur, quod magna occurente exiguitate reddituum parochialium in peculiaribus casibus pro re ac tempore aliqua praefatae obligationis remissio Parochis tribuatur. In casu tamen agi non videbatur de absoluta reddituum exiguitate, sed de Sacerdotum potius penuria, ex quo fiebat ut unus Parochus par non esset satisfacendo oneribus Missarum sive quae ex perpetuis legatis, sive quae ex fidelium oblationibus in dies provenirent.

Utrum autem id legitimam causam exhiberet relaxandi obligationem , iudicandum erat ab Emis Patribus qui sequens dederunt responsum.

RESPONSIO. — Emi Patres re exposita ***per summaria precum*** in generalibus comitiis diei 18 Februarii 1865 respondere censuerunt: ***negative, et ad mentem*** (1).

Ex ns COLLIGES.

I. In festis diebus qui suppressi dicuntur, relaxari, necessitate suadente, quasdam obligationes favore dumtaxat christiani populi: omnia proinde ecclesiastica officia , quae cum remissis obligationibus cohaerere et per se existere possunt, sarta tectaque manere.

(I) **Mens S. Congregationis fuit, ut concederetur Episcopo facultas ad septennium celebrare faciendi Missas provenientes ex fundationibus perpetuis etiam extra dioecesim** ***iuxta formam.***

II. Applicationem Missae pro populo inter ecclesiastica ct pastoralia munera recenseri quae independenter a praesentia plebis peragi possunt, ideoque eiusmodi obligationem festis diebus qui suppressi dici solent, nullimode in Parochis caeterisque cessare.

III. Quare non est reputanda nova obligatio ea, de qua «ermo est in celebri encyclica: ***Amantissimi..,*** sed potius declaratio obligationis **(1).**

IV. Colliges insuper non esse causam legitimam relaxandi dictam obligationem, copiosum Missarum numerum qui ex Sacerdotum deficientia impleri non potest.

V. Gravis enim obligatio applicandi Missam pro Populo ex iure divino descendens, quae urget Parochos ratione pastoralis officii ipsis ab Ecclesia commissi, non est facile relaxanda **(2);** maxime cum non desint alia media satisfaciendi caeteris obligationibus.

VI. In expositis in casu adiunctis opportunum iudicatum fuisse extraordinarium medium obtinendi scilicet facultatem ab Apostolica Sede celebrare faciendi Missas provenientes ex fundationibus perpetuis etiam extra dioecesim (3).

(1) Videsis affinem quaestionem in «ausa *Servitii Chori* diei 21 Martii 1863 *Votum. I. pag.* 599 *et seqq. coli. cum •adnot. Z pag.* 12 *eiusdem Votum.*

(2) Videsis celebrem quaestionem resolutam in S. C. de Propaganda Fide, quae refertur in *Velum. 1. pag.* 389 *et seqq.*

(3) Dixi medium extraordinarium. Nam in Decreto: *Cum saepe* confirmato ob Urbano VIII. et Innocentio XII. §. 9 haec statuta sunt: *Eleemosynas vero manuales et quotidianas pro Missis celebrandis, ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere valeant: alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, et capsulas auferant ab ecclesia cum inscriptione illa:* Eleemosyna pro Missis, *vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto incurrendis ne fideles hac ratione frustrentur.*

Proposito deinde dubio, quod in eodem generali Decreto refertur §. *Undecimo:* « Quaeritur an hoc decretum prohibeat absolute quominus accipiant » novas eleemosynas ii, qui acceptis non » satisfecerunt, et quid si congruo tem» pore possint omnibus satisfacere? » Cui responsum fuit: *non prohibere absolute: ac propterea etsi oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova etiam onera suscipere Missarum celebrandarum , dummodo infra modicum tempus possint omnibus satisfacere.*

€um autem verba illa *infra modicum tempus* nimis extenderentur, iterum S. Cong. Concilii sic tempus determinavit die 17 Iulii i6o5: « *Cum in declaratione undecimi impressa super Decre-*

IURISPATRONATUS,

Die 10 *Iunii* 1865, *et* 8 *Iulii* 1866 *Sess.* 25 *c.* i cfe *He for.*

Compendium facti. In ecclesia receptitia N. in Italia vacavit Archipresbyteralis Praebenda cui cura animarum est adnexa. Absente interim Episcopo, eoque deinde vita functo, praepositus fuit animarum regimini tamquam oeconomus Iosephus Regularis saecularizatus, qui scilicet ex Apostolica venia regularem Ordinem deseruerat, atque inter clericos eiusdem ecclesiae receptitiae N. fuerat cooptatus cum facultate consequendi ***unum tantum beneficium ecclesiasticum etiam cum cura animarum.***

Cum autem Iosephus per biennium ut oeconomus vacantem paroeciam rexisset, Vicarius, instante etiam Municipio, edicta affixit, invitavitque, quotquot ad vacantem Praebendam obtinendam adspirarent, ut facto periculo iuxta morem coram Examinatoribus ille, qui magis idoneus reperietur, Praebendam archipresbyteralem consequi posset.

iis de celebratione Missarum celebrandarum permittatur receptio aliorum •onerum Missarum celebrandarum, dummodo infra modicum tempus possit omnibus satisfieri; hodie nonnulli Superiores Regulares pro conscientiarum ut inquiunt quiete, denuo quaerant : an •dictum modicum tempus celebrandi Missas reputetur tempus duorum vel trium mensium f Sacra Congr. etc. respondit: *modicum tempus intelligi mensem »* Lib. 19 Decret, pag. 409.

Verum hoc Decretum in precibus ab £piscopo expressis non videtur congruum locum habere potuisse. Agebatur •enim de superabundanti Missarum celebrandarum numero, quibus satisfieri non poterat ex deficentia Sacerdotum; qui iusuper Sacerdotes ratione munerum quae obibant, non sine catholicorum admiratione et dolore potuissent oblatas manuales eleemosynas declinare; neque catholicis copia Sacerdotum suppetebat, quibus favore sui vel defunctorum Missas litandas committerent etc. Quare ne fideles frustrarentur, unicum supererat medium obtinendi facultatem ab Apostolica Sede celebrare faciendi *ubique* Missas provenientes ex fixis oneribus.

Haec facultas implorari debet a Supremo Pontifice, qui solus derogare potest peculiaribus legibus a Fundatoribus impositis, qui Missas celebrandas reliquerunt in determinatis ecclesiis, vel altaribus : quin imo etiamsi speciales leges non explicite adiecerint in eiusmodi fundationibus; tamen in illa potius ecclesia: *Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus eleemosynas confert, aut in qua, quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota ;* ut ait Benedictus XIV. in *Const. Quanta cura,* diei 30 Iunii 1741.

At vero Iosephus dumtaxat, praesens scilicet oeconomus» nomen pro experimento dedisse dicebatur, quo peracto perquam, idoneus fuit repertus. Cum autem praeterlapso esset canonicus, terminus ad conferendam paroeciam, Vicarius capitularis a Sede Apostolica suis literis facultatem implorabat, ut in possessionem Praebendae vacantis immittere posset memoratum Iosephum.

Interea Clerus eiusdem ecclesiae receptitiae reclamavit ob duplicem praesertim rationem, tum quia sibi spectare contendebat ius praesentandi ad archipresbyteralem Praebendam, tum quia ipsum utpote Regularem eamdem assequi non posse asserebat. Nonnulla interea contigerunt, quae nec ad praesentem quaestionem faciunt, nec sunt digna memoria.

Duae itaque quaestiones in disputationem venerunt, una nimirum super iuspatronatus, altera vero super canonica electione Iosephi.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE FAVORE CLERI ECCLESIAE N. ADDUCEBANTUR.——**ClerUS** ad sibi vindicandum ius praesentandi Archipresbyterum, quoddam documentum adducebat anni 1585, in quo ad rem nostram haec continentur: « Supplicamus Illmo et Revmo Episcopo, ut indulgere dignetur, ne unquam Vicarius Foraneus alius sit ab Archipresbytero, ne lites et dissentiones ob harum dignitatum diversitatem in Capitulo oriantur, et ***ut dictus Archipresbyter sit de gremio Capituli inter eos*** (canonicos) ***eligendus iuxta antiquam consuetudinem Capituli eiusdem,*** confirmandus a Revmo Episcopo, et ita, ut creatus amoveri non possit, excepto casu gravis delicti, seu legitimae causae; nec possit alia Dignitas constitui in eadem ecclesia et Clero, excepto memorato Archipresbytero, illo modo ut supra. » Post haec in eodem documento Episcopi illius temporis rescriptum his verbis legebatur: « ***Quibus capitibus visis ac perlectis odia litium fugientes, et ne totus grex sine Pastore diu esset, inclinantes benigniter subscribimus, ratificamus et de novo concedimus ac nostro consueto ipso sigillo munimus.)>***

Ex hoc itaque documento arguebat Cleri Defensor possessionem plus quam centenariam huius patronatus iuris, ita ut etsi ignoraretur legitimus eiusdem titulus, hic tamen praesumi deberet; maxime cum documentum adductum ostenderet, ut De-

fensor ipse aiebat, iuspatronatus haud fuisse tunc primo concessum, sed iamdudum existens, per illud documentum fuerit confirmatum, prout ostendunt verba illa: ***iuxta antiquam consuetudinem Capituli eiusdem.*** Haec enim verba praeseferunt observantiam cuius origo latet in antiquitate. Nemo porro ignorat immemorabilem huiusmodi observantiam, non solum excusare ab originario titulo proferendo, sed etiam praesumptionem inducere pro quovis titulo de mundo meliori ut Iuristae communiter loquuntur.

Quod si et ipse iurispatronatus titulus in casu exquireretur, non immerito constitui posse dicebatur in ipso documento adducta anni 1585: Praeseferre enim videbatur transactionis speciem inter Clerum et Episcopum initae , ***odia lilium fugientes.*** Iamvero explorati iuris est, transactionem exceptionem parere litis finitae, eamdemque vim habere rei iudicatae; ideoque etiam successores obligare, eo quod correspectivum, et onerosum titulum praebeat.

Sed praeter violationem iurispatronatus sustineri insuper non posse Cleri Defensor contendebat acta concursus. Non enim formam a Concilio Tridentino et Constitutione S. Pii V. ***In conferendis ,*** servatam fuisse affirmabat : namque aiebat neque indictum , neque habitum fuisse concursum, sed per privatum examen Iosephum fuisse electum.

EA QUAE EIDEM CLERO ADVERSABANTUR. — Contra ea, quae per Cleri Defensorem ampie adducta, indicavimus, plura ***ex officio*** advertebantur. Namque cum agatur de iure patronatus quod quamdam servitutem inducit, eidem Clero tamquam actori onus incumbebat illud ius concludentissime demonstrandi. In iure enim quodlibet beneficium praesumitur liberae collationis, prout communiter tradunt Auctores. Iamvero asserta Cleri patronalia iura ostendi non videbantur per adductum documentum. Omissa enim quaestione de eius authentia quae a Vicario Capitulari in dubium ponebatur, illud accedebat, quod ipsum documentum haberi non poterat neque tamquam originarius titulus acquisitionis dicti iurispatronatus, neque tamquam testimonium antiquae possessionis. Nam etsi iuspatronatus acquiri possit privilegio Summi Pontificis, qui ex plenitudine potestatis de omnibus beneficiis disponere valet, ***Cap. licet*** 2 ***de Praebend. in*** 6; non potest tamen illud acquiri ex privilegio ab Episcopo con-

«

cesso, ***Cap. Hoc consult, de Reb. eccles, non alien.*** Garcias ***de Benef, p.*** 5 c. 9 ***n.*** 128 aliique communiter. Quare etiamsi ab Episcopo tunc temporis iuspatronatus concessum fuisset, cum hac potestate Episcopus sit destitutus, nullius momenti esset facta concessio, et observantia inde orta.

Quod si illud documentum proferretur tamquam testimonium possessionis controversi iuris, iuvare Clerum non poterat, nisi ostenderetur eadem possessio ad praesentia usque tempora perdurasse. Quemadmodum enim reliquae servitutes, ita et iuspatronatus, licet antea legitime acquisitum, amittitur per non usum tongissimo vel longo tempore, quod satis sit in hac re ad praescribendum. Tradunt autem Auctores si intra longum temporis intervallum duabus vicibus ecclesiae Rector fuerit institutus absque praesentatione a Patronis facta, ius praesentandi praescribi, nisi Patroni ostendant se fuisse legitime impeditos. Porro in praesenti themate etsi a Clero assererejur per plura saecula continuata possessio dicti iuris, nulla tamen legitima adducebatur eiusdem possessionis probatio. Quin imo in contrarium quaedam ad* ducebantur praesentis et elapsi saeculi documenta, Praebendae archipresbyteralis collationem per concursum factam respicientia, quae nullatenus mentionem faciebant neque de iure patronatus neque de praesentatione a Capitulo facta. Quare neque in petitorio neque in possessorio, existentia iurispatronatus prout oportebat ostendebatur.

EA QUAE ADVERSABANTUR ELECTIONI PER VICARIUM CAPITULAREM PERACTAE.—Plura insuper animadversa sunt ea? ***officio*** quae contra electionem factam militabant. Quamvis enim Capitulum sede episcopali vacantem universam episcopi iurisdictionem succedere censeatur, id tamen iuxta sacros canones intelligitur de iurisdictione quae necessaria censetur ad dioecesis gubernium, non vero de voluntaria. Hinc Capitulum, seu Vicarius Capitularis in quem iurisdictionis exercitium transferri debet, beneficia illa, quorum collatio ad solum Episcopum pertinet, conferre omnino prohibetur, ***Cap.*** 2 ***Ne sed. vae.*** Iure quidem Decretalium olim eiusmodi beneficia vacantia a futuro Episcopo conferenda erant, postea vero eorum collatio Apostolicae Sedi reservata est iuxta Regulam II. Cancellariae, et Constitutionem S. Pii V. quae incipit ***Sanctissimus*** diei **9** Mar-

tii 1568 **(1).** Quapropter beneficia omnia quae ad liberam Episcopi collationem spectabant, sede episcopali vacante, nonnisi a Romano Pontifice conferri possunt, ceu unanimi suffragio docent Girald. ***Eccposit. iur. pontif. t.*** 1 ***pag.*** 277 ***sect.*** 428 Pieiffenst. ***lib.*** 3 g. 2 ***n.*** 30, Pirrhing. ***lib.*** 3 ***lit.*** 9 §. 2 ***n.*** 9 Rigantius ***ad Reg. H. Cariceli*** §. 3 ***nn.*** 48 143 ***et*** 145, aliique.

At dubitatum fuisse advertebatur, an allegatae iuris praescriptiones locum etiam haberent circa ea beneficia quae vacarunt sede adhuc plena, et vacantia ab Episcopo decessore relicta fuerunt, ut in casu praesenti contigerat. Plures enim Auctores negativam sententiam sunt sequuti, eamque sibi magis arridere affirmat Rigantius ***loc. cit.,*** eo quia reservatio cum sit odiosa, limitari debet ad casum in lege expressum, scilicet ad beneficia, quae proprio destituantur Rectore, sede episcopali vacante. Contrariam tamen sententiam tuetur Garcias ***de benef, par.*** 5 c. ***in.*** 634 ***et seq.*** Tondut. ***Resol. de benef. part.*** 2 c. 3 g. 5 ***n.*** 28 ***et seq.,*** eamque esse usu receptam, et in praxi servari monet idem Rigantius ***loc. cit.*** Quare in praesenti casu si ad Episcopi collationem archipresbyteralis Praebenda pertinere definiebatur secundum receptam in praxi sententiam, deesse Vicario capitulari videbatur facultas eam conferendi.

Sed praeter eiusmodi reservationem, et alii aderant defectus ob quos cessavisset etiam ius conferendi dictam Praebendam. Elapso enim tempore a iure definito is ad quem primo loco collatio pertinet ex negligentia ius amittit beneficium conferendi, iuxta ***Cap.*** 3, 4 ***et*** 5 ***de suppl. negl. Praelat, in*** 6. Quin imo sex mensium termino elapso, cum de parochialibus ecclesiis agitur, carum collatio Sedi Apostolicae est specialiter reservata ex Const. S. Pii V. ***In conferendis,*** diei 15 Aprilis 1567 (2).

Insuper cum in iure certum sit irrita esse acta concursus, in paroeciis conferendis, quae non fiant coram Examinatoribus synodalibus, idest vel in synodo electis vel ex facultatibus S. Con-

fi) **Regula.quae hodie secunda est inter Regulas Cancellariae, originem ex parte repetit ex citata Constitutione S. Pii V. Haec enim reservatio beneficiorum quae vacant post Episcoporum obitum, ante dictam Constitutionem Sancti Pontificis cognita penes veteres Auctores non erat» prout colligi potest ex Barbosa *de off. et potest. Episcopi par. III. alleg.* 57 *n.* 35.**

(2) Videsis similem causam quam retulimus pag. 67.

gregationis Concilii, ceu docet Fagnanus in ***Cap. Cum sit. de Aetate et qualit. n.*** 54, ***et*** Benedict. XIV. ***de Syn. I.*** 4 ***c.*** *7* §. 8 ***et*** 9: ambigi etiam posse videbatur an prosynodalium Examinatorum facultas ad sex menses a S. C. concessa expiraverit: namque ex actis concursus eruebatur Examinatorum iudicium emissum fuisse ultima semestris die.

Iosephus suam defensionem per Causidicum suscepit, quae eo praesertim dirigebatur, ut excluderet iuspatronatus a Capitulo, de qua quaestione satis iam loquuti sumus.

Dubia.

I. «An constet de iuspatronatus favore Cleri (N.) quoad » Archipresbyteratum in casu. »

II. « An et quomodo sustineatur electio (Iosephi) ad Archipre- ***y>*** sbyteratum ita ut eidem danda sit institutio in casu. »

RESOLUTIO.—S. Congregatio Concilii die 8 Iulii 1866 causa discussa respondere censuit:

Ad I. ***Negative et amplius.***

Ad II. ***Negative in omnibus et collationem spectare ad S. Sedem.***

Ex DICTIS COLLIGES:

I. Sicuti legitima patronatuum iura tollere aequum non est, sic etiam ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem redigantur non esse permittendum (1).

II. Episcopali auctoritate non posse induci in beneficiis ecclesiasticis conferendis servitutem quamlibet quae liberae collationi opponatur.

III. Beneficia vacantia sede episcopali vacante reservata esse Apostolicae Sedi iuxta Regulam secundam Cancellariae, cuius

(i) Memoria sunt digna verba Concilii Tridentini sess. 25 de Ref. c. 9 quibus indicatur etiam modus quo iuspatronatus probari debeat; verba autem sunt eiusmodi : « ***Sicuti legitima patronatuum iura tollei'e, piasquefidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est, sic etiam ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum. Ut igitur debita in omnibus ratio observetur, decernit Sancta Synodus, ut titulus iurispatronatus sit ex fundatione, vel dotatione qui ex authentico documento, et aliis iuris requisitis ostendatur; sive etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum iuris dispositionem.»***

vi (ubi ea viget) reservata etiam censentur beneficia sede plena vacantia, quae talia manserunt sede episcopali postea vacante.

IV. Elapso sex mensium spatio in paroeciis liberae Collationis eas S. Sedi esse specialiter reservatas iuxta celebrem Constitutionem S. Pii V. ***In conferendis.***

Y. In praesenti casu praecisione facta a qualibet reservatione non videtur sustineri potuisse electio Iosephi, qui licet apprime idoneus ob scientiam et caetera merita fuerit ab Examinatoribus renunciatus; tamen utpote Regularis habilis ex indulto factus non fuerat ad consequendam Dignitatem, sed dumtaxat ***beneficium etiam cum cura animarum*** **(1).**

ONERUM CAPITULARIUM.

***Die* 1 *Aprilis* 1865.**

SMmBBsapia precum. Canonicus insignis collegiatae ecclesiae oppidi N. supplicem obtulit libellum SSmo Patri, quo exponebat, Capitulum praeter Missam conventualem teneri alias Missas celebrare non vero applicare, inter quas recensetur Missa singulis festis diebus celebranda in parva quadam ecclesia, quae antiquitus parochialis erat. Has obligationes Canonici, quisque sua vice, implere debent : qui negligit nomine ***punctalurae*** muletatur. Quare idem Canonicus postulabat ut ab eiusmodi punctatura illi eximerentur, qui propter infirmitatem dictae obligationi satisfacere nequirent.

(1) In praesenti casu praecisione etiam iacta a iure reservationis, neque sustineri forsan potuisset electio Iosephi quamvis caeteroquin idoneus ob scientiam et caetera merita. Ipse enim utpote Regularis habilis non erat ad beneficia ecclesiastica consequenda; ex indulto habilis dumtaxat factus fuerat ad consequendum *unum tantum beneficium ecclesiasticum etiam cum cura animarum.* Porro heic age~batur non solum de beneficio curato, sed de *Dignitate capitulari* cui adnexa erat animarum cura, cuiusmodi est Archipresbyteratus de quo loquimur; adeo ut Archipresbyter non solum paroeciae praesset, sed etiam collegiatae ecclesiae iuxta ecclesiae eiusdem consuetudines.

Precibus ad S. C. C. remissis, auditus fuit Vicarius capitularis (Sedes enim proprio Pastore destituta erat) qui retulit actum capitularem dictae collegiatae ecclesiae, quo Canonici caeteri refragabantur expositae petitioni, ea praecipue de causa, quia punctaturae supradictae duorum saeculorum observantiae innitebatur: neque insuper in praesentia aliquid in hac re innovandum censebant ob Sedem episcopalem vacantem.

Consilium Canonicorum laudavit Vioarius capitularis eorumdemque voto adhaesit. Cum autem memoratum Capitulum, neglectis praescriptionibus episcopalibus, nunquam constitutionem capitulares elucubra veri t, Vicarius laudatus opportunum putabat praesenti occasione a S. C. praecipiendum esse, ut dictas-constitutiones Capitulum conficeret ad firmandum ordinem quo* quisque suis muneribus sine disceptatione fungeretur.

EA QUAE EX OFFICIO OBSERVABANTUR. — Generalia principia ***ex officio*** adducebantur quae post textum ***Cum percussio, de Cleric. aegrot.,*** et post Constitut. Bonifacii VIII. ***Consuetudinem,.. de Cleric. non resid. in*** 6 innova tam a Concilio Trid. ***sess.*** 24 c. **12** ***de Ref.,*** tradunt Auctores Reiffenst. ***L.*** 3 ***tit.*** 6, Barbosa ***eodem tit. n.*** 3 c. 1, Clericos nimirum qui infirmitate prohibentur quominus propriis muneribus fungantur, non solum fructus beneficii suos facere, sed etiam distributiones acquirere, etiamsi sua; culpa in morbum inciderint. Quam doctrinam sequuta est S. Congregatio, Benedictus XIV ***Inst. eccl.*** 107.

E contra observabatur, consuetudinem duorum saeculorum observantia firmatam tanti roboris in re de qua agimus esse, ut contrarium inducat, Reiff. ***loc. cit.*** et Consuetudines in aliqua; ecclesia introductas, ut Canonici infirmi fructus tantum suae Praebendae, non vero distributiones quotidianas percipiant, si legitime praescriptae sint, tollere Constitutionem ceu refert Garciasjpar. 3 ***de Benef. t.*** 2 ***n.*** 361, fuisse decisum a S. C. C. Eiusmodi autem consuetudo iuxta eumdem Garciam inducitur spatio 40 annorum. Quam doctrinam tenuit S. C. C. ut in ***Savonen.*** diei 18 Decembris 1745 in qua proposito dubio: « An Ca-
» nonicus Picconi tempore infirmitatis participare valeat de omni-
» bus distributionibus tam ordinariis, quam extraordinariis, ac
» quibuscumque aliis emolumentis et obventionibus, prout par-
li ticipant caeteri Canonici interessentes in casu. » S. C. respon-

dit: ***affirmative, exceptis iis, quae sive ex voluntate testatoris, sive ex statuto, et consuetudine ecclesiae debentur tantum actu interessentibus.***

Ad capitulares constitutiones quod attinet recolebatur, S. Congregationem iniungere solere ut, si eae desint, quamprimum conficiantur.

RESPONSIO. — S. Congregatio in comitiis habitis die 1 Aprilis 1865 precibus supra expositis respondere censuit: ***pro nunc standum esse consuetudini firma manente obligatione conficiendi quam primum constitutiones capitulares ad formam iuris.***

Ex ns COLLIGES:

I. S. Congregationem in causis iudicandis quae sibi deferuntur, sede episcopali vacante, innovationes non inducere quae opportunius fieri possunt sede plena.

II. Obligatione urgeri Capitula conficiendi proprias constitutiones, ad normam iuris, si eas non habeant **(1).**

III. Quamquam capitulares aegroti, qui bene valentes officiis choralibus diligenter inservierunt, aegritudinis tempore iure percipiant non solum beneficii fructus, sed et distributiones; nihilominus contrariam consuetudinem easdem non percipiendi, per se reprobandam non esse.

(i) Yid. Appendicem VII. et sequentem causam per *Summaria precum* **expositam.**

***Die* 28 *Iulii* 18fi6.**

§nmmaria precum. In Capitulo cathedralis ecclesiae N. hòc in more positum erat, ut ex fallentiis quibus infra annum obnoxii essent ii, qui choro non inserviebant, fieret cumulus, isque certis anni temporibus diligentes inter, atque negligentes nulla negligentiae habita ratione, divideretur. Hanc consuetudinem aegre ferentes nonnulli ex Capitularibus a S. Congregatione Concilii supplices petierunt, ut iubere dignaretur, in posterum, punctaturas dividendas esse ad normam iuris ita, ut muleta negligentium, praesentium in choro utilitati cederet.

Hac super re de more auditus fuit Episcopus, qui ut Apostolicus Administrator illi dioecesi praeest, simulque rogatus ut Capitulum in scriptis audiret ac particulam statutorum capitularium ad rem facientem transmitteret; quibus cumulate satis**fece** laudatus Antistes, et accurate enarrans singulas canonicatuum et beneficiorum fundationes earundemque onera indicatam consuetudinem testatus est.

Narravit praeterea, Canonicos in Capitulum coactos duos e proprio gremio elegisse, unum qui consuetudinem defenderet, alterum qui Supplicandum partes sustineret, hic tamen suo muneri satisfecit, non autem ille.

Ad particulam statutorum quod attinet referebat, ea quidem olim Capitulum habuisse, iisdem tamen modo carere.

EA QUAE IN DISPUTATIONEM DEDUCEBANTUR. — Quamvis rationabiles consuetudines vetustae magno in honore sint habendae, nihilominus in re praesenti Conc. Tridentinum ***sess.*** 24 c. 12 ***de Ref.*** edixit: ***Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant iuxta Bonifacii VIII. decretum quod incipit:*** Consuetudinem, ***quod Sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus.*** Contraria autem consuetudo reprobari advertebatur non solum quae praecessit, sed etiam potiori iure, ea quae vellet induci Card. De Luca. ***de Can. et Cap. disc.*** 33 ***n.*** 3 ***Adn. ad Triden. disc.*** 1 ***n.*** 16.

Ad rem autem allegabantur plures Resolutiones S. Congregationis Concilii quibus eiusmodi consuetudines dividendi inter diligentes et negligentes statis temporibus mulctas seu punctaturas negligentium reprobatae ac deletae sunt, inter quas recentissimae numerantur causae, ***Romana*** diei 22 Februarii 1862, in qua S. Congregatio dictam consuetudinem reprobans mandavit, ***ut divisio faltentiarum in posterum fiat ad tramites iuris et Resolutionum S. Congregationis:*** item ***Ianuen,*** diei 8 Augusti 1863 in qua ad dubium III. «An et quomodo sit sustinenda » consuetudo dividendi fallentias inter diligentes, et negligentes » in casu: » S. C. respondit: ad III. ***Negative in omnibus, et Archiepiscopus curet, ut divisio fallenliarum in posterum fiat ad tramites iuris et Resolutionum S. Congregationis*** (1). Item ***Aesina mr summaria precum*** proposita die 22 Decembris 1860.

(1) Fallentiae nimirum absentium regulariter aliis accrescere debent, qui sunt choro praesentes iuxta Trid. Concilium *cap.* 3 *sess.* 21, *et c.* 24 *sess,* 24 *de Aefor.* Sic in *Carpencloraten.* diei 2 Iunii 1731 *per summaria precum, Lib.* 18 *Decret pag.* 170, expositum fuerat,«quod «licet absentes diligenter punctentur, * fallentiae nihilominus quae ex prae- » scripto S. Concilii Tridentini inservien- » tibus accrescere debent, deponuntur, -» ut in fine anni fiat aequalis divisio in- » ter Canonicos. Sicque indiscriminatim » participant qui absentes, ut qui fuerunt » praesentes.» Proinde quaesitum est: «An » praxis dividendi aequaliter fallentias in j> fine anni sit tolleranda » cui responsum fuit : *negative.* Et magis ad rem nostram in causa *Asculana* diei 5 Iunii 1706 ad dubium V. his verbis conceptum: « An » distributiones non inserviente m possint «exponi in Massa communi et dividi ae- » qualiter, seu potius ad ratam servitii in » casu:» S.Congregatio censuit dividendas *sse ad ratam servitii, respondendo : *negative quoad primam partem, affirmare quoad secundam. Lib. Decret* 56 *fag.* 170.

Dixi *Regulariter* aliis,accrescere fallentias negligentium iuxta *c.* 12. *sess.* 24 Concilii Tridentini. Notum siquidem est in capite 8 *sess.* 22 eiusdem Concilii aliud praescribi; namque statuitur, distributiones a negligentibus amissas fabricae ecclesiae, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicandas esse. Eiusmodi Concilii Decreta occasionem dederunt interpretibus plura dicendi ut apparens oppositio tolleretur, at sententia praevaluit docens *in sess.* 22 sermonem esse de Dignitatibus aliisque qui redditus separatos a massa communi habent, vel de distributionibus extraordinariis et impropriis quae de redditibus particularibus dignitatum, personatuum, officiorum assignandae sunt pro implemento particularium onerum eisdem Dignitatibus iniunctorum; Angelus Lucidi in recentissimo opere *de Visit. SS. Liminum vol.* i. *pag.* *iG3. Hanc autem sententiam pro singularibus casuum adiunctis sequuta est S. C. C. Sic ut aliquod afferam exemplum in *Caurinen.* diei 7 Novembris 1621 cum adessent in ecclesia Caurinen. aliquae Dignitates quae habebant fructus distinctos a mensa capitulari, quorum certa

Iure autem S. C. tamquam corruptelam et abusum dictas consuetudines reprobasse quae fini legis opponuntur: namque distributiones constitutae sunt ut accuratius ex una parte cultui divino prospiceretur, ex altera parte poena negligentibus inungeretur; eiusmodi autem fini non satis fuisset consultum, si negligentes partem mulctatitiae pecuniae deinde perciperent, neque collusio a Concilio Trid. prohibita evitaretur.

Nonnullis praeterea animadversis circa consuetudinem quae nec immemorialis esse dicebatur, gradus factus est ad constitutiones capitulares. Porro in facto constabat ex actis S. Visitationis quae in archivio S. C. C. asservantur, pluries fuisse ab Episcopis decretum, ut dictae constitutiones a Capitulo conficerentur; sed, qua de causa ignoratur, confectae non fuerunt. Quin imo anno 1858 in nova relatione status ecclesiae, haec S. Congregatio Episcopo rescripserat: ***Cum Decessor tuus suis literis anno*** 1853 ***iam renuntiasset, se Capitulo cathedrali iussum fecisse ut sua sibi peculiaria statuta conderet, mirantur modo EE. Patres, quod nondum hoc opus ad suum finem adduxerit: itaque si rem diutius differat utere iure tuo, quod est ut ipsa statuta tuo marte conscias et Canonicis observanda praescribas.***

Hk$e aliisque S. C. ***per summaria precum*** propositis sequens datum est responsum.

IWPONSIO.—S. Congregatio die 28 Iulii 1866 re cognita respondere censuit: ***Consuetudinem de qua agitur non esse tolerandam, et punctaturas dividendus esse inter actu praesentes tantum ad tramites iuris. Quoad confectionem vero statutorum capitularium praedatur terminus trium mensium, quo inutiliter elapsa***

pars adsignata fuit distributionibus quotidianis iuxta dispositionem S. Concilii Tridentini *in cap.* 3 *sess-* 22 *de Reform.* propositum fuit dubium: « An huiusmodi » distributiones quae amittuntur ab iis, » qui competens servitium non praestite- » rint, necessario fabricae ecclesiae, quali tenus indigeat, an vero sit in facultate » Episcopi, stante etiam indigentia dictae » ecclesiae, illas alteri pio loco pro eius arbitrio applicare; » S. Cong. respondit: *has distributiones esse primo applicandas fabricae cathedralis ecclesiae, quatenus indigeat, et si non indigeat, tum demum esse in facultate Episcopi illas alteri pio loco suo arbitrio applicare, Lib.* 12 *Decr.fol.* 81 *a tergo.* Quae resolutio fuit iterum confirmata in *Caurinen.* diei 4 Iunii 1701 *Lib.* 51 *Decretor, pag.* 209 *et* 304. Item in *Spoletana* 8. Maii 1762, in *Pisana* 5 Decembris 1846- *in Asculana Criniolen.* 6 Martii 1847 * in *Romana* 18 Februarii 1865.

Episcopus eadem conficiat et Capitulo observanda iniungat transmissa earumdem copia S. Congregationi.

Ex HIS COLLIGES:

I. Distributiones praescriptas rationem peculiaris retributionis liabere ut choro addicti suis muneribus alacrius fungantur, poenaque negligentes mulctentur.

II. Mulctatitiam poecuniam , quae fallentia aut punctatura audit, ipso iure a negligentibus amitti, neque esse in potestate capitularium eam ipsis negligentibus indulgere seu remittere.

III. In earum fallentiarum reparatione proscriptam pariter a Concilio esse quamlibet collusionem ob quam scilicet negligentes videantur quidem poenam subire; in rei autem exitu vel nullam subeant, vel ex parte tantum.

IV. In reparatione fallentiarum, in qua negligentes etiam ad earumdem partem percipiendam demum advocantur, contineri quamdam collusionem, qua fini legis facile illuditur.

V. Regulariter fallentias absentium aliis actu praesentibus accrescere debere.

VI. Excipiendum esse generatim casum quo Canonicus redditus habeat distinctos et separatos a communi massa, quo casu fallentiae Fabricae ecclesiae, vel altari loco pio sunt erogandae ad normam iuris.

VII. Singula capitula suas constitutiones condere teneri easque Episcopo confirmandas tradere, quas si concinnare et scribere neglexerint, Episcopi est easdem conficere observandasque Capitulo tradere (1).

(i) Vid. Appendicem VII.

PENSIONIS,

***Die* 27 *Aprilis* 1866.**

Compendium facti. Aderant in Dioecesi N. in italia tres parochiales ecclesiae peramplis instructae redditibus, nempe una s. Christinae, altera s. Pauli, tertia s. Petri: at contra aderat etiam alia a s. Cruce nuncupata, cuius congrua tam exigua erat, tit scutata paulo plus quam viginti quotannis attingeret. Itaque Episcopus animadvertens hanc magnam reddituum disparitatem^ hoc iniit animo consilium anno 1840, ut Parochos trium illarum parochialium onere gravaret persolvendi quolibet anno pensionem memorato Parocho s. Crucis, scutatorum nempe viginti Parochum s. Christinae, scutat. vigintiquinque Parochum s. Pauli, scutat. decem Parochum s, Petri.

Istud itaque consilium hac sese ratione Episcopus ille ad actum recte perducere posse arbitratus est, videlicet ut in literis edicta-Ibus concursus, quibus competitores ad singulas, cum vacassent, ecclesias optandas invitabantur, de pensione memorata diserte numerentur; ut antequam iidem ad concursum admissi forent, obligationem in scriptis eiicerent, quibus pensionem illam sese absque contradictione soluturos esse explicite sponderent; ut denique in literis bullaribus, quibus unicuique parochia conferebatur, pensio ipsa claris verbis in utilitatem Parochi s. Crucis reservaretur. Haec porro ratio ad unguem omni ex parte, quotiescumque occasio se obtulit, servata est; quin imo tres iidem Parochi pluribus annis sine ulla querela Parocho s. Crucis pensionem, qua quisque premebatur, facillime pensitaverunt.

At vero anno 1863 parochus s. Christinae huic oneri subeundo sese proripere voluit : excipiebat enim ex censura Constitutionum Apostolicarum parochiales ecclesias pensionibus ab Episcopis nullatenus posse praegravari. Quoniam vero in irritum omnino cesserant monitiones et hortamenta per illum Epi-

scopum Parocho s. Christinae facta, ne Parocho s. Crucis consuetam pensitationem reddere ulterius abnueret, idem Episcopus confugium habuit ad S. C. Episcoporum ac Regularium, quae trium illarum pensionum impositionem auctoritatis suae fulcro-sustineret.

De more partes monitae sunt, ut suas Sacro Ordini deductiones offerrent. Iamvero Parochus s. Pauli, item et alius s. Petri scripto declararunt, nullo pacto sese obstare, quin solitam pensionem agnoscerent, et accurate in posterum, velut antea, persoluturos sese esse iterum adpromitterent. Non ita vero de Parocho s. Christinae factum est: is enim pensionem detrectare perstitit, suasque deductiones exhibuit, quibus iura sua mordicus persequebatur. Quae cum ita essent, S. C. controversiam in plenario Emorum Patrum auditorio disceptandam et definiendam proposuit.

l$iscei>tatlo synoptiea.

QUAE PRINCIPIA IN HAC DISCEPTATIONE PRAESTITUEBANTUR, — R P. Innocentius XII. die 11 Novembris anni 1692 edictum promulgari mandavit, quo vetabatur, ne in posterum parochiales ecclesiae, iis minime exceptis, quae iuspatronatus laicorum obnoxiae sunt, ullo pensionum Onere gravarentur, idque ab Ordinariis etiam in actu collationum per eos perficiendarum servari plane oportere praescripsit. Hoc ipsum edictum S. P. Benedictus XIII. suae Constitutioni incip. ***-Quanta pastoribus -*** mensis Septembris anni 1724 inseruit, solemniterque innovavit confirmavitque per haec verba: ***« Opportune providere volentes, ut antedictis animarum Pastoribus de caetero commodior suppetat modus, nedum suas parochiales ecclesias, quotiescumque oportuerit, reparandi, ornandi, sacrisque supellectilem ad Divinum cultum necessariis instruendi, sed eliam subveniendi pauperum, aliarumque miserabilium personarum praefatarum indigentiis ex eo quod honestae et congruae ipsorum sustentationi supererit, ac insuper ipsis incitamentum praebere cupientes, tit suscepti ministerii labores, et incommoda libentius perferant, et Gregi alacrius attendant, in quo positi sunt regere plebem Dei; motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione praeinsertum laudatissimi Prae-***

decessoris Edictum, omniaque, et singula in eo contenta amplissime confirmamus, et approbamus... et ab omnibus ad quos spectat... inconcusse observari volumus... Reservata tamen nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti facultate, ac autoritate imponendi antedictis parochialibus ecclesiis eas pensiones, quas beneficiorum proventus et locorum personarumque conditio imponi permiserint in favorem dumtaxat, et commodum fabricae earumdem ecclesiarum, ad hoc ut illae eiusmodi certo subsidio promptius reparari, opportune manuteneri, et congruis etiam ornamentis, ut praefertur, augeri possint et valeant. »

Hac itaque posita Apostolica dispositione nulla dubitatio superesse videbatur, quod stricto iure reservatio trium illarum pensionum favore Parochi s. Crucis nulla prorsus declaranda foret; quandoquidem auctoritas Apostolica, cuius vi ea reservatio tantummodo sustineri potuisset, nullo pacto intercesserit ; quemadmodum et ipse non diftitebatur Episcopus. Cum tamen tres Parochi in pensione subeunda consensum suum praebuissent, atque adeo onus illud reipsa agnovissent, et servassent, quaestio suboriebatur, an expediret, ut Apostolica Sedes Parochi s. Christinae dissensum posthaberet, eumdemque ad prosequendam pensionis illius solutionem adigeret.

QUAE FAVORE PAROCHI S. CHRISTINAE FACERE VIDEBANTUR. — Nemo nescit illud in more Sedis Apostolicae positum esse, ut in gratiis concedendis ius quaesitum alterius eadem nunquam laedere soleat. Iamvero si pensionem, de qua res est, firmam et ratam Pontifex haberet, apertissimam Parocho s. Christinae iniuriam faceret: illum siquidem ad pensionem persolvendam cogeret, quae, cum nulla per se ipso iure sit, parochiae redditus ipsi soli debitos decurtaret, et imminueret.

Perperam vero obiiceretur, ipsum Parochum et scripto et facto pensionem agnovisse, quasi thema ti aptari possit iuridicum adagium ***Regul.*** 21 ***in*** 6° « ***quod semel placuit amplius displicere non potest.))*** Nam in consensibus eliciendis, quorum effectus e beneplacito Apostolico pendet, recta ratio fert, ut quilibet, dum adhuc res integra sit, consensum suum valide ac licite revocare valeat. Iamvero consensus quem Parochus praestiterat, a gratiae impetratione pendebat, quam adhuc Apostolica Sedes non concesserat: se-

quitur igitur, ut consensus antea praestitus veluti nullus et irritus haberi debeat, atque adeo tamquam plane non praestitus.

Denique animadvertebatur, in constitutione Benedicti XIII. quae incip. « *Quanta pastoribus* » reservari quidem ius Apostolicae Sedi pensiones ecclesiis etiam parochialibus imponendi, hoc tamen expressis verbis limitari ad eos casus, quibus agatur de pensionibus ideo imponendis, ut ecclesiae ipsae, aliis remediis deficientibus, reparentur, vel congrua supellectili instruantur. Iamvero pensionem, de qua sermo erat, non in bonum ecclesiae ipsius, sed alterius ab ea plane diversae impositam fuisse quisque videre poterat. Quocirca pensionis impositionem nullo iure sustineri posse concludebatur.

QUID CONTRA RESPONDERETUR FAVORE PAROCHI S. CRUCIS. — Tametsi verum sit, quod Apostolica Sedes solemne habeat, ne quaesitum alterius ius unquam laedat, nihilominus hoc in loco illud principium adamussim accomodari non poterat. Agebatur enim de pensione, cuius aequitas et iustitia, si intrinsecus spectaretur, in dubium vocari non poterat: nam parochia s. Christinae amplis redditibus abundabat (quod et de aliis duabus parochiis s. Petri ac s. Pauli dicendum est); at contra parochia s. Crucis ita pauper -eiat, ut, si iis pensionibus privaretur, non haberet Episcopus, ob exiguos redditus quem illi parochiae praeficeret.

Neque vero Parochus s. Christinae eas, quas edebat, querimonias iure meritoque fundere posse videbatur: ipse siquidem non inconsiderate et ex improviso, sed consulto et plures per annos onus illud agnoverat, ac pacifice pertulerat. Siquod igitur illarum pensionum impositioni vitium suberat, in Apostolicae auctoritatis defectu tantummodo illud situm erat, quam proinde ex ***postfatto,*** ut aiunt, interponere Apostolica Sedes nullo iure prohibebatur: nam caeteroquin, ut paulo ante animadvertimus, opulentia ecclesiae s. Christinae, et gravissima paupertas parochiae s. Crucis canonicam causam evidentissime suppeditabat, cur ad exoratam sanationem concedendam meritissime facillimeque procederet.

Hisce itaque praelibatis in consultationem Emorum Patrum controversia vocata est.

Expositio dubii.

« An et quomodo supplicandum sit SSmo pro convalidandis » pensionibus impositis tam super parochiis s. Pauli et s. Petri,

«quam super parochia s. Christinae, non obstante oppositione » Parochi huius ultimae paroeciae in casu.»

RESPONSIO. — Die 27 Aprilis 1866 Emi Patres S. C. Epis. et Reg. re cognita rescripserunt: ***affirmative in omnibus.***

Ex us COLLIGES:

I. Pensiones absque Beneplacito Apostolico supra Praebendas parochiales nulliter imponi.

II. Apostolicam Sedem, ordinarie loquendo, permittere tantummodo, ut pensiones in iisdem imponantur ad hoc ut ipsae ecclesiae parochiales reparentur, aut sacra supellectili instruantur.

III. In praesenti autem casu S. Congregationem consulendum SSmum pro confirmatione impositae pensionis iudicasse , quod rei aequitas suadebat, longeque aberat Parochorum praeiudicium, qui iam pensioni solvendae ultro consenserint.

PRAESENTATIONIS ET INSTITUTIONIS.

Die 14 ***Martii*** 1865, ***et*** 1 ***Iunii*** 1866.

Compendium facti. Horatius Eques Hierosolymitanus oriundus ex civitate ac dioecesi A. in Italia superiori, a prima adolescentia domicilium ac sedem sua statuerat in civitate B. inferioris Italiae, ibique magnas divitias et opimum patrimonium sibi comparaverat. Antequam vita decederet, ^ suis bonis Canonicorum collegium in ecclesia civitatis B. iuxta sacros canonum praescriptum fundavit, sibique ac descendentibus fratrum suorum sive e masculis sive e foeminis, eorumdem Canonicatuum ius patronatus tam activum quam passivum reservavit: hisce vero lineis omni ex parte plane exarescentibus, ius patronatus activum transtulit in Syndacum municipalem civitatis A., ex qua ortum, sicuti diximus, idem duxerat; quod vero pertinet ad ius passivum, Sacerdotibus huius eiusdem civitatis addixerat.

Quoniam vero Horatius sub fide et clientela cuiusdam nobilissimae familiae e civitate domiciliaria B. vitam agebat, hanc peculiarem edixit legem, 1° ut Syndacus patronus nominationem Sacerdotis sui concivis diceret intra spatium haud quidem quatuor mensium, prout communiter sacri canones constituunt, bene vero intra mensium trium terminum; 2° ut nobilissimae familiae praelaudatae primogenitus ***pro tempore*** honorem haberet canonice praesentandi Sacerdotem a Syndaco nominatum Cardinali, qui amplissimum quoddam in Romana Curia munus obtinet; qui proinde Cardinalis Sacerdoti nominato canonicales Praebendas per canonicam institutionem conferret. Quod si trium mensium spatium Syndaco praestitutum inutiliter forte elaberetur, Dynastae primogenito dictae familiae liberam potestatem relinquebat, ut Sacerdotem quemlibet, dummodo necessariis et opportunis qualitatibus ad sacrorum canonum normam exornatum, Cardinali collatori praesentare valeret.

Die prima Octobris anni 1863 unus ex hisce Canonicatibus vaca vera t; cumque fratrum fundatoris descendeniia tam masculina quam foeminina penitus exaruisset, Syndacus patronus competitores mense Novembri publice invitavit, ut literas testimoniales , quibus qualitates a iure canonico et lege fundationis praescriptae, vulgo ***requisiti,*** ostenderetur, intra octo dierum spatium in aede municipali exhiberent. Itaque duo competitores utili tempore sese sistiterunt, videlicet ***primo*** Clericus debitis quidem aliis qualitatibus haud destitutus , sed e quodam oppido prope civitatem A., minime vero ex ipsa civitate punctim oriundus: ***subinde*** Sacerdos, qui vere in ipsa civitate A. ortum habuerat. At vero Syndacus, antequam trimestre spatium emensum fuisset, Clericum praedictum, posthabito Sacerdote, atque adeo ne mentionem quidem eius facta, ad vacantem canonicatum nominavit.

Sacerdos itaque repulsam passus post aliquot menses supplex adiit S. C. Ep. et Reg., ut Clerici nominationem per Syndacum emissam nullam et irritam declararet, simulque Dynastae, praesentandi ius obtinenti, auctoritatem faceret, ut sese Cardinali canonicalis Praebendae collatori, praesentare posset. Itaque S. C. ex instituto suo nedum partes ad Canonicatum adspirantes, sed et Syndacum (qui perpetuum usque ad causae exitum servavit

silentium) et Dynastam, et Cardinalem collatorem et Episcopum dioecesis A., in scriptis audiri mandavit. Dynasta simpliciter respondit non posse se ad praesentationem Sacerdotis illius devenire, eo quod ex praescripto sacrorum canonum dignus minime sibi videbatur : non pauca enim contra ipsum obiiciebantur. in huius sententiam descendebat Cardinalis institutor. Episcopus vero dioecesanus licet quosdam in memorato Sacerdote defectus minime dissimulare!, nihilominus non ita indignum sibi videri aiebat, ut a canonicatu assequendo repelli deberet.

Disceptatio syiioptiea.

QUAE A SACERDOTE IN IURE DISPUTABANTUR. — Pro tuendis Sacerdotis oratoris iuribus distinctio praestituebatur, quae intercedit inter vocationem passivam ***mediatemi,*** et alteram quae ***immediata*** vocatur. Vocatio passiva ***mediata*** tum locum habere dicitur, cum plures adsunt personae de genere vocatarum, quae aequali modo cunctas a Fundatore et iure canonico qualitates praeseferunt: quo quidem in casu Patrono activo liberum est eam ex iis personam prae aliis nominare, quae magis sibi visa fuerit; adeoque ad beneficium assequendum huiusmodi Patroni nominatio ac praesentatio omnino requiritur. Vocatio passiva ***immediata*** tum scilicet adesse dicitur, cum una tantum persona adest, in qua omnes a iure canonico et Fundatore praescriptae qualitates concurrunt. Hoc porro in casu Patronus activus personam hanc absolute nominare cogitur, quin ìiTQO per-, sona illa ab ipso fundatore, nullo quodammodo interposito medio, nominata intelligitur, et beneficium assequendi ius habet. Haec porro doctrina, quae communissima est inter canonici iuris interpretes, auctoritate fulciebatur Fargnae ***De iur. patr. p.*** 2 ***can.*** 1 ***et*** 2 ***eas.*** 9 ***n.*** 20 ***et seq.*** Pitonii ***De contr. patr. .Alleg.*** 7 ***n.*** 2 ***et*** 3 De Luca ***Disc.*** 45 ***n.*** 2 ***De Iur. patr.*** Rota in ***Hortana Ben.*** i ***Iunii*** 1708. §. ***hinc,*** Coram Priolo.

Cum itaque inter Sacerdotes civitatis A, in qua Fundator natus erat, unus tantummodo orator sese obtulisset, hinc pronum erat inferre , quod in eodem vocatio passiva immediata verificari dicenda foret: et caeteroquin Clericus a Syndaco nominatus uti nulliter nominatus declarandus erat, tum quod Sacerdotio carebat, tum quod ex civitate A., haud erat oriundus.

Sed et interim alia circumstantia supervenerat, quae eumdem Clericum a canonicatu prorsus arcebat. Dum enim haec agerentur, in patria Clerici adolescentium delectus expletus fuerat, qui ad militiam capessendam conscribebantur. Iamvero inter adolescentes, qui eum in finem conscripti fuerant, Clericus numerabatur: hinc factum fuerat, ut ecclesiasticam militiam plane desereret, insigni militari indutus inter milites stipendia mereretur, prouti ex irrefragabili testimoniali fide elucebat. Iamvero si simplex ingressus in militiam illud efficit, ut beneficia a milite iam possessa ipso iure vacare censeantur, id eo fortius accidere dicendum est, cum quis beneficium non possidet adhuc, sed ius tantum ad illud assequendum obtineret.

Cum itaque circumstantia ista accessisset, contra quam nulla ratio pollens erat, inutile existimatum est ***ex officio*** iura in medium afferre, quae Clerico suffragari posse viderentur

Hh perpensis propositum est resolvendum

Dnbium,

« An et quomodo auctoritas tribuenda sit Dynastae (N. N.) » ut praesentare possit sacerdotem (N. N.) Emo Cardinali col- » latori, ut ad vacantem canonicatum canonice instituatur in » casu. »

RESPONSIO. — Emi Patres causa cognita die 24 Martii 1865 responderunt: ***Attenta deficientia nominationis factae in personam Clerici N.N. notificetur Syndaco civitatis (A.)pro nova nominatione intra trimestre.***

CAUSAE CONTINUATIO. — Dynasta praesentandi ius habens, qui in praeterita causae propositione remissius iura sua tueri visus fuerat, (neque enim, quantum oportuisset, momenta rationum sibi faventia exposuerat, et propugnaverat) ex S. Congregationis resolutione gravatum sese fuisse arbitratus est, adeoque utili tempore causam ut recognosceretur seu revideretur postulavit obtinuitque. Idem praestitit Sacerdos: hinc quaestio ad plenarium S. C. auditorium iterum conscendit. Sed, ut moris est, ante omnia hac de re partes omnes, quarum intererat, rursus admonitae sunt, unaque invitatae, ut siquas haberent novas deductiones, S. Congregationi exhiberent. Id reapse singulae partes sunt executae, si Clericum et Syndacum excipias, qui intra congruum

praefinitum tempus, nec unquam postea, responsum ullum reddiderunt.

Novae porro deductiones plus vel minus illae erant, quas superius indicavimus; Dynasta vero defensionem sui iuris suscipiens contendebat primo loco, Sacerdotem memoratum nullo gaudere iure ad vacantem Canonicatum, quia praesentatus a Syndaco non fuerat; neque iuvari potuisse iure ***immediatae vocationis.*** Namque solus non erat qui passive vocaretur, cum singuli Sacerdotes Civitatis A. erant a Fundatore vocati: indigebat proinde praesentatione Syndaci patroni iuxta ea, quae tradit S. Rota in ***Burgen. Cappellaniae*** diei 14 Ianuarii 1732 ***coram Crescendo.***

Omissa deinde quaestione de Clerico praesentato a Syndaco ob expositas rationes, contendebat insuper Dynasta hac vice Syndacum cecidisse iure praesentandi. Adnotabat enim adeo fuisse a Fundatore facultatem Syndaci circumscriptam, ut vix Patronus dici posse videretur, cum contra Dynasta verus patronus erat censendus, qui inquirere debet super idoneitate personae a Syndaco sibi praesentatae, eamque Ordinario Cardinali pro institutione praesentare. Hisce autem praestitutis animadverterat inter caetera idem Dynasta, Syndacum praesentando sibi inidoneum in persona memorati Glerici, elapsoque interim utili trimestri, subintrare sui favore ius libere nominandi quem vellet iuxta sibi traditam a Fundatore facultatem. Maxime cum Syndacus nihil amplius responderit, quo inurbano silentio, cuilibet suo iuri, si quod haberet, renunciasse dicendus erat.

Alia insuper ***ex officio*** adiiciebantur, indicata scilicet est iuris quaestio maxime inter Auctores agitata, an et quando Patronus laicus vel ecclesiasticus elapso utili tempore post praesentationem personae non idoneae possit aliam personam nominare , de qua legi possunt quae scribit Fagnanus in ***cap. Cum nos, de Officio Ordinarii a num.*** 27 ***ad finem,*** et Pitonius ***Discept, eccles.*** 4 ***n.*** 47 ***et seqq=***

His aliisque adductis causa iterum proposita est sub dubii formula: « an recedendum sit a Resolutione capta die 31 Mar» iii 1865 in casu. »

RESOLUTIO DEFINITIVA. — Emi Patres sub die 1 Iunii 1866 denuo causa discussa rescripserunt: ***ius esse*** (Dynastae N. N.) ***pro-***

cedendi in casu ad nominationem, et praesentationem ad bene» placitum iuxta legem fundationis, et amplius.

Ex us COLLIGES:

I. Quamvis tempus ad nominandum Patrono laico ex iure communi praestitutum sit quadrimestre, hoc tamen ex speciali lege fundationis posse etiam decurtari.

II. Vocationem ad beneficium , quae passiva dicitur, dividi in ***mediatam et immediatam.***

III. Mediatam dici tum cum plures inveniuntur de genere vocatorum praescriptis qualitatibus pariter ornati: eoque casu ad assequendum beneficium necessariam esse nominationem Patroni activi.

IV. Immediatam adesse, quando unus tantum occurrit debitis qualitatibus praeditus: qui proinde tamquam ab ipso Fundatore vocatus habetur, ita ut sine Patroni activi nominatione •consequendi beneficii ius habeat.

V. Patrono intra utile tempus personam ad beneficium nominanti, si ea deinde deficiat, facultatem inesse aliam nominandi •quamvis utile tempus interea sit praeterlapsum.

Vi. Quin imo in iisdem adiunctis eamdem facultatem Patrono laico fieri, quamvis personam non idoneam nominavit, si scienter eiusmodi nominationem Patronus fecisse non appareat (1).

(i) Quaestio valde agitata est inter Doctores, an laicus Patronus, qui personam non idoneam intra utile quadrimestre nominat, possit, nominatione a iudice rescissa, aliam nominare incipiente novo termino a die rescissionis. Rationes quae pro diversis contrariisque sententiis solent afferri, apud citatos Auctores reperiuntur. Humaniorem tamen favore Patronorum sententiam Sacrae Congregationes videntur sequutae, -cuiusmodi ea est quam exposui. Ad rem, praeter praesentem causam , altera facere videtur quae recens ventilata est penes S. C. Concilii die 10 Maii 1862 , in qua agebatur de laico Patrono Iosepho, qui legem fundationis non recte sequutus nominavit ad tenue beneficium Achillem filium suum genere de quidem vocatorum, qui tamen duos et viginti annos natus nondum clericus , et arti lignariae addictus, neque catechismo satis erat imbutus. Praetera quidam Thomas ab alio praesumpto Patrono fuit nominatus, de familia pariter vocatorum , qui qualitates sufficientes habere videbatur, quas Fundator praescripserat, quamvis adhuc clericus non esset. Postulante autem Achille ut beneficii fructus impendere posset suae literariae institutioni donec idoneus fieret ad beneficium assequendum : Thoma e con-

VII. In praesenti casu Syndacum quolibet iure, si quod haberet, in nova causae propositione cecidisse, qui ob suam contumaciam vel tamquam negligens vel tamquam suo iuri tacite valedicens locum devolutioni dedit.

ES S. CONGREGATIO! SS. RITUUM.

CIRCA CALICES EX ALLUMINIO CONFECTOS.

Die **1** *Septembris* **1866.**

Cum fieri incoeperint calices ex alluminio, sive puro, sive aliis metallis commixto, Episcopus N. a Sacra Rituum Congregatione quaesivit : « aii eiusmodi calices adhiberi possint in san-)> cto Missae sacrificio. » Antequam Sacra Congregatio super hac re iudicium ferret, audivit Consultoris votum, cuius compendium est quod sequitur.

Votum Consultoris in eomnetBdfium redactum.

Animadvertebat initio Consultor (1) calicum materias alias ***praescriptas, alias permissas,*** alias demum ***vetitas*** dici. ***Vetiti*** diversis temporibus fuerunt calices lignei, lapidei, cornei, vitrei, cu-

verso contradicente : proposita fuerunt duo dubia S. Congregationi. F. « An et » quomodo annuendum sit precibus Achil- » lis... in casu : et quatenus *negative:* » II. **An et quomodo sustineatur prae- » sentatio facta favore Thomae... in casu:» S. Congregatio respondit: Ad I.** *negative.* **Ad II.** *negative, et praefigatur terminus Iosepho pro explenda nova praesentatione ad formam fundationis, qno inutiliter elapso, Thomas instet: coram Ordinario servatis servandis.*

(i) Selectus fuit Consultor !llfnus. Franciscus Regnani physico - chymiae professor.

prei vel aenei, vel ex aurichalco. Etiamnum stamnei calices ***permittuntur;*** in usu denique semper fuerunt, et modo ***praescri-buntur*** calices aurei, vel argentei; quae omnia ex Rubricis generalibus vel ex conciliis apprime eruuntur; Gavant. ***Comment, ad Rubr. De praeparat. Sacerd. celebraturi:*** « Ecclesia in pluri-» mis Synodis prohibuit ne ullus Sacerdos in vitreis, aeneis, ***r***> ligneis, aut de aurichalco, vel cornibus confectis vasculis con-» secrare praesumeret. » Item Bened. XIV. in Const. ***Etsi pastoralis.*** Die 24 Maii 1749 §. 6. « ***Unusquisque Sacerdos in aurea vel argenteo solum, vel saltem stamneo calice sacrificet.*** » Item Rubric. Miss. ***part. HI. capit.*** 10 ***n. i. a Si non adsit calix cum patena conveniens, cuius cuppa debet esse aurea vel argentea, vel stamnea, non aerea vel vitrea.))*** Item ***ex Conc. Rhem. cap.*** 6. « Si quis pauperrimus est, saltem vel stamneum Calicem habeat.» Item Quarti ex cap. ***Vasa*** et ex cap. ***Ut calix, de Consecr. distinct.*** 1 ostendit calicem et patenam necessario fieri et esse debere ex auro, vel argento, aut stamno. Denique ex Rubr. gener. Miss. Roman. ***Part. II. tit.* 1 *de Praeparat. Sacerd. celebraturi: « Sacerdos praeparat calicem qui debet esse vel aureus? vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam***

Consultor igitur tribus distinctis articulis huius legis editae causas investigabam et in quanam ex supradictis categoriis Alluminium, atque aes allumineum collocari possent. Interim monebat, quoniam eiusmodi causae Rubricis nequaquam continentur, in Synodis et Scriptorum testimoniis eas oportere inquiri.

CALICES VETITI.—Quaedam materiae, ex. gr. lignum, ***vetitae*** ob earum ***porositatem*** fuerunt, quae ***continua*** dici solet, unde sacrarum Specierum liquidarum, quam vocant, ***imbibitio. Nullus in ligneo calice praesumat Missam cantare:*** Conc. Rhem. c. 6. ***quia*** (Glossa addit) lignum ***porosum*** est, et species consecratas ebiberet. Quaedam, uti vitrum, propter earum ***frangibilitatem,*** unde Sacrarum Specierum ***effusio. Nullus in vitreo calice praesumat Missam cantare:*** Ibid. ***quia*** (addit Glossa) ***vitrum fragile est, et immineret periculum effusionis.*** Quaedam denique, uti aes et aurichalcum, propter ***aeruginem*** cui sunt obnoxiae. ***De aere aut aurichalco non fiat calix:*** Ibid. ***quia*** (addit Glossa) ***ob vini virtutem aeruginem parit, quae vomitum provocat.*** Hisce de causis ***Alluminium*** non interdicitur.

Nam 1. illud eadem ratione porosum est ac vitrum, et ideo respuit imbibitionem.

2. Tenacitate notabili praeditum est; cum constet, eo redacto ad fili tenuitatem cuius diameter aequet millimetrum, viginti kilogrammos trahi posse.

3. Eadem ratione ac argentum aerugini obnoxium non est : quin imo, quod argento ipsi non contingit, sulphureis exhalationibus nihil omnino afficitur.

4. Demum ita leve est, ut calicem qui cuppam ex ipso Alluminio, et basim alio ex aere conflatam haberet, summa stabilitate ac firmitate donaret. Allumimi enim pondus specificum sunt gr. 2, 56 i. e. quarta pars ponderis argenti.

At si inaurationis legem spectes, materiis vetitis et alluminium purum erit accensendum: nam Viro ipso eiusmodi calicibus conflandis praeposito, qui hac super re per Consultorem interrogatus fuerat, fatente, 1° alluminium purum per quam difficile inaurari potest: 2° etiamsi tandem inauretur, cito aurum amittit. Hinc nisi Ecclesia permittat cuppas ex alluminio conflatas non inaurari, vel donec alia easdem stabili ratione inaurandi methodus reperiatur, aes istud materiis vetitis contineri dicendum est. Aes autem allumimi, seu amalgama cupri et allumimi in ratione unius ad novem (de qua commixtionis proportione praecipue res erat), 1° Quadrante porosius argento est, sed eius porositas non est continua, ideoque neque imbibitioni, neque depotis seu microscopicis lacunculis liquidae substantiae obnoxium est.

2° Eadem ac ferrum tenacitate pollet : quae est resistentia tractioni, quaeque exhibetur 65 kilogrammis.

3° Perquam aptum est, ut partibus aeque inter se libratis constet calix, polleatque firmitate : dum maius baseos pondus eius pretium non augel-

li° Aerugini minus quidem obnoxium est quam cuprum, et plumbum et aurichalcum; at omnino ab ea immune non est: praesertim cum et ipsum sit quoddam ***aes,*** x^a∧^zc)?» aurichalcum, i. e. cuprum auri specie exhibitum. Verum quidem est inauratione aeruginem arceri; sed 1° hac ratione comprobare tur, quamlibet materiam, dummodo inaurata shv, permitti posse.

2° Inauratio facile amittitur, summo praesertim cuppae ore, et praesertim si more galvanico facta sit.

3° Lex inaurationis non alchymiae legibus nititur, sed reverentiae officio erga Sanctissimum Altaris Sacramentum: cui etiam nititur praescriptio aliarum materiarum, de quibus mox loquuturi sumus.

CALICES PRAESCRIPTI.—Satis constat calicem aureorum et argenteorum usum (qui ipsis persecutionum temporibus procul dubio obtinuit, nec unquam generatim reiectus init aut obsolevit) utriusque aeris nobilitate pretioque suggestum fuisse, utque Ecclesiae decus augeretur, ac realis Christi Domini sub Sacramenti speciebus praesentia insigni testimonio lafcreutici cultus as•sereretur. Duo huc faciunt praeclara documenta* Unum Conc. Tiburiens. c. 18 ***ap. Gratian. De Consecr. c.*** 43 ***d.*** 1. «Urbanus » Pontifex omnia ministeria Sacra fecit argentea. In hoc enim, » sicut et in reliquis cultibus, magis et magis per incrementa ***it*** temporum decus succrevit ecclesiarum. Nostris enim diebus, » qui servi Patrisfamilias sumus, ne decus Matris Ecclesiae » imminuatur, sed magis cumuletur et amplificetur, statuimus, » ut deinceps nullus Sacerdos Sacra mysteria Corporis et San-)) guinis Domini Nostri Iesu Christi in ligneis vasculis ullo modo ***v*** conficere praesumat, ne unde placari debet, inde irascatur o» Deus. » Alterum Sugerii abbatis ***lib. de rebus in sua administratione gestis :*** « Abundet unusquisque in sensu suo : mihi , » fateor, hoc potissimum placuisse, ut quaecumque chariora , * quaecumque charissima sacrosanctae Eucharistiae administra- » tioni super omnia deservire debeant. Si libatoria aurea, si phialae » aureae, si martoriola aurea ad collectam sanguinis hircorum aut » vitulorum aut vaccae rufae, ore Dei, aut Prophetae iussu de- ***p*** serviebant, quanto magis ad susceptionem Sanguinis Iesu Chri- » sti vasa aurea, lapides pretiosi, quaeque inter omnes creaturas JO charissima, continuo famulatu, plena devotione exponi debent?»

Eaedem rationes in causa fuerunt cur inaurandarum cupparum, quae aureae non essent, lex ferretur.

Quibus praemissis gradum faciebat Consultor ad Alluminmm atque aes allumimi. Quanquam aes allumimi praeclarissima auri specie praeditum sit ; tamen ipsum tamquam tertium aes nobilitate ab auro et argento ad calices conficiendos ob expositas rationes existimabo nemo.

Dubium potius super alluminium purum cadere profecto posset. Verumtamen quousque lex inaurationis in Ecclesia obtinet,, atque illud metallum inaurationis suscipiendae impos esse pergit,, calices ex simplici alluminio conflati uti vetiti habendi esse videntur.

Sed quoniam alluminium quibusdam suis chimicis dotibus supra enumeratis argento antecellit, aliquod posset oriri dubium circa hoc problema: « Rationi ne consonum est ut prae-» scriptioni cupparum ex auro vel ex argento inaurato Eccle-» sia addat et praescriptionem cupparum ex alluminio simplici)) non inaurato, habito hoc novo aere aeque nobili ac argento?» iam vero huic quaestioni negative respondendum esse Consultori videbatur.

Nam 1° alluminium nec luciditatem nec splendorem suscipit, quae luciditati ac splendori argenti possit comparari: et tamen istius etiam inauratio praescribitur. ***Sacerdos praeparat calicem, qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere debet cuppam argenteam intus inauratam.*** Rubr. gen. Miss. De praeparat. Sacerdot. celebraturi.

2° Communi hominum existimatione alluminium nobilibus metallis non accensetur.

3° Allumimi nobilitas, (cuius etiam valor fortasse decrescet) eiusmodi non est, ut eius usus maximam, quae Sanctissimo Eucharistiae Sacramento debetur, reverentiam exprimat.

CALICES PERMISSI.—Nullo non tempore, praesertim vero cum vasa pretiosa captivis redimendis vel alendis pauperibus vendita fuerunt, minoris pretii calices Ecclesia permisit. Ne ad singulares materias Consultor descenderet quae vel a Pontifice quopiam, vel Synodo permissae aliquando fuerint, quibus paupertate urgente calicum cuppae conficerentur, universalius et etiamnum permitti solet ab Ecclesia ***Stamnum,*** uti supra probatum est Quod quidem aes quamvis nec nobile nec pretiosum sit, prae caeteris tamen tum physicis tum chimicis dotibus est praeditum, quae supra enumeratae sunt, quaeque calicibus insint oportet. Nam purissimum stamnum quod in hominum commercio vulgo obtinet 1° nec porosum est porositate continua; 2° neque aerugini obnoxium est: 3° demum nec fragile ita est, ut effu-

jjionis periculum sit timendum, nec tam molle ut probabilibus collisionibus contundi facile possit.

En igitur nova hic se quaestio profert: « Salva lege cuppa-
» rum ex auro, vel argento inaurato conficiendarum, permitti ne
i» potest per quamdam exceptionem ratione paupertatis usus
•» cupparum ex alluminio, vel ex aere allumimi ? »

Ut huic quaestioni quoad fieri possit plene atque accurate Consultor faceret satis, distinctionem quamdam statuebat, quae dici posset ***de iure constituto, et de iure constituendo:*** Id est aut rogatur utrum hoc novum aes (alluminium simplex), atque novum hoc amalgama (aes allumimi), conditionibus expressis et rationibus quibus Liturgia sacra intendit in stamno permittendo, fulciantur, ideoque eadem haberi possint uti implicite permissa, paupertate premente; vel rogatur ut Sedes Apostolica, hisce rationibus ac conditionibus ex parte abdicans, suprema sua auctoritate novum aliquid velit concedere, liturgicas praescriptiones aliquantum extendens.

Priori quidem quaestioni ***negative*** respondendum esse Consultor opinabatur. Alluminium enim purum ut in praesens inaurationis suscipiendae capax sit, sincere sperari non potest. Calix vero cum cuppa ex alluminio simplici (prouti in praesenti artis conditione se habet), maiore staret pretio quam si cuppam haberet argenteam pedemque cupreum. Quod vero pertinet ad allumimi amalgama, hoc vigenti lege excluditur, cum quoad aeruginem gignendam multo sit stamno ipsi inferius : praesertim cum ob eius praeclarissimum aureum colorem valde difficile esset internoscere utrum ipsum inaurationem amiserit, nec ne.

Quod autem ad alteram quaestionem spectat, si quidem S. Sedes abusui qui stamni permissio secumfert, quique vitari non potest, prospiciendi causa, aut aliis de causis sibi notis, aliquid hac super re remittere, atque indulgentia uti velit, profecto inter materias quae ad haec usque tempora noscuntur, si quae exceptionem quamdam pati ac mereri possent, eae sunt alluminium purum, eiusque amalgama, de quo supra dictum est. Hae enim materiae ex una quidem parte remote tantum pericula exhibent, ad quae vitanda animum intendit Ecclesia -quarumdam substantiarum prohibitione; ex altera vero iis sunt

dotibus praeditae, quae ab iis quas in calicum cuppis Ecclesia exigit, parum distant. Et quidem fatendum est, post aurum ac platinum, alluminium nobilissimum aes esse in metallis quae Chimice dignoscat; quemadmodum huius aeris amalgama, de qua hic sermo est, quodcumque vel aurichalci genus vel metalla cuiuslibet, quod auri speciem exhibet, antecellit. — Eiusmodi tamen concessio, si quidem Sanctae Sedi eam generatim dare-placeat, in praxim deduci sine Ordinariorum consensu non posset, ad quos unos definire spectaret 1° utrum in illo peculiari casu vera paupertas locum habeat: 2° utrum amalgama seu allumimi ac cupri fusio, ea vere sit, de qua hic sermo habetur: 3° utrum cuppae inaurationem tot auri grammis factam fuisse certo constet, ut debita perduratio ac firmitas sperari possit. 4° Utrum denique expensarum parsimonia eiusmodi sit, ut regulae generalis exceptionem mereatur.

His expositis quaestionem integram perstringens Consultor sequentibus sibi propositis dubitandi formulis suas opiniones tnanifestabat.

I. Aes allumimi, seu mixtum allumimi et cupri in proportione* unius ad novem, atque alluminium purum recensentur ne ob physico-chimicas ipsorum qualitates inter materias ***vetitas*** quoad conficiendas calicum cuppas? Respondendum opinabatur: ***Affirmative»***

II. Alluminium purum iis ne dotibus praeditum est, ut aeque ac aurum ***praescriptum*** haberi possit ita, ut conflari inde liceat calicum cuppas, atque ita, quin inaurentur, adhiberi ? Resp* ***Negative.***

III. Si S. Sddes propter quarumdam Ecclesiarum paupertatem, aut aliis de causis sibi notis, permittere velit Ordinariis ut addant vel sufficiant novam concessionem concessioni illi quae relate ad stamnum iam viget, alluminium purum, atque aes allumimi sunt ne materiae (prae caeteris hactenus cognitis) eiusmodi concessioni opportunae? Resp. ***Affirmative.***

His itaque a Consultore erudite expositis propositum est S. C. resolvendum praefatum dubium.

RESPONSIO. — Sacra Rituum Congregatio die 1 Septembris 1866 comitiis habitis re discussa responsum dedit: ***Nihil innovandum.***

Ex ns COLLIGES:

I. Materias, quibus calices ad sacrificium litandum coniiciuntur, alias esse tantum permissas, alias praescriptas, alias vetitas.

II. Calices ex alluminio simplici confectos vel aliis metallis commixto, neque in prima neque in altera materiarum classe posse commode et facile recenseri.

III. Eam, esse S. Sedis sententiam, ut expedire non existimet, alias materias induci in divinum cultum , quae quamvis sub aliquo respectu opportuniores melioresque videantur, novitatem tamen redolent a veneranda antiquitate alienam (1).

tee

URBIS.

DECRETUM. — « Quum haud raro eveniat, ut Festum aliquod Instrumentorum dominicae Passionis concurrat cum Festo Cathedrae Sancti Petri Antiochiae, Kalendariorum Editores in diversas abiere sententias circa praecedentiam alterutri Festo dandam. Ut autem varietas haec de medio tollatur, Praefectus Caeremoniarum Patriarchalis Basilicae Liberianae opportunum duxit a Sacra Rituum Congregatione insequentis dubii solutionem exquirere nimirum : ***Concurrente in eadem die Festo Cathedrae Sancti Petri Antiochiae cum Festo Lanceae et Clavorum Domini Nostri Iesu Christi, aut alterius cuiuscumque Instrumenti Passionis, quale erit praeferendum ?***

» Et sacra eadem Congregatio, audita relatione a subscripto Secretario facta, re mature accurateque perpensa, auditaque etiam sententia scripto pandita alterius ex Apostolicarum Caerimoniarum Magistris, scribere rata est. ***In concurrentia, Festum Lanceae et Clavmum aut alterius cuiuscumque Instrumenti Passionis Domini Nostri Iesu Christi praecedere debet Festum Cathedrae An-***

(1). Vid. etiam in *Vol. I. pag.* 38 *et seqq.*

tiochenae Sancti Petri, illi scilicet Festo integras Vesperas tribuendo - Decretum autem imprimi iussit. Atque ita decrevit et servari mandavit. Die 1 Septembris 1866.»

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

D. BARTOLINI S. R. C. Secretarius.

ROMAWA SEC A&BKttAXE*'.

CANONIZATIONIS

BEATI. LEONARDI A PORTU MAURITIO

MISSIONARII APOSTOLICI

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI STRICTIORIS OBSERVANTIAE

IN SACRO RECESSU SANCTI BONAVENTURAE URBIS.

SUPER DUBIO

An Tuto procedi possit ad solemnem eiusdem Beati Leonardi a Portu Mauritio Canonizationem ?

DECRETUM. **« In novissimis temporibus operarium electissimum misit Dominus io •messem suam, Beatum nempe Leonardum a Portu Mauritio. Hic Christi praeceptum sequens unica ac rudi indutus tunica, neque sacculum portans, neque peram, neque calceamenta, neque aurum et argentum vel pecuniam in zona sua, in quamcumque civitatem et castellum intrabat videns turbas petentes panem vitae, cum nemo esset qui frangeret eis, misertus est: et quia erant multi vexati a voluptatibus saeculi, et criminum laqueis captivi tenebantur ad ipsorum confusionem, tunc dicebat illis: poenitentiam agite , appropinquavit enim regnum coelorum. Pene innumeri peccatores vocem eius tamquam Christi loquentis audientes, atque actus suos confitentes in cinere et cilicio poenitentiam egerunt. Cum autem Beatus Leonardus expletis laboribus ad Dominum reversus esset, et ab eius manu immarcescibilem gloriae coronam recepisset, prodigiorum virtute etiam post indultam venerationem inclaruit. Quibus triplici examine penes Sacrorum Rituum Congregationem solertissime perpensis Summus Pontifex Gregorius XVI. sa: me: sextodecimo Kalendas Aprilis anni** MDCCCXXXIX. **declaravit** ***Constare de Primo Miraculo*** **Beati Leornardi interventu a Deo patrato: et Sanctissimus Dominus Noster** PIUS PAPA IX. **quarto nonas Augusti anni vertentis edixit** ***Constare de altero Miraculo,*** **quod Deus Omnipotens eiusdem Beati intercessione operatus est.**

« Quare ut Causae huic finis imponeretur, quod almae Urbis nostrae Civibus maxime in votis erat, illud tantum supererat, ut in novis Comitiis Generalibus

••colligendis Dubium discuteretur *«An, stante approbatione duorum Miraculorum post indultam a Sede Apostolica venerationem, Tuto procedi possit ad solemnem Reati Leonardi a Portu Mauritio Canonizationem f* » Quod factum est iu generali coetu xiv. Kalendas Octobris eiusdem anni in pontificiis Vaticanis aedibus -collecto: ubi coram Sanctissimo Domino Nostro Reverendissimus Cardinalis Ludo- •vicus Altieri Episcopus Albanensis et Causae Relator illud proposuit Dubium, et •omnes suffragatores sive Consultores sive Patres Cardinales unanime affirmativum protulere responsum..

» Distulit tamen Sanctissimus Dominus suam in hoc negotio gravissimo pandere mentem; hortatusque est quotquot aderant, ut secum divinum efflagitareut Spiritum, qui eum ad recte iudicandum et in omnem induceret veritatem.

» Denique ad augendam huius diei laetitiam, in qua beatissimi Parentis natalitia Filius sapiens haud impari meritorum corona collustrat-, Sanctissimus Dominus Noster postquam Hostiam salutarem in sacra Palatii intima aedicula piissime obtulisset, ad sacellum se contulit Immaculatae Virginis Conceptioni et Sancto Francisco Assisiensi dicatum, quod in Basilica Principis Apostolorum ob quotidianam Sacrorum Officiorum celebrationem prae caeteris refulget; ibique ad se accitis Reverendissimo Cardinale Constantino Patrizi Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, simulque Reverendissimo •Cardiuale Ludovico Altieri Episcopo Albanensi ac Causae Relatore, una cum R. P. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus sancivit *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Leonardi a Portu Mauritio Canonizationem.*

» Huiusmodi Decretum in vulgus edi, in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri. Litterasque Apostolicas sub plumbo de Canonizationis solemnitate in ipsa Patriarcali Basilica Vaticana quandocumque celebranda expediri iussit quarto Nonas Octobris MOCCCLXVI.»

C. Episcopus Portuen. et S. RuGuae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

L. t S. *D. Bartolini S. R. C. Secretarius^*

21031AMA SEU AliEX. ET AQUEW.

CANONIZATIONIS

BEATI PAULI A CRUCE.

FUNDATORIS CONGREGAT. CLERICORUM EXCALCEATORUM

SANCTISSIMAE CRUCIS ET PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI

SUPER DUBIO

An Tuto procedi possit ad solemnem eiusdem Beati Pauli a Cruce Canonizationem ?

DECRETUM — « **Inter eos quos Dominus praescivit et praedestinavit conformes? fieri imaginis Filii sui, Beatus Paulus a Cruce iure est recensendus. Qui dum hi* terris ageret Christum imitans pauper et humilis oves errantes quae Domui Dei; perierant per ardua et aspera quaerens ad ovile reduxit: Christum etiam in Cruce- confixus, eiusque vulnera ita in corde gerens ut iam non sibi sed Christo viveret,, in Christo vitam abscondens laetus mundo obiit, ut cum ipso in coelis regnaret, cuius passionem in terra sustinuit. Cum autem temporibus hisce nostris inimici Crucis Christi omnes exerant vires ut eam a cordibus fidelium divellant, hunc servum fidelem Deus omnipotens, qui in Crucis stultitia fatuam mundi prudentiam- superavit, novis prodigiis clarescere fecit postquam altarium honores ab Apostolica Sede tributi ei fuerunt. Prodigia haec penes Sacrorum Rituum Congregationem ad examen vocata Sanctissimus Dominus Noster Pius** PAPA. **IX. probavit per Decretum VTI. Kalendas Septembris vertentis anni editum, in quo sancivit.** *Constare de duobus Miraculis,* **Beato Paulo a Cruce intercedente, a Deo patratis.**

» Igitur praeclarae huiusmodi Canonizationis Causae huc usque adductae nil' aliud reliquum erat nisi ut in eadem Sacrorum Rituum Congregatione agitaretur Dubium: *An, stante approbatione duorum Miraculorum post indultam a Sede Apostolica venerationem, Tuto procedi possit ad solemnem, Beati Pauli a Cruce Canonizationem'?* **Hoc itaque proposito Dubio in Comitiis Generalibus coram Sanctissimo Domino Nostro in Palatio Apostolico Vaticano habitis xiv. Kalendas Octobris eiusdem anni a Reverendissimo Cardinali Constantino Patrizi Episcopo Portuen. et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, Causaeque Relatore, omnes qui interfuerunt Consultores et Patres Cardinales una voce** affir» **mativam prodidere sententiam.**

» Verumtamen noluit Pater Beatissimus suum illico supremum pronunciare iudicium , quin prius divinam exoraret Sapientiam ut in Causa tam gravi absolvenda sibi propitia adesset.

» Tandem hac die qua Festum recolitur Sancti Francisci Assisiensis, Sanctissimus Dominus Noster divinis Mysteriis prius devotissime in privato suo Oratorio; celebratis, hanc Patriarchalem Vaticanam Basilicam adiit, ibique in sacello Deiparae Immaculatae ac Sancto Francisco sacro, ubi a Summo Pontifice Benedicto XIII. sa. me. Beatus Paulus a Cruce Sacerdotio fuerat initiatus, ad se accivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, Causaeque Relatorem, una cum*

R. P. Petro Miuetti Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus decrevit ***Tuto procedi posse ad solemnem Beati Pauli a Cruce Canonizationem.***

»Hoe autem Decretum publici iuris fieri, in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, Literasque Apostolicas sub plumbo de Canonizationis solemniis in eadem Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrandis expediri mandavit quarto nonas Octobris anni MDCCCLXVI.»

***C.* Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. PATEMI S. R. C. Praef.**

L. t S. ***D. Bartolini S. R. C. Secretarius.***

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

BENEDICTI AB URBINO

SACERDOTIS PROFESSI

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI CAPUCCINORUM

SUPER DUBIO

An, ***et de quibus Miraculis constet in casu, et ad effectum, de quv agitur?***

DECRETUM. **« Christum Dominum, qui cum in forma Dei esset, formam servi accipiens semetipsum exinanivit, Venerabilis Benedictus ab Orbino in vitae suae curriculo imitari studuit Nam cum esset dives et geuere illustris, haec arbitratus est ut stercora, et pauperrimam Sancti Francisci tunicam seligens inter Minores Capulatos Fratres Christi humilitatem ac pauperiem assequi in deliciis habuit. Cum liber esset ex omnibus, in assidua Evangelii praedicatione se omnium servum fecit: factus est enim puer inter pueros, et mundo contemptibilis, ut fidei rudimenta pueris traderet^ et rusticanos agrestesque homines lucraretur: factus est etiam infirmus infirmis, ut infirmos lucrifaceret; omnibus omnia factus est ut omnes faceret salvos. Diuturna denique aegritudine ac evangelicis laboribus confectus pauper et nudus ad Christi amplexum evolavit, Ut promissam humilibus et pauperibus beatitudinis coronam consequeretur. At Deus Omnipotens qui servum hunc fidelem et pauperem de stercore erexerat, ut cum Principibus regni sui collocaret, voluit ut fidelibus gloriae eius fastigium innotesceret: proindeque Venerabilem Benedictum signis et portentis clarescere fecit Quorum tria ad gravissimam Sacrorum Rituum Congregationis disquisitionem semel, iterumque, et tertio proposita fuerunt; scilicet in Antepraeparatorio Conventu in aedibus Reverendissimi Cardinalis Constantini Patrizi Episcopi Portuensis et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecti, et Causae Relatoris Nono Kalendas Martii Anni** MDCCCLXV. **coacto: deinde in**

Consilio Praeparatorio Revràorum Cardinalium Sacris tuendis Ritibus praepositorum in Palatio Apostolico Yaticano decimo Kalendas Martii anni vertentis habito: postea in Generalibus Comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPA **IX. in «odem Palatio Apostolico Vaticano decimoquarto Kalendas Octobris collectis; ubi proposito Dubio a Reverendissimo Cardinali Causae Relatore** *«Ati, et de quibus Miraculis constet in casu, et ad effectum de quo agitur?»* **Consultores primum et deinde Patres Cardinales proprium dedere suffragium. Verum Beatissimus Pater decretoriam sententiam suam haud pandidit, voluit enim ut effusis es animo precibus in divini luminis splendore quid a se decernendum esset, intelligeret. Annua demum recurrente Pauperum Legiferi solemni commemoratione, cuius haereditatem in terris Venerabilis Benedictus adipisci conquisivit, Sanctissimus Dominus Noster Eucharistico Sacrificio summa animi devotiotie in suis pontificiis aedibus ad Vaticanum oblato ad Basilicam hanc Petri Apostolorum Principis cultu toto terrarum Orbe insignem, contendit, ubi in sacello Virgini Deiparae sine labe originali conceptae et Assisiensi Patriarchae rite consecrato penes se vocavit Revmum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et S. Rufinae, SS. Rituum Congregationi Praefectum, Causaeque Relatorem , itemque R. P. Petrum Minetti Sanctae Fidei Promotorem, et me infrascriptum Secretarium, quibus adstantibus declaravit:** *Constare de Miraculis a* **Deo, Venerabilis Benedicti ab Urbino interventu, patratis; scilicet de primo** *Instanlaneae, perfectaeque sanationis Iosephi Fierrucci ab Ophtalmia acuta, leucomate superaddita:* **de altero :** *Instantaneae perfectaeque sanationis Dominici Bargnoni a phthisi pulmonari, gravissima concomitante pieumonorrhagia;* **de tertio;** *Instantaneae perfectaeque sanationis Lauretae Volpi ab inveterala angina pharingea gravibus stipata symptomatibus.*

«Huiusmodi Decretum de more evulgari, et in Sacrorum Rituum Congregationis acta recenseri voluit quarto Nonas Octobris Anni MDCCCLXVI.»

C. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. PATRIZI **S. R. C. Praef.**

L. «f S. *D. Bartolini S. R. C. Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

ALBIEN.

***Die* 14 *Decembris* 1857.**

Episcopus Albiensis sequentia exposuit Sacrae Indulgentiarum Congregationi.

In archiviis ecclesiae metropolitanae Albien. sub patronatu et vocabulo s. Gaeciliae virg. et mart. custoditur Instrumentum Visitae ecclesiae istius et Capituli factae a UR DD. Le Goux de la Berehère, Archiepiscopo Albien. datum Albiae die Mercurii 1698 sub titulo de statu reliquiarum, in quo sic legitur:

« Brachium de argento sigillatum insigni is Emi Card. loan-
» nis Geoffroy, in quo includitur os unum brachii s. Caeciliae con-
» cessum a Paulo PP. II. ut apparet documentis publicis quibus
» authentice est consignatum.

» Iuxta digitos dicti brachii de argento extat theca parvula
» et rotunda quae includit partem maxillae eiusdem sanctae.

» Aliud adhuc brachium, sed multo minus recondit aliam
» s. Caeciliae reliquiam, quam e theca extructam cognovimus
» esse partem femoris, et istam recondendam duximus in theca
» formae diversae»

Ecclesia Albiensis (sic prosequutus est laudatus Antistes) nunquam dubitavit de veritate sui thesauri, et brachium s. Caeciliae fidelibus ad venerationem frequenter exposuit.

Auctores diversi fide digni loquuntur de brachio s. Caeciliae dato ecclesiae Albien. a Summo Pontifice Paulo **II.** Sic ***Gallia Christiana*** tom. I. pag. 33.

Verum accedit R. P. Dom. Guéranger qui scripsit eximium opus de vita s. Caeciliae, luculentus scriptor dicit pag. 235, et 236. « Non possumus non commemorare brachium s. Caeciliae,
» et reliquias ss. Tiburtii, Valeriani, et Urbani datas a Paulo PP. II.
» an. 1446 Ioanni Geoffroy Episc. Albien. et collocatas ab eodem
» in sua ecclesia Metropolitana. Omnes illae reliquiae, quas de
» cetero improbare minime volumus, non sunt tamen reliquiae

)> sanctae Caeciliae V. et M. quando enim an. 1599 apertum est
» sepulcrum, inventum est ***omnino integrum*** corpus quod s. Pa-
» schalius sub altare Basilicae Transtiberinae sepeliverat.»

Notandum tamen quod ecclesia Albien. nunquam contendit possidere brachium integrum s. Caeciliae, sed tantum ***os unum*** ex brachio; absolute igitur dici potuit ad aperturam tumuli an. 1598 corpus s. Caeciliae fuisse integrum, licet ab an. 1446, os unum extractum et brachium datum fuisset Emo Card. Ioanni Geoffroy, uti testantur historici, et cum illis RR. Le Goux de la Berehère qui affirmat, in Instrumento authentico lustrationis dioeceseos se vidisse ***Insignia*** Card. Geoffroy et legisse documentum consignatum a Summo Pontifice Paulo II.

Praeterea recentior editio ***Vitae Sanctorum*** auctore Godescar quae meminit eximium opus R. P. Dom. Gueranger, addit tamen ***tom. Ì0pag.*** 202. «An. 1466 Ioannes Geoffroy Card. Episc. Al-
» bien. obtinuit a Papa Paulo II. pro sua ecclesia sub Patronatu
» s. Caeciliae os brachii, et partem maxillae istius Sanctae.»

Hisce positis Orator proponebat dubium.

« Utrum possit sicut antea ad fidelium venerationem exponere
» brachium de argento continens ***os unum*** brachii s. Caeciliae.»

Totum Consultoris ii» compendium redactum.

Ut sibi viam sterneret ad propositae quaestionis solutionem, Consultor (i) quasdam praenotiones critico-historicas praemittendas duxit, super depositione, translatione, inventione, et repositione corporis s. Caeciliae. Luculenter de hisce omnibus scripserat Antonius Bosius, qui anno millesimo sexcentesimo acta protulit passionis s. Caeciliae, eruta ex codicibus manuscriptis bibliothecae Vaticanae, et collata cum aliis quae in monasterio s. Caeciliae et in aliis Urbis ecclesiis asservabantur, eaque Cardinali Paulo Sfondrato inscripsit sub hoc titulo u Historia Passionis B. Cae-
» ciliae Virginis, Valeriani, Tiburtii et Maximi martyrum; necnon
» Urbani, et Lucii Pontificum et Martyrum Vitae, atque Pa-
» schalis Papae L litterae de eorumdem Sanctorum corporum
» inventione, et in Urbem translatione. Omnia ex antiquissimis
» nobilium bibliothecarum Urbis manuscriptis exemplaribus ab

(i) **Selectus tuit Consultor R. P. Antonius Angelini S.** I. **praeter alios.**

» Antonio Sosio J. M. D. fideliter accuratoque deprompta, no-
» tisque illustrata, et nunc primum in lucem edita. Accedit
» relatio eorumdem Sanctorum corporum novae inventionis et
» repositionis sub Clemente VIII. P. M. Paulo Sfondrato S. R. E.
» tit..s. Caeciliae Presb. Card. Romae apud Steph. Paulinum MDC»

Quotquot igitur post Bosium de S. Caecilia scripsere, opus citatum necessario prae oculis habuere; quemadmodum etiam huiusmodi actorum fide accuratum institui examen, et iudicium proferri potest super historia corporis s. Caeciliae Bullandistae, Editores Annalium Baronii, Rainaldus eorumdem interpres ct concinnato!' haec acta in suis operibus inseruere; Pancirolius, Piazza, Butler, hinc historicas de s. Caecilia notiones hausere. Idem Bosii opus novis monumentis locupletatum a Iacobo Laderchio Presb. Oratorii in lucem rursus editum fuit an. 1722. Quare nihil est quod desiderandum supererat circa historicam rei veritatem, in proposita quaestione elucidanda. Ex hoc igitur fonte Consultor, quod sequitur in medium proferebat.

S. Caecilia martyrium passa anno post Christum natum ducentesimo trigesimo secundo, Urbano Pontifice, Alexandro Severo imperatore. Eius corpus a s. Urbano in coemeterio Callisti fuit reconditum quod proinde a s. Caecilia fuit postea nuncupatum. Ex actis Martyrii haec habentur. « Tunc s Urbanus Papa corpus
D eius auferens cum diaconibus nocte sepelivit inter colle-
» gas suos et martyres, ubi sancti Confessores sunt collocati. »
Addit Bosius suis temporibus locum in quo s. Virginis corpus depositum fuit esse in Fidelium cognitione, et veneratione (1). Guillelmus Archiepiscopus Bituricensis marmoream tabulam anno 1409 ibidem posuit sic inscriptam: « ^ Hic quondam re-
» conditum fuit Corpus Beatae Caeciliae Virginis et Martyris.
» Hoc opus fecit fieri Reverendissimus Pater Dominus Archie-
j) piscopus Bituricensis Anno Domini HCCCCIX. » In eodem loco inventa fuit tabula marmorea hanc praeferens epigraphem: « San-
» ctis Martyribus Tiburtio, Balenano, et Maximo, quorum na-

(t) Locus ipse in. quo s. Caeciliae ab Urbano condita est antiquis picturis indignis, et coutiguus cryptae, ubi pleri•rque romani Pontifices saeculi III. olim iacuerunt, detectus est anno IS 54 in celeberrimo Callisti coemeterio. Vid. praeclarum opus quod recens scripsit vir in re archeologica clarissimus Ioannes Baptist. De Rossi eques, *Roma sotterranea Tom. I. pag.* 57 *et seqq.*

» tale est XVIII. Kalend. Maias » quae in ecclesia s« Caeciliae ad altare Confessionis asservatur.

Itaque corpus s. Caeciliae, quod raptum esse ab Aistulpho Longobardorum rege in urbis obsidione an. 782 falso putabatur, ibi revera iacuit ab anno 232, ab Urbano Pontéfice reconditum, usque ad tempora s. Paschalis I., qui sedit ab anno 827 ad an. 834. Hic s. Pontifex divinitus monitus praefatum corpus inveniendum curavit, cuius inventionis acta authentica sic se habent. « Tunc enim pro buius revelationis manifestatione omni
» postposita difficultate incunctanter et absque ambiguitate ipsius
» Venerabilis Virginis corpus inquirendum decrevimus, qui etiam
» annuente Dea, eiusque solito iuvamine properantes in Coe-
» meterium sancti Sixti situm foris portam Appiam, sicut ii>
» sacratissima illius passione narratur, inter collegas episcopos
» in aureis indumentis cum venerabili sponso (scil. Valeriano)
» reperimus: ubi etiam linteamina, cum quibus sacratissimum
» sanguis eius abstersus est de plagis, quas spiculator trina per-
» cussione crudeliter ingesserai, ad pedes beatissimae Virginis
» in unum revoluta, plenaque cruore invenimus; quae omnia
» nostris manibus pertractantes cum venerabili corpore honeste
» intra muros Romanae urbis induximus. Pro cuius desiderabili
» dileotione Titulus, quem suo sancto' nomini christiana devotio-
» dicaverat, et pene ruinis confractus diu antiquitatis laceratus-
» manebat, Dei annuente clementia, in meliorem statum a nobis-
» a fundamentis est restitutus: et ad honorem omnipotentis Dei,
» eiusdem Virginis corpus cum diarissimo sponso (scil. Valeriano)
» atque Tiburtio et Maximo martyribus, necnon Urbano et Lucio
» Pontificibus utrisque sub sacro altare dedicantes collocavimus.»
Ila ex Bosio et Laderckio in op. cit.

Tandem Clemens VIII. die 22 Nov. 1599 corpus s. Caeciliae ex loco ubi a Paschale I. positum fuerat iuxta acta relata iterum extractum a Card. Paulo Sfondrato tituli s. Caeciliae reponi iussit in urna argentea sub ara maxima eiusdem ecclesiae. Card. Caesar Baroni us a Clemente VIII. fuit adlectus, qui eorpus Sanctae recognoscere!; et dictus Card. Sfondratus particulam vestis ***cum*** parvulis fragmentis ex cranio eiusdem Sanctae sibi retinuit.

Ex quo summatim desumebat Consultor, corpus s. Caeciliae ab an. 232, usque ad an. 821 ignoratimi delituisse in coemeterio*

Callisti; a quo tempore deinde usque ad an. 1589 sub ara màxima remansisse ecclesiae s. Caeciliae; unde nunquam fuisse amotum in posterum.

Quibus positis, quaestionem maximi momenti sibi proponebat diluendam; utrum nempe ex corpore s. Caeciliae reliquiae fuerint unquam extractae. Documentum vero fide dignissimum super hac re non deerat. Hrabanus Maurus Abbas Fuldae, et deinde Archiepiscopus Moguntinus, vir sanctitate et doctrina conspicuus, qui multa edidit opera tum soluta tum versa oratione, vita functus an. 856; in tomo IV. suorum operum num. **iii** pag. 231 asserit se possidere ss. Caeciliae, Valeriani et Tiburtii reliquias, quas sibi Romae dono datas deposuisse apud altare ecclesiae Rathsestorph, easque in distinctis urnis reconditas decorasse epir graphe adiecta, in qua de tribus hisce martyribus ait:

. . . . .***Quorum hic membra quiescunt ;***

Et post laudes s. Caeciliae, quod Christo Valerianum et Tiburtium lucrifecerit, subdit:

Has tres personas, romana ex urbe meantes
Suscepit Hraban, Christe, tuus famulus.
Patronosque sibi exoptans fieri, arte magistra
Ornavit tumulum, condidit et titulum.

Idipsum confirmat qui vitam Hrabani scripsit Rodulphus, cuius haec sunt verba, ***num.*** 48 ***pag.*** 17. « In quem locum ***(scilicet » Rathsestorph dioec. Fulden.)*** ossa B. Caeciliae Virginis et Mar» tyris et sanctorum Martyrum Tiburtii et Valeriani intulit, atque » in sarcophago saxeo post altare posuit, singulorum ossibus in » loculis singulis seorsum conditis, erectamque desuper, ut moris » erat, ligneam tumbam auro paravit, et argento titulum quoque » rei gestae seriem declarantem. » Quid censuerit Laderchius super huiusmodi reliquiis, ex eius verbis desumitur, quae sunt: « Censendum ergo cognoscitur prioris illius translationis occasione ***» (scil. facta a Paschal I.)*** ex sacris s. Caeciliae sociorumque » exuviis particulam aliquam remansisse, quam Hrabanus deinde » obtinuit.» Ex eo autem quod Rodulphus et Hrabanus ***ossa et corpora*** memoret, nihil inde contrarium arguendum, iuxta Laderchium, cum per haec vocabula lato sensu sumpta reliquiae apud veteres significatae reperiantur. Quod confirmat auctoritate

s. Paulini Nolensis, s. Gaudentii Brixiensis, s. Gregorii Nazianzeni. «Nec officit, ita sequitur Laderchius, quod ipsam (scilic » particulam) corporum sive ossium aut plurali alio nomine praeco notaverat; nam antiquitas singulas etiam reliquias his nomi» nibus censere consuevit. »

Cum vero in argentea tabella inscriptio legatur a Card. Sfrondato apposita-s. Virginis corpus, praedictus D. N. Papa Clemens intactum immutatumque reposuit-patet haec verba lato sensu accipienda esse, cum ipse Card. Sfrondatus, ut innuimus, ***crauti fragmentum*** sibi retinuerit.

Haec principia rite adnotabat Consultor prae oculis habenda «sse in veterum monumentis explicandis iuxta quae praesentia earumdem reliquiarum, seu etiam, pro more loquendi, corporum Sanctorum in pluribus locis asseritur.

Unum post haec supererat Consultori, nempe rationes discutere quas ecclesia Albien. super reliquiis s. Caeciliae a se possessis in medium afferebat. Quae igitur in sua narratione Episcopus deiibaverat, ad trutinam revocatis, concludebat pro iuridica reliquiarum possessione. Constans enim traditio, quae innitebatur actis archivii ecclesiae Albien. solidum habebat fundamentum, nec unquam interrupta ostendebatur. Praeter enim opera quibus tit. ***Gallia Christiana tom.*** 1 ***pag.*** 33, Godescar ***vitae Sanctorum tom. \Q pag.*** **202;** producebatur factum quod an **1707** evenisse refert Boiler ***tom.*** 9 ***Vitae Sanctorum,*** cum nempe Card. De Bernis Archiepisc. Albien. consentiente Capitulo , ad preces Rmi D. De Cerisi Episcopi Lumbarien. particulam ex ossibus brachii s. Caeciliae donaverit pro ecclesia parrochiali ***d'Aquigmj*** dioeces. Ebroicen. Nullum igitur dubium ecclesiam Albien. in sui iuris possessione usque ad nostra tempora permansisse.

Facilis porro negotii fuit Consultori obiecta diluere in citata casus expositione. Praeterquam quod enim in instrumento authentico Cathedralis Albien. legitur ***os linum brachii,*** minime vero ***brachium integrum;*** quod sufficeret ad explodendum dubium; argumentum quod ipse Gueranger desumit ab inventione corporis s. Caeciliae facta an. 1599, ex dictis facile refellitur. Licet enim in inventionis relatione dicatur corpus ***integrum*** esse inventum; quisque intelligit quo sensu ista integritas sit accipienda, non videlicet stricte, sed iuxta morem ecclesiasticum et

historicum, quo ***integrum*** corpus dicitur, licet ab eo notabiles reliquiae fuerint extractae. Nec desunt nostri etiam temporis exempla. Corpora sanctorum Philippi Nerii, Aloysii Gonzagae, B. Card. Tommasii et, quem paucis abhinc annis veneramur, B. Pauli a cruce, quanquam dicantur integra in urnis requiescere ubi primum deposita fuere, scimus tamen Clementem VIII. ***costam*** s. Philippi PP. Qratorii Neapolis donasse; caput s. Aloysii ***Castilione*** venerari, Pium VII. Theatinis dono dedisse os e brachio B. Tommasii ; et ex corpore B. Pauli, ossa fuisse, debita facultate, extracta. Insuper Card. Sfondratus, qui integrum s. Caeciliae corpus in citata tabella asserit, sibi fragmentum cranii retinuit. Accedit denique quod exploratio medico-analytica corporis s. Caeciliae nunquam peracta fuit; sed tantummodo iuridica, quam Bosius meminit. Recensere tandem Consultor duxit regulas quas Benedictus XIV. in hisce quaestionibus proposuit sequendas ; et quas ad rem nostram mirifice prodesse censebat **(1).**

His itaque a Consultore erudite accurateque animadversis; propositum fuit dirimendum

« Utrum possit sicut antea ad fidelium venerationem exponi « brachium de argento continens ***os unum*** brachii s. Caeciliae.»

(1) Summus Pontifex Benedictus XIV. *in lib. IV. de Canonizat. Beat. Part. II. cap.* 24 *De identitate Reliquiarum,* ait, ad resolvenda huiusmodi dubia, « non » evidentiam metaphysicam aut physi- » eam, sed moralem sufficere, sive quae- » stio sit coram Ordinario, sive coram » Sacra Congregatione. » *Ibidem n.* 9. « Addendum vero, quod si non sufficeret » evidentia moralis ad habendam proba- » tionem identitatis reliquiarum, opus *D* esset ut duo testes omni exceptione » maiores deponerent, se vidisse tale os » ex. gr. desumptum ex corpore talis Beati » aut Sancti a se bene cogniti, idque » fuisse repositum in tali loco, a quo » sciunt nunquam fuisse remotum nec » potuisse ullo temporis momento re- » moveri; quae probatio utique est im- * possibilis, atque adeo quatenus tanquam » necessaria admitteretur, sacrarum Re- » iiquiarum identitatem destrueret.»Deinde addit: «Porro quia evidentia moralis » recipit plus et minus, maiores procul » dubio probationes sunt necessariae, «quando agitur de probanda identitate » Sanctorum corporum seu reliquiarum » in sacrorum Rituum Congregatione' » quam cum agitur de eadem probanda «coram Ordinario, cum Apostolica ap- » probatio maioris sit momenti quam » approbatio Episcopalis.»

Denique nihil ultra exquirendum monet, cum in iudicio identitatis reliquiarum fides scripta aut oculata habeatur: « Episcopi acquiescere debent cum seri- » pta vel oculata fide eis probetur.»

Quae verba propositae quaestioni sa. tisfacere quisque facile sibi suadebit*

RESOLUTIO.— Emi Patres Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositi re de more mature discussa die 14 Decembris 1857 respondere censuerunt: ***affirmative.***

Ex ns COLLIGES:

I. Magna in veneratione habendas esse vetustas constantesque ecclesiarum traditiones, quae authenticitatem suarum reliquiarum testantur.

II. ***Quare*** non facile deneganda est, vel in dubium ponenda earumdem reliquiarum authenticitas ob aliquas difficultates aliunde exortas, quae dictis traditionibus videantur opponi. Longissima enim traditionis possessio, et inducta praescriptio non eliditur nisi per peremptoriam exceptionem (1).

HI. Iuxta ecclesiasticum loquendi modum, dictionem vel inscriptionem illam, ***corpus Sancti...*** intelligi quoque consuevisse de aliqua corporis parte: sicut etiam ***corpus integrum Sancti...*** interdum dici, quamvis aliquae partes fuerint subtractae.

(I) Peremptoria exceptio ex. gr. esset, si detecto Romae sepulcro in quo corpus s. Caeciliae sancte veneramur, institutaque accurata analysi, repertum esset illud os brachii quod ecclesia Albiensis sibi vindicat. Quod tamen Romana Sedes in eiusmodi particularibus quaestionibus non facit.

Quin imo etiamsi ob hanc **peremptoriam exceptionem Reliquia Albiensis non esse ostenderetur s. Caeciliae, idest illius Virginis insignis de qua loquimur, non inde tamen exturbanda videretur Albiensis ecclesiae possessio.**

Alter Consultor **Illmus et Rrftus Felix Profili in archeologia christiana maxime versatus, qui suum eruditum votum in hac quaestione pariter scripsit, quamvis ob graves utrinque adductas ratio**nes **dubius haeserit, in rei tamen exitu** possessionem **ecclesiae Albiensis non esseexturbandam concludebat. Nam praeter hypothesim quam Consultor P. Angelini fecit atque illustravit, sequentem tradidit, quae potest inservire ad explicandas similes difficultates, quae ex multiplicatione reliquiarum eiusdem Sancti interdum fiunt.**

Cum multa ss. Martyrum corpora *eiusdem nominis* **inventa sint, et adhuc in romanis cryptis inveniantur, non raro contigit, sicut observat doctus Marangoni , ut eadem corpora eiusdem nominis in varias regiones translata, ex Scriptorum minus accurata peritia, credita fuerint alicuius celebrioris Sanctr eiusdem uominis. Hinc ex. gr. duo capita eiusdem Sancti, quod etiam de Sancta Caecilia contingere dicitur. Quid enim mirum si post inclytam martyrem Caeciliam ob eiusdem celebritatem et venerationem, aliis puellis idem nomen fueritimpositum, martyriumque pro Christo Domino deinde subierint? Quod etiam in quaestione de qua agimus contingere potuisse Consultor coniecturis non facile spernendis ostendebat.**

APPENDIX VII.

CIRCA STATUTA CAPITULARIA.

Angelus Lucidi in nuperrimo opere (quod Lectoribus nostris commendamus) de quo iam mentionem fecimus in antecedenti fasciculo, ac data opportunitate faciemus, loquens de tertio capite *Instructionis S. C. C. iussu Benedicti XIII.* editae super modo conficiendi relationes de statu ecclesiarum, sub Instructionis dictae verbis §. 3 *n.* 4: *an suas habeant constitutiones* (Canonici caeterique choro addicti) *et eas punctualiter observent,* de statutis capitularibus agit. Heic autem opportunum erit ad illustranda ea quae supra dicta sunt pag. 217, referre laudati Auctoris doctrinam, quae vix et ne vix quidem ab aliis Auctoribus attingitur. Sic autem *loc. cit, vol. I.pag.* 320 *et seqq.* scribit:

« Capitukun istud, in quo Bened. XIII. in sua Instructione quaerit; an Capitula suas habeant constitutiones, consentaneum est *Cap A. et* 5. *tit.* 2. concilii, quod habuit Romae 1725.-Porro in dicto Capite quarto Capitulis omnibus gravissime praecipit, ut constitutiones antiquas, siquas habent, depromant, et si non habent, saltem infra semestre sub ecclesiastici interdicti poena omnino conficiant, et utrasque antiquas et novas suo Capitula: quaeque Episcopo corrigenda, vel comprobanda praesentent.-Episcopi igitur (sic Pontifex) in iis examinandis, siquid contra ius, vel Trid. Conc. decreta, aut pontificias Constitutiones irrepsisse cognoverint, super eo consulant Sedem Apostolicam, aqua iuris remedia expectent. Consuetudines autem nonnisi rationabiles et honestas admittant, et, siquas a ratione declinasse, vel contra Breviarii, vel Missalis, Coeremonialis Episcoporum, Pontificalis, vel Ritualis romani Rubricas inolevisse , ac proinde indebitam legis speciem usurpasse compererint, eas vel corrigant, vel omnino delendas decernant. -

» In capite quinto methodum pro constitutionibus capitularibus proponit. - His praehabitis-(sic pergit) praecipuae Episcoporum partes erunt, ut tali methodo statuta ipsa et constitutiones condantur; quatenus quae ipsarum sint ecclesiar., et capi* tulor. origines fundationes, insignia, iura, consuetudines, redditus, onera, et munera suissub capitibus distinctis exprimantur, nihilque ia eis sit, quod a iuris dispositione, ct Congregationum decretis, usuque recepto, et approbato exorbitet, sed ilia apposite statuantur, quae pro opportunitate, et necessitate temporum, rerum et locorum, ad divini cultus augmea-

tum, sanctioris disciplinae observantiam, et ecclesiarum utilitatem statuenda iudicaverint. -

» Quamvis autem sanctiones Romanae synodi vim obligandi non exerant extra Campanam et Pisariam provinciam, nihilomimus quae hoc quarto, et quinto Capite disposita sunt, ad omnia totius catholici orbis Capitula extenduntur. Ait enim ipse Pontifex eo ipso loco. -«Hoc interim decretum una cum praecedenti, ut caeterorum- ecclesiarum Capitulis, et Collegiatis consulamus , ad Metropolitanos omnes extra hanc Synodum extendimus, qui primo in eorum concilio providas ipsas et plane necessarias praefatis super condendis statutis sanctiones publicare meminerint, et exsecutionem sedulo promovere.»-In quo summus ille Pontifex sese obsequi professus est menti sui decessoris s. m. Clementis XL, qui similes a se editas dispositiones iu prima, et secunda synodo Beneventi, cuius Archiepiscopali in minoribus Bened. XIII. praefuerat, laudavit, et exsecutione observari institit suis Apostolicis literis, quas grati animi ergo in appendice eiusdem concilii integras referri voluit.

» Huic saluberrime praescriptioni fideliter inhaerens S. C. C. quoties (ita Folium *Puieolanae Servit. Chor.* 26 *Februar.* 1842. §. *unam,* postquam, sanctione Romanae synodi allegata, ad omnes ecclesias productam eam fuisse animadverterat, prosequitur) capitularia statuta mendis scatentia deprehendi!, velV abrogavit omnino, vel eorum reformationem iuxta ss. cc. leges, ut praesertim in *Valven.Serv. Chor.* 24. *Novemb.* 1838., necnon ea confici iussit, si nulla existerent, ut in *Alben. Servitii Chori diei* 23. *Mart.* 1859. Idemque praestitit io ea ipsa *Puteolana* resoluta 24. *Iunii illius anni.* Proposito namque tertio dubio: « An et quomodo iniungendum sit capitularibus, ut constitutiones sibi conficiant in casu:» Responsum prodiit: *Affirmative, et Capitulum conficiat intra sex menses constitutiones a novo Episcopo approbandas.* Quamvis autem Valvensis ecclesk Romanae synodo, uti suffraganea, subsit, non ita tamen est de ecclesia Albensi et Puteolana.

«Huc accedit; quod eadem S. C. ex constanti disciplina in hoc argumentum sollicite suam attentionem convertit , quoties in exponendis dioeceseon relationibus suspicionem conceperit, quod Capitula constitutionibus careant, aut mendosis utantur, vel utcumque a praesenti disciplina abhorrentibus. Quapropter postquam debitas hac super re notitias exquisivit,et recepit, nullo habito discrimine ecclesiarum, an concilio romano subsint, necne; imo etiamsi in exteris nationibus existant, si nulla adsunt, intra congruum tempus ab Episcopo praesignandum confici iubet, si vero mendosae sint, emendari, et eorrigi praescribit. Hoc tamen opus a Capitulis ipsis condendum est iuxta normas in decre-

tis concilii romani praescriptas. Quod cum ad exitum perductum fuerit, Episcopo exhibendum est, ut, maturo adhibito consilio, corrigat, ac dein suae auctoritatis calculo approbet, atque corroboret. Sed si Capitula ultra spatium constitutum negligenter se gerant, S. C. C. mandat Episcopis, ut constitutiones ipsi conficiant, easque Capitulo observandas iniungant. In hanc porro sententiam pro opportunitate communiter solere rescribi, quotidiana docet experientia.

» Ex his , quae modo statuimus, quisque videt, pertinere ad Episcopos statuta capitulorum, quae in eius dioecesi extant , episcopali sua auctoritate munire; ac proinde non solet S. C. huiusmodi statutis capitularibus ex ordinaria disciplina omni ex parte prorsus expendendis, et comprobandis manus apponere. Integrum tamen est eamdem S. Congregationem consulere, siquid in peculiaribus casibus occurrat penitiore disquisitone dignum, quod episcopali auctoritate definiri non possit: id enim consentaneum est dispositioni concilii romani in quo monentur Episcopi, ut in casibus ibi indicai is *Apostolicam Sedem consulant, a qua iuris remedia ex— pectent.*

» Nihilominus identidem usuvenit, ut sive Capitula, sive Antistites ipsi capitularium statutorum opus S. Congregationi praesentent, ut eadem cognoscat, suaque sanctione comprobet. At vero nonnisi perraro, et gravissimis tantum intervenientibus causis, eadem hoc sibi munus assumit. Aliquando, ut Episcopis id enixe flagitantibus rem gratam faceret, S. C. extra ordinem annuit, ut non in plenis comitiis, sed, ut ita dicam, privata quodammodo forma constitutiones capitulares per aliquem ex suis Consultoribus excuteret, et opportunas in illis pro re nata animadversiones praenotaret. Has autem Episcopis animadversiones remittens diserte significavit, ut easdem prae oculis sibi ponerent, earumque rationem, et respectum haberent: de caetero sibi satis esset easdem constitutiones ordinariae suae auctoritatis decreto roborare, quin opus foret, ut suam Apostolica Sedes potestatem adiiceret.

» Inter multas, quae S. Congregationi oblatae sunt, constitutiones, aliquae compertae sunt nonnunquam sic imperfectae, ut opus informe, mancum, et fini proposito minime conducenspraeseferretit.Itaque rem non inutilem nos facturos esse ducimus, si paullo enucleatas hanc materiam evolvemus. Id autem ita assequi posse censemus , si in exemplum proponamus aliquod huiusmodi statutorum corpus, quod accuratius, et perfectius videatur, non quidem toto, prout iacet, opere offerendo, sed eorumdem capitibus distincte recensendis. Seligimus speciatim constitutiones Cathedralis Centumcellarum conditas, auspice et duce cl. mem. Cardinali Falza-

cappa, viro rei civilis, et canonicae peritissimo, qui Secretarii S. Congreg. Concilii munere functus fuerat, et Praefectus erat utriusque Signaturae (***Romae ex Typographia Contadini*** **1840); ideoque eo magis, quod ille opera usus est virorum rei ecclesiasticae scientia peritisiguium, qui postea primos Romanae Curiae honores et munera adepti sunt.**

» Igitur Centumcellarum illa statuta in prima pagina praefationem praeseferunt, in qua iuxta normam a concilio romano propositam ecclesiae origo, gradus honorum subsequo tempore acquisiti, privilegia a Summo Pontifice impetrata describuntur. Sequuntur totidem distincta capita, videlicet: ***De Canonicis, eorum admissione, et praecedentia; De servitio ecclesiae, et vacationibus; De divinis officiis, et eorum celebratione; De missa conventuali; De redditibus ecclesiae, De capitulis, seu capitularibus conventibus; De officialium eorumque electione; De officio camerarii; De officio syndacorum; De officio Praesidis causa*rum; De officio Secretarii; De officio Archivistae ; De officio Punctatoris ; De praeposito, qui prima dignitas est cum cura animarum; De Canonico theologo; De Canonico poenitentiario; De sacrarum coeremoniarum Magistro; De Beneficialis idest Mansionariis; De constitutionum vi et interpretatione.***

Post haec in appendice affertur ***Tabella distributionum, ubi de (er minatur, quantum cuique pro singulis horis, et sacris functionibus iuxta dierum diversitatem oblingat;*** **dei n** ***Tabella dierum solemniorum ; Tabella Missarum , in quibus Missa et Vesperae a r. p. d. Suffraganeo celebrantur:*** **eo siquidem tempore Centumcellarum ecclesia a cardinali suburbicario regebatur ;** ***Tabella dierum, quibus Missa canenda est a Canonico poenitentiario; Tabella anniversariorum ; Tabella horaria; Formula iuramenti praestandi per Fundatorem; Iuramentum quotannis emittendam per singulos officiales.*** **Finem imponit** ***Decretum approbationis ab eifio card. Falzacappa editum.****

APPENDIX VIII.

CIRCA PRAXIM S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE SUPER IMPEDIMENTO PUBLICAE HONESTATIS EX VALIDIS SPONSALIBUS ORTO.

Praxis Apostolicae Datariae differt aliquantulum a praxi Apostolicae Poenitentiariae circa dispensationes quae conceduntur super impedimento publicae honestatis, ex validis sponsalibus orto. Eiusmodi •discrimen in boc consistit, quod Dataria exigit ut in precibus declaretur *soluta iam esse sponsalia* per quae hoc impedimentum conditcanitur, *sive per mortem, sive per •sponsorum consensum.* Haec enim est formula quam Dataria servat: « Pius Episcopus etc. NN. laici et » NN. mulieris, N. dioecesis petitio continebat, quod alias scien- *> tes impedimentum primi gradus « publicae honestatis iustitiae inter » eos existere et ex eo proveniens, » quia alias dicta Oratrix sponsalia » per verba de futuro cum prae- * fati Oratoris fratre germano con- » traxit et deinde sponsalia huius- » modi de communi Oratricis et » Oratoris fratris germani praefa- « torum consensu eadem Oratrix « ab eodem dicti Oratoris fratre *> germano omnino intacta et in * nuilo penitus attentata remanente » dissoluta fuerunt.,..»

Econtra S. Poenitentiaria eiusmodi sponsalium solutionem per mutuum consensum faciendam ipsa iniungit in literis, quibus Commissario seu Delegato dispensandi facultatem committit: sequentem enim suis literis apponit clausulam: *dummodo priora sponsalia mutuo consensu fuerint resoluta.*

Haec tamen clausula a S. Poenitentiaria omitti solet, si Oratores, existente eiusmodi publicae honestatis impedimento, matrimonium, quamvis irritum, contraxerint.

Ut res exemplo fiat clarior, sit casus: Caia contraxit valida sponsalia cum Livio, deinde contrahit m-atrimonium cum Titio fratre germmo Livii ; cum eiusmodi matrimonium sit nullum ob impedimentum quod dicitur iustitiae publicae honestatis, tum Caia, tum Titius postulant ab Apostolica Sede dispensationem ut valide contrahere valeant: boc in casu si pauperes Oratores preces S. Poenitentiariae porrigant, in literis quarum executio Ordinario loci committitur, non apponitur praefata clausula. Eadem clausula pariter omittitur in facultatibus quas S. P. quibusdam Episcopis ratione adiunctorum loci et temporum impertitur, ut dispensare valeant super nonnullis impedimentis. In hac enim re facultas ipsis Episcopis tribuitur his verbis: *dispensandi ab impedimento publicae honestatis in matrimoniis iam contractu; ita ut contrahentes quorum matrimonium ob memoratum impedimentum irritum fuit coram Parrocho et duobus testibus, renovato consensu, rite contrahere valeant.*

Adiectio autem, vel omissio huius clausulae quid secumferat cuique facile patet : clausulae enim non inconsulto adiiciuntur vel omittuntur.In priori itaque casu, quando dicta clausula apponitur , Delegato dispensandi facultas sub ea conditione conceditur: in altero autem casu, quando ea clausula non adiun-

gitur, eiusmodi sponsalium praesolutio per mutuum consensum, ad valide dispensandum non exigitur.

Expedit paulisper inquirere, quam ob causam S. Poenitentiaria post matrimonium contractum non iniungat Commissario ut prius impleatur dicta conditio.

Sponsus qui altera parte renuente, a sponsalibus resilivit, et matrimonium in praeiudicium eiusdem renueutis partis contraxit, sponsalium fidem violavit, et obstringitur saltem obligatioue reficiendi damna ex sua agendi ratione parti insonti illata; sed res eo devenit post matrimonium,quamvis nulliter contractum, ut priorum sponsalium observantia moraliter impossibilis evaserit.

Quod facile ex sequentibus intelligitur: matrimonium quod consummatur (ut contingere solet) impedimentum affinitatis parit in primo gradu ex. gr. inter sponsum qui contraxit priora sponsalia , et sponsam sororem praesumptae uxoris. Eiusmodi impedimentum, quod ex illicita copula supervenit, iuxta communem theologorum sententiam sine effectu reddit obligationem exdictissponsalibus provenientem.Quamvis autem obligari sponsus culpabilis censeatur ad dispensationem petendam super hoc inducto affinitatis impedimento, ut obligationi sponsalium priorum satisfaciat; nihilominus, iuxta communem theologorum sententiam, eiusmodi obligatio cessat, si sponsus obligationi satisfacere non possit *absque incommodo et damno suo gravi,* ut ait Schmalzgrueber *Tit. de Spons.n.* 212. Porro in eiusmodi casibus de quibus agimus non possent generatim sponsalia priora effectum sortiri sine laesione propriae famae, sine magno scandalo, sine damno prolis non raro iam conceptae , et interdum natae, si sponsus, qui obligatur,derelinquat praesumptam uxorem, ut contrahat cum eius sorore.

Haec quae diximus alteram quaestionem nobis suggerunt. Quid erit dicendum si illi, qui ob impedimentum publicae honestatis coram Ecclesia contrahere non possunt; contrahant tamen coram civili magistratu, (ubi commentum matrimonii civilis inter catholicos est invectum); exigendane erit priorum sponsalium solutio per mutuum consensum priusquam dispensatio concedatur super impedimento publicae honestatis? Scimus pariter S. Poenitentiariam se abstinere ab eiusmodi conditione imponenda. Rationes eaedem esse videntur; quin imo altera fortior accedit: namque coram civili lege eiusmodi sponsi, ut veri coniuges considerantur, ac si insolubile matrimonium contraxisset; proindeque eo res certo devenit, ut priorum sponsalium observantia moraliter impossibilis evaserit.

Quid pariter erit dicendum *x. gr. si Titius valida sponsalia contraxit cum Caia , deinde derelicta Caia matrimonium civile contrahat cum qualibet alia muliere , debetne Ordinarius cogere Titium ut contrahat cum Caia in faciem Ecclesiae? Ex dictis rationibus non videtur Ordinarius cogere posse Titium ; non enim Caia cogere potest suum sponsum ad servandam promissionem quae in effectum deduci non potest, quamvis ipsa damnorum compensationem prout et quatenus de iure exigere potest. Haec insuper confirmari possunt ex *Cap. Cum in tua de Sponsalibus* , et ex iis quae docet Sanchez *lib. I. deSponsal. disp.* 15 *n.* 3 *et disp* 50 *n.* 6.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

***Die* 29 *Octobris* 1866.**

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. habuit die 29 Octobris mane Consistorium Secretum in Apostolicis Aedibus Vaticanis, in quo animi sui votum pandidit Sanctorum Catalogo accensendi B. Paulum a Cruce Fundatorem Clericorum Excalceatorum a Passione Domini nostri Iesu Christi nuncupatorum, quem solemni ritu Beatum decreverat armo MDCCCLIIl. mense Maio. Tum Emum ac Rmum Dominum Cardinalem Patrizi Episcopum Portuens. et S. Rufinae, utpote SS. Rituum Congregationi Praefectum, de eiusdem Beati Causa referre iussit, ut Emi ac Rmi Domini Cardinales super eadem suam possent sententiam expromere. Quod cum ille perfecisset, summatim exponendo Apostolici viri vitam, et eximias virtutes, et extraordinaria charismata quibus a Deo fuerat abunde donatus, ac demum Actorum summam quae in huius Causae prosecutione gesta fuerant, idem Summus Pontifex E mos ac Rmos Cardinales rogavit utrum procedi posse existimarent ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem; qui omnes singillatim annuerunt verbo ***Placet.***

Tum Sanctissimus Pater suam voluntatem patefecit procedendi ad solemnem B. Pauli a Cruce Canonizationem: quae antequam fìat, die statuendo caetera Consistoria indicenda curabit, in quibus votum non modo Emorum ac Rmorum Cardinalium , sed et Episcoporum convocandorum expresse roget ac dignoscat, ut in re tanti momenti pro Ecclesia catholica ea qua par est consilii maturitate procedat.

DEIN PROPOSUIT AC DESIGNAVIT.— ***Ecclesiam Cathedralem Spalateti, in Dalmatia*** Antistiti Marco Calogera translato ab Ecclesia Cataren.

TUM DEMUM SEQUENTES ELECTIONES PUBLICAVIT PER s. CONGREGATIONEM DE PROPAGANDA FIDE POST ULTIMUM CONSISTORIUM FACTAS.——Pl*0-positae igitur fuerant ***Ecclesia Metropolitana Armacan. in Hibernia*** Rev. quondam Vicario Generali ac nuper Capitulari eiusdem Urbis et Archidioeceseos.

Ecclesiae Cathedrales unitae Hagulstaden. et Novocastren. in Anglia. Rev. Domino Iacobo Chadwich, antea Canonico Ecclesiae Cathedralis Beverlacen.

Ecclesia Episcopalis Arcadiopolitan. in Partibus Infidelium Revdo Domino Iacobo Lynch e Congregatione Missionis, Rectori Collegii Hibernensis Parisiis, Deputato Coadiutori cum futura successione Antistitis Ioannis Gray Episcopi Hypsopolitan. in Partibus Infidelium, et Vicario Apostolico Districtus Occidentalis Scotiae, Glascovii.

Ecclesia Episcopalis Bethsaiden. in Partibus Infidelium Reverendo Domino Samueli Augustino Sheehy Ordinis S. Benedicti, Vicario Generali Urbis et Archidioeceseos Sudneyen. Deputato Auxiliari Antistitis Ioannis Polding, Archiepiscopi Sudneyen.

In eodem Consistorio praeter Allocutionem respicientem canonizationem B. Pauli a Cruce, Sanctissimus duas alias habuit Allocutiones, quae publici iuris factae sunt, quasque integias heic adiicimus.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX.

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XXIX. OCTOBRIS MDCCCLXVI.

Venerabiles Fratres

«Non semel, Venerabiles Fratres, afflictas iamdiu in Italia sanctissimae nostrae religionis res, gravissimasque Nobis, et Apostolicae Sedi a Subalpino Gubernio illatas iniurias, tum Nostris Litteris in lucem editis, tum variis Allocutionibus in hoc amplissimo Vestro consessu habitis, pro Nostri Apostolici muneris officio deploravimus, ac vel facile intelligitis quanto in dies conficiamur moerore, cum videamus, idem Gubernium maiore quotidie impetu catholicam Ecclesiam, salutares eius leges, sacrosque ministros indesinenter impetere. Etenim proh dolor ! Sacrorum Antistes, et integerrimi utriusque Cleri viri, et alii honestissimi catholici cives, nulla religionis, iustitiae, ac vel ipsius humanitatis ratione habita, ab ipso Gubernio magis in dies vel in exilium eiecti, vel in carcerem detrusi, vel ad coactum domicilium damnati, indignis quibusque modis vexati, Dioeceses cum maximo animarum damno suis orbatae pastoribus , Virgines Deo sacrae a propriis Monasteriis expulsae, et ad mendicitatem redactae, Dei Templa violata, episcopalia Clericorum Seminaria clausa, miserae iuventutis institutio christianae disciplinae erepta, erroris, et iniquitatis magistris commissa, et Ecclesiae patrimonium usurpatum ac distinctum.

» Cum autem Gubernium idem, ecclesiasticis despectis censuris, ac iustissimis Nostris, et Venerabilium Fratrum Sacrorum in Italia Antistitum reclamationibus plane spretis, plures con-

stituerit leges catholicae Ecclesiae, eiusque doctrinae, iuribusque maxime adversas, et idcirco a Nobis damnatas, non dubitavit quoque de civili, ujj appellant, matrimonio legem ferre, quae non solum catholicae doctrinae, verum etiam civilis societatis bono summopere adversatur. Hac enim lege matrimonii Sacramenti dignitas, et sanctitas proculcatur, eiusque institutio evertitur, ac turpissimus fovetur concubinatus. Namque inter fideles matrimonium esse non potest, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, ideoque ad Ecclesiae potestatem omnino spectat ea omnia decernere, quae ad matrimonii sacramentum possunt pertinere.

» Atque etiam idem Gubernium manifeste laedens publicae Consiliorum Evangelicorum professionis statum, qui in Ecclesia Dei semper viguit et vigebit, planeque contemnens maxima beneficia Regularium Ordinum, qui a Sanctis viris fundati, et ab Apostolica Sede probati tot gloriosis laboribus, ac piis , utilibusque operibus de christiana , civili , ac litteraria republica optime sunt meriti, minime reformidavit legem sancire, qua in omnibus regionibus sibi subiectis omnes utriusque sexus Religiosas Familias suppressit, earumque omnia, et alia multa Ecclesiae bona sibi usurpavit, ac dividenda constituit. Antequam vero in possessionem Venetae Provinciae pedem poneret, ad illas quoque regiones eadem decreta et easdem leges extendere non dubitavit, et Conventionem a Nobis cum Carissimo in Christo Filio Nostro Francisco Iosepho Austriae Imperatore initam ibi penitus delendam, ac nullam vim nullumque robur habere contra omnes leges et iura decrevit.

»Itaque iuxta gravissimum Nostri apostolici ministerii officium in hoc nobilissimo Vestro conventu iterum pro Religione , pro Ecclesia, sacrisque eius legibus, pro huius Petri Cathedrae iuribus et auctoritate Pontificiam Nostram vocem attollimus, et omnia et singula, quae sive in his, sive in aliis rebus ad Ecclesiam , eiusque iura pertinentibus contra ipsam Ecclesiam, et illius iura ac' leges a Subalpino Gubernio , et ab inferioribus quibuscumque Magistratibus decreta , gesta et attentata sunt, vehementissime querimur et reprobamus. Ac decreta ipsa cum omnibus inde sequutis Auctoritate Nostra Apostolica abrogamus, ac nullius ororsus roboris et valoris fuisse et fore declaramus.

Ipsi autem illorum auctores, qui christiano nomine gloriantur, •meminerint, ac serio considerent, se misere incidisse in censuras, poenasque spirituales, quas Apostolicae Constitutiones, **ct** Oecumenicorum Conciliorum Decreta in Ecclesiae iurium invasores ipso facto incurrendas infligunt.

» Nostis autem, Venerabiles Fratres, quomodo quidam homines callidi Nobis obiiciant, et ad eorum arbitrium perperam interpretentur Benedictionem, quam Italiae impertivimus, ubi nullis certe Nostris meritis, sed inscrutabili Dei iudicio ad hanc Apostolicam Sedem evecti veniae pacisque verba pro Nostra in Pontificiae Ditionis populos charitate sponte emisimus. Equidem Nos, •de universi Dominici gregis bono veraque felicitate vehementer solliciti, tunc Italiae bene precantes a Deo humiliter impenseque efflagitavimus , ut eam ab impendentibus malis liberaret, utque pretiosissimum catholicae fidei donum in Italia maiorem **in** modum vigeret, ac morum honestas, iustitia, charitas, omnesque christianae virtutes quotidie magis efflorescerent. Atque etiam nunc haud omittimus ferventissirnas Deo semper adhibere preces, ut catholicos Italiae populos propitius eripiat a tot ac tantis omnis generis calamitatibus , quibus Italiae moderatorum, et multiformis persecutionis opera misere opprimuntur , ac divexantur. in primis vero clementissimum Dominum exoramus, ut eosdem italiae populos caelesti sua ope adiuvet et roboret, quo in divina sua fide et religione stabiles et immoti permaneant, et •christiana fortitudine tot adversa ac plane tristia ferre ac tolerare possint.

» Desipiunt vero qui ex hoc inferunt, et exposcere non desinunt, ut Nos per apertissimam iniustitiam, pluribus Pontificiae Nostrae Ditionis provinciis iam spoliati, civilem Nostrum et Apostolicae huius Sedis principatum eiuremus. Quisque certe videt, quam iniusta, et quam perniciosa Ecclesiae sit huiusmodi petitio. Singulari enim Divinae Providentiae consilio, veluti alias innuimus, factum est, ut, Romano Imperio everso, et in plura .regna diversasque ditiones diviso, Romanus Pontifex in tanta Regnorum varietate, ac praesenti humanae societatis statu ei vilem suum principatum haberet, quo nulli unquam civili potestati subiectus omni libertate supremam suam auctoritatem iurisdictionem:] ue in universam Ecclesiam sibi a Christo Doni,no

divinitus collatam exerceat; ac fideles ipsius Pontificis decretis, monitis, mandatis plena conscientiae tranquillitate et fiducia obsequantur, acquiescant, quin unquam vel leviter suspicari queant,, ipsius Pontificis acta alicuius Principis , civilisque potestatis voluntati et impulsui esse ullo modo obnoxia. Nos itaque civilem Principatum divino Providentiae consilio in bonum universalis Ecclesiae constitutum non solum renunciare haud possumus,, verum etiam omnia ipsius civilis Principatus iura debemus strenue tueri ac defendere, et saerMegam Sanctae Sedis provinciarum usurpationem vehementer expostulare, veluti saepe expostulavimus, et hac quoque occasione etiam atque etiam expostulamus- et reclamamus. Omnes autem agnoscunt quanto studio sacrorum* catholici orbis Antistites civilem Nostrum, et huius Apostolicae Sedis principatum tum voce, tum scriptis propugnaverint, ac declaraverint, eumdem principatum in praesenti potissimum rerum mundanarum conditione necessarium omnino esse ad plenam Romani Pontificis in universo catholico grege pascendo libertatem tuendam et vindicandam, quae cum totius Ecclesiae libertate est plane coniuncta.

«Neque huiusmodi homines verentur cia mitare, Nos debere eum Italia, scilicet cum nostrae religionis hostibus, qui Italiam se constituere iactant, in gratiam redire. Sed quomodo Nos, qui sanctissimae religionis, salutaresque doctrinae, ac virtutis iustitiaeque assertores et vindices constituti omnium salutem procurare debemus, cum iis convenire unquam possumus, qui sanan* non sustinentes doctrinam , et a veritate auditum avertentes a Nobis fugiunt, ac ne illis quidem Nostris desideriis et postulationibus obsequi voluerunt, quae eo spectabant, ut tot in Italia Dioeceses pastorali orbatae solatio et praesidio suos haberent Episcopos ?

» Utinam vero ii omnes, qui Ecclesiam, Nos, et nane Apostolicam Sedem tam vehementer oppugnant, oculos animumque in veritatem iustitiamque intendentes aliquando illuminentur, ct resipiscant, ac in se reversi, et animarum suarum bono consulentes salutari poenitentia adducti ad Nos venire contendant* Nihil certe Nobis gratius esse posset, quam Evangelici Patris more et exemplo illis occurrere, eosque complecti summopere in Domino gaudentes, quod filii mortui erant, et revixerunt >

perierant, et inventi sunt. Ac tune plane perspicerent quantum augusta nostra religio virtutum omnium foecunda parens et altrix, ac vitiorum expultrix, tum privatae cuiusque, tum publicae omnium felicitati conducat. Ubi enim ipsa religio, eiusque salutaris dominator doctrina, ibi necesse est, ut morum honestas, integritas, pax, iustitia, charitas, et omnes virtutes vigeant; nec populi illis gravissimis divexantur malis, quibus misere opprimuntur , ubi eadem religio, eiusque doctrina despicitur et conculcatur.

» Iam vero ex luctuosissimis factis raptim, dolonterque commemoratis , atque ex tristissimis quotidianis in Italia eventis omnes vel facile videre et coniicere, possunt, quibus quantisque haec Apostolica Sedes sit obiecta periculis, et quomodo acerbissimis rebellionis minis, inoredulorum odiis, et inimicorum Crucis Christi iris exposita. Furiales undique voces continenter personant, quibus acerrimi hostes clamare non cessant, hanc urbem Romam funestissimae huius Italicae perturbationis, ac rebellionis participem, immo caput esse debere. At dives in misericordia Deus haec impia inimicorum hominum consilia ac desideria omnipotenti sua virtute disperdat, et nunquam permittat, ut alma haec Urbs Nobis carissima, ubi maximo, ac plane singulari suo beneficio Petri Cathedram collocavit, quae inexpugnabile est divinae suae fidei religionisque fundamentum, ad calamitosissimum illum redeat statum a sancto Praedecessore Nostro Magno Leone tam graphice expressum (1), cum primum Beatissimus Apostolorum Princeps eamdem hanc urbem tunc mundi Dominam est ingressus.

» Nos quidem etiamsi omni fere humana ope destituti, tamen officii Nostri probe memores, et omnipotentis Dei auxilio omnino fidentes, parati sumus cum ipsius vitae discrimine Ecclesiae causam Nobis a Christo Domino divinitus commissam impavide propugnare, et si oportuerit, ea«i adire regionem, ubi meliore, quo fieri possit, modo, supremum Nostrum apostolicum ministerium exercere valeamus.

» Cum autem in tom horribili procella unicum, ac validissimum praesidium sit oratio, idcirco omnibus Venerabilibus Fratribus totius catholici orbis Sacrorum Antistitibus, universo catholico

(!) S. Leo Serm. 82 alias 80 in Natal. Apostolor. Petri et Pauli.

Clero, et cunctis Sanctae Matris Ecclesiae filiis, qui tot splendida erga Nos amoris et observantiae testimonia exhibere, et gravissimis Nostris et huius Sanctae Sedis angustiis opitulari nunquam destiterunt, etiam atque etiam inculcamus, ut omni fide, spe et charitate orationes et obsecrationes Deo semper offerant ad Ecclesiae hostes expugnandos, illosque ad salutis semitas revocandos. « ***Magna enim,*** ut Chrysostomi verbis utamur, ***arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, » tutissimus locus, modo sobrii et vigiles Dominum adeamus, v mente nostra undique collecta, inimicoque nostrae salutis nidlo » aditu permisso (i).»*** In tantis autem, quibus opprimimur, laboribus , non mediocri certe utimur consolatione probe agnoscentes, Deum, quando Ecclesia sua humanis destituitur auxiliis, mira operari prodigia, quae suam omnipotentiam, divinamene dexteram evidentissime manifestant, planeque confirmant, inferi portas nullo unquam tempore praevalituras adversus Ecclesiam, quae proinde de suis hostibus semper triumphans immobilis stabit usque ad consummationem saeculi. Verum summopere dolendum, quod certum non sit, hanc, vel illam nationem pretiosissimum divinae nostrae fidei, religionisque thesaurum semper esse servaturam. Et quidem multi existunt populi, qui olim fidei depositum, morumque disciplinam fideliter custodiebant, nunc heu! ab ea divulsi sunt petra, cui Ecclesiae aedificium innititur, et ab eo seiuncti, cui potestas tradita confirmandi fratres, ac pascendi agnos, et oves, atque inter se dissidentes, et errorum tenebris obruti in maximo salutis suae discrimine versantur. Atque hic haud possumus, quin pro Nostri muneris ratione omnes Summos Principes, aliosque populorum Moderatores vehementer in Domino obtestemur, ut aliquando intelligant, ac sedulo considerent gravissimum, quo tenentur, officium curandi, ut in populis religionis amor, cultusque augeatur, ac totis viribus impediendi, quominus in eisdem populis fidei lumen extinguatur. Vae autem illis Dorninantibus, qui obliviscentes sc esse Ministros Dei in bonum, praestare id neglexerint, cum possint, ac debeant; et ipsi vehementer paveant g t contremiscant, quando sua praesertim opera pretiosissimum destruunt thesaurum catholicae fidei, sine qua impossibile est

(i) S. Ioan. Chrysost. Homil. 30 in cap. ii Genesis.

placere Deo. Namque ante tribunal Christi durissimum subeuntes iudicium videbunt quam horrendum sit incidere in manus Dei viventis, ac severissimam eius experiri iustitiam.

«Denique dubitare non possumus, quin Vos, Venerabiles Fratres, Nostrorum laborum testes ac participes, pro eximia et perspecta vestra religione, pietate, ac singulari rei catholicae studio, una, cum Nobismet universa Ecclesia velitis fervidas coniungere preces, et clementissimum misericordiarum Patrem assidue obsecrare, ut per merita Unigeniti Filii sui Domini Nostri Iesu Christi misereatur Italiae, ac totius Europae, et universi orbis, et divina sua omnipotentia efficiat, ut, omnibus profligatis erroribus, aerumnis, ac perturbationibus, Ecclesia sua sancta ubique terrarum omni libertate ac pace fruatur, et humana societas a tantis, quibus iactatur, malis liberetur, omnesque populi occurrant in unitatem fidei, et agnitionis Filii eius ambulantes per semitas Domini, et in omni bono opere fructificantes.»

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

PII

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE IX,

ALLOCVTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

DIE XXIX. OCTOBRIS MDCCCLXVi.

Venerabiles Fratres

«Luctuosum et nunquam satis deplorandum catholicae Ecclesiae in Poloniae Regno, ac Russiarum Imperio statum cum summo animi Nostri moerore lamentari, cogimur, Venerabiles Fratres. Optime cognoscitis, Nos vel ab ipso supremi Nostri Pontificatus exordio summopere cupientes afflictis ibi sanctissimae nostrae religionis rebus, ac spirituali illorum fidelium bono consulere, omnia suscepisse consilia, atque etiam cum Serenissimo ac Potentissimo Russiarum Imperatore, et Poloniae Rege Illustri iniisse Conventionem. Sed irritae fuere Nostrae omnes sollicitudines. Namque non solum illa Conventio maxima ex parte haud fuit executioni mandata, ac omnino despecti gravissimi illi omnes Articuli, qui iuxta promissiones ad optatum exitum erant adducendi, verum etiam magis quotidie conculcata fuere pacta, ac promissa ab ipsis Russiarum Imperatoribus ac Poloniae Regibus facta, et bellum a Russico Gubernio rei catholicae iamdiu indictum maiorem in modum asperrimis hisce temporibus fuit conflatum ad catholicam fidem in illis reeionibus funditus evertendam. Nihil autem valuerunt Nostrae expostulationes per Nostrum Cardinalem a publicis negotiis factae apud illud Gubernium, nihil Nostrae Litterae ad ipsum Serenissimum Principem scriptae, quibus nullum fuit datum responsum (1). Atque hic omittknus denuo percensere numerando

(I) **Lit. 22 Aprii. 1863.**

ea omnia, quae in Nostra Encyclica Epistma au venerabiles Fratres Sacrorum Poloniae, et Russiarum Imperii Antistites data, typisque edita vehementer deploravimus **(1).** Idem enim Gubernium maiore in dies insectatione catholicam oppugnans Ecclesiam semper impedivit, quominus Chelmensis Episcopus tres ct amplius abhinc annos a Nobis renunciatus episcopalem posset consecrationem accipere. Postquam vero Venerabilem Fratrem Sigismundum Varsaviensem Archiepiscopum a suo grege •divulsum in longinquas amandavit regiones, ei severissime interdicta omni cum suae Dioecesis fidelibus communicatione, Dilectum quoque Filium Paulum Rzcwuski illius Vicarium Generalem et suffrganeum Episcopum Prusensem in partibus Infidelium a Nobis electum, et nunquam ob impedimenta ab ipso Gubernio allata consecratum militari manu comprehensum in exilium eiecit. Atque id, propterea quia idem Vicarius de ecclesiasticis negotiis Rescripta a Nobis motu proprio data ad alios Poloniae Ordinarios perferenda curabat. Vix autem eodem Vicario Generali in exilium pulso, non dubitavit civilis Varsaviae Praeses Metropolitani Templi Varsaviensis Canonicos ad se vocare, eisque praecipere, ut, nulla interposita mora, Vicarium Capitularem a se propositum eligerent. Quibus iniustis mandatis iidem Canonici merito, et cum eorum laude obstiterunt, cum potissimum praesto essent alii, qui ab Archiepiscopo Varsaviensi ad Vicarii Generalis munus obeundum fuerant destinati, quoties commemoratus Dilectus Filius Paulus Rzewuski fuisset expulsus, quemadmodum infeliciter evenit. Wilnensis autem Episcopus a sua Dioecesi abreptus iamdiu in exilio misere vivit, quin ullo modo episcopale suum munus exercere, et gregis sibi commissi bono consulere possit.

» Insuper, Venerabiles Fratres, promulgata ab eodem Gubernio sunt decreta, quibus catholica Ecclesia, eiusque auctoritas, le-.ges, ac disciplina proculcantur. Namque hisce decretis omnia pene Regularium utriusque sexus Ordinum Coenobia de medio sublata fuere, atque omnia cuiusque Regularis Ordinis bona publico aerario adiudicata, et paucissimae Religiosae Familiae, quae adhuc supersunt, a suorum Summorum Moderatorum regimine abstractae, et Ordinariorum iurisdictioni subiectae, et universus Ca-

(1) Epist. Encycl, die 30 Iulii 18(54.

tholicus Clerus tum in Polonia, tum in Russiarum Imperio omnibus suis bonis vel ad Episcopos, vel ad Canonicorum Collegia^ vel ad paroecias, vel ad ecclesiastica beneficia, vel ad quaelibet alia pia, et religiosa instituta pertinentibus spoliatur, et eorumdem bonorum redditus publici aeris alieni administrationi committuntur. Atque eisdem decretis contra ecclesiasticas leges, contra supremam huius Sanctae Sedis auctoritatem , et omnia iura statuitur nova catholici Cleri dispositio, nova in omnibus Dioecesibus cuiusque Canonicorum Collegii existendi ratio, nova paroeciarum divisio, et Capitula Collegialium Ecclesiarum abolentur, et Episcoporum plane destruitur auctoritas, ac libertas* cum ipsi sine Gubernii consensu nullum parochum, nullum parochiarum administratorem, aut vicarium eligere possint. Eiusdem autem Gubernii decreto Cameneciensis catholica, Dioecesis suppressa , ac proprio adempta pastori cum Luceoriensis, et Zitomeriensis Dioecesium administratione fuit coniuncta. Legitimi Sandomirensis, et Cracoviensis praesertim Dioecesium Parochi ad Gubernii arbitrium de una ad aliam parochiam traducti, do proprio gradu deturbati, aliique in eorum locum suffeeti. Plocensis vero Dioeceseos Seminarii aedes confiscatae fuere, et illius Episcopus Clericos Alumnos in coenobium olim Franciscalis Ordinis extra civitatis moenia transferre coactus, omnibus ecclesiasticis viris commeatus denegatus, ne ultra mille passuum spatium a propria residentia discedere, et inter se communicare possint. Illorum autem fidelium cum hac Apostolica Sede communicatio a Russico Gubernio tanta severitate est interdicta, ac omnino sublata, ut Nos maximo animi Nostri dolore haud amplius ullo modo possimus pro supremi Nostri Apostolici ministerii officio dilectam illam Dominici gregis partem iuvare, eiusque spiritualibus indigentiis opem, auxiliumque ferre. Atque utinam ne veri sint tristes nuncii, qui nuper ad Nos pervenerunt, designatum nempe Chelmensem Episcopum , et Cathedralis illius Templi Canonicos maiore ex parte ab eodem Gubernio in ignotas regiones fuisse amandatos. Nihil vero dicimus de assiduis cuiusque generis insidiis, artibus, et conatibus, quibus idem Gubernium catholicae Ecclesiae filios ab eius sinu abripere, easque ad funestissimum schisma totis viribus pertrahere annititur, nihil de carceris, exilii, aliisque poenis, quibus Episcopi, sacrique

Ecclesiae Ministri, Religiosique Viri, et catholici fideles suae religioni firmiter adhaerentes, et Ecclesiae iura propugnantes misere subiiciuntur.

» Quae omnia manifestius apparent ex accurata rerum omnium expositione, quam opportunis documentis munitam, ac typis editam Vobis quamprimum tradendam iussimus. Atque ita universus catholicus orbis agnoscet, quam diuturnum sit bellum a Russico Gubernio sanctissimae noctrae religioni illatum, ut ipsa in Poloniae Regno, et Russiarum Imperio penitus deleatur. Haud ignoramus, ex funestissima, et omnino damnanda rebellione idem Gubernium arripuisse occasionem ad tam dira contra catholicam Ecclesiam suscipienda consilia, dum rebellionis rei debitis modis cohiberi, et puniri poterant, quin Ecclesiae tam grave bellum inferretur. Atque ita Deo placuisset, ut nemo ex Ecclesiae potissimum Ministris se perniciosissimis fatalis huiusmodi perturbationis motibus immiscuisset. Nos quidem nunc denuo, uti alias , rebellionem summopere damnamus et reprobamus, omnesque fideles , ac praesertim ecclesiasticos viros monemus, et exhortamur, ut impia rebellionis principia ex animo abhorreant, detestentur, ac sublimioribus potestatibus subditi sint, illisque fideliter obediant in iis omnibus, quae Dei, eiusque sanctae Ecclesiae legibus minime adversantur.

» In tanto autem dolore non leve Nobis affert solatium eximia illorum Catholicorum^virtus et constantia , qui licet tantopere divexati, tamen, Deo adiuvante, in catholicae religionis professione stabiles et immoti permanent, et malunt asperrima quaeque perpeti, quam ab eadem sanctissima religione, atque ab hac Apostolica Sede deficere.

» Interim vero Dei, eiusque Ecclesiae, et Religionis causam Nobis divinitus commissam strenue tuentes, partesque Nostras Apostolica libertate explentes in hoc amplissimo Vestro consessu Pontificiam Nostram attollimus vocem, et omnia decreta et acta a Russico Gubernio in Religionis, Ecclesiae, et huius Apostolicae Sedis iurium detrimentum edita , ac patrata summopere damnamus, reprobamus, et omnino irrita, ac nulla esse declaramus.

» Verum sperare volumus fore, ut Serenissimus ac Potentissimus Russiarum Imperator , et Poloniae Rex Illustris serio con-

siderans, catholicam religionem, eiusque salutarem doctrinam firmissimum esse Imperiorum Regnorumque fundamentum , ac temporariae quoque populorum tranquillitati, et felicitati maxime conducere, velit pro sua humanitate, et animi celsitudine iustissimis Nostris votis, ac postulationibus annuere, ac suprema sua auctoritate efficere, ut in vastissimi sui Imperii regionibus catholica Ecclesia, eiusque cultores a tot calamitatibusrespirent, et iamdiu exoptatam assequantur pacem, et liberum suae religionis exercitium.

» Ne desinamus autem, Venerabiles Fratres, assiduis, fervidisque precibus divitem in misericordia Deum in humilitate , et contritione cordis nostri orare et obsecrare, ut propitius respiciat super haereditatem suam, et exurgat in adiutorium populi sui, et Catholicam Ecclesiam tot undique iactatam procellis, tot afflictam periculis, tot divexatam calamitatibus divina Sua dextera protegat, adiuvet, defendat, eique optatissimam pacem, ac trium' phu.ni concedat.»

LITERAS REGNANTIS ROMANI PONTIFICIS,

QUIBUS CANONICO

P. GADUEL VIC.GEN. AURELIANENSI GRATULATUR,

QUOD SEMEN AB EO IACTUM

P1B COMMENTARIUM DE VITA ET GESTiS

VENERABILIS BARTHOLOMAEI HOLTZHAUSER

IN BONAM TERRAM INCIDERIT,

ATQUE AMPLA INCREMENTA OMINATUR (*).

Dilecto Filio canonico P. Gaduel, ***vicario generali Aurelianensi.***

PIUS. PP. IX.

«Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. Gratulamur tibi, Dilecte Fili, quod semen a te iactum per commentarium de vita et gestis venerabilis Bartholomaei Holtzhauser .iu bonam terram inciderit, multosque iam videas clericos saeculares, iuxta illius institutum, in communem coivisse vitae so-

(*) Eiusmodi commentarium a laudato Vicario Generali gallico idiomate conscriptum praesefert sapientem Epistolam praeclarissimi Antistitis Antonii Dupanloup Episcopi Aurelianensis, qui summopere commendat vitam saecularium Clericorum in communi viventium ad normam institutionis Servi Dei Holtzauser, atque fructus uberrimos inde obventuros ostendit.

Eiusmodi vitae commentarium versum statim fuit, et quidem optima versione, •in italicum idioma ab lllmo et Rmo Canonico Carolo Candiani, qui insuper eidem commentario praemisit eruditam praefationem, qua ostendit quantum a •Ss. Patribus fuerit commendata vita saecularium Clericorum in communi societate viventium, adiectis etiam pro opportunitate utilibus adnotationibus. Item versum est in germanicum idioma.

Scimus pariter versum iam esse, vel verti in linguam Anglicanam, Hispanam, et Polonam. Et quod magis est iam pluribus in dioecesibus eiusmodi communem clericorum vitam secundum ideam Servi Dei institutam fuisse, atque florere.

Tum vitae commentarium, tum alterum volumen, quod continet *opuscula ecclesiastica* Servi Dei emitur Parisiis apud *Ch. Douniol,* bibliopolam *rue Tournon* 29. Italica autem versio, prostat in Italia , *Monza, tipografia dell' Istituto dei Paolini, piazza di s. Agata N.* 480»

cietatem. Utilitas certe illa, quae saeculo- XVII. inde obvenit Clero, praesertim germanico, non minores aetati nostrae spondere videtur fructus: siquidem consociatio animorum fota per communem vitam alit charitatem, simulque Dei favorem conciliat, qui se futurum promisit in medio eorum qui in Nomine- ipsius congregati fuerint, et loquuturum ad cor in solitudine. Bonum propterea ac iucundum dixit Regius Psaltes habitare fratres in unum, reique suavitatem et efficaciam comparavit unguento in capite Aaron, quod descendit in barbam eius et in oram vestimenti; ac rori, quo perfunduntur montes Hermon et Sion. Clerici enim a societate saeculari negociisque semoli, et in unitate lideijic spiritus coniuncti, inungun**Iur** spirituali gratia, quae intellectum veluti caput irrigat, omnemque vitae rationem componens et ad sedulam ciens creditorum munerum functionem, descendit per evangelicum ministerium ad fideles, eorumque corda veluti ros matutinum foecundat. Qua de re non probatum dumtaxat, sed et praeceptum conspicimus ab antiquis Ecclesiae legibus, ut presbyteri, diaconi, subdiaconi ***simul manducent et dormiant, et quidquid eis ab ecclesiis competit communiter habeant;*** ac suasum ***ut ad apostolicam, communem scilicet vitam, summopere pervenire studeant.*** Factum idcirco est, ut» cum primum servus Dei a Decessore nostro sa: me: Innocentio X. instituti sui approbationem poposcit, Nostra Congregatio Episcoporum et Regularium negociis praeposita, cui res commissa fuerat, responderit: ***Rem instituti huius piam et sanctam ac iuxta antiquos Ecclesiae canones esse, quae confirmatione non indigeat, cum profiteatur hoc ipsum, quod primae christianitatis Clerus fecit. Eant igitur in pace, et cum omni benedictione deducant in praxim.*** Novum tamen decus tam utili veteris disciplinae instaurationi additurus sa: me: Innocentius Xl, defuncto iam Bartholomaeo, institutum Apostolica auctoritate confirmavit anno 1680, et ea de re scribens ad Leopoldum I, Imperatorem qui id fieri postulaverat, dixit: ***L'Istituto dei Chierici in comune viventi, che dalla Maestà Vostra ci fu anni sono raccomandato, è sialo da noi presentemente con autorità Apostolica confermalo; e ci promette nella cultura della vigna del Signore frulli tanto copiosi,, che merita di essere in gran stima appresso di lutti ed essere dm***

tutti protetto (1). Et paulo post in alia epistola: ***Tanto grande è il concetto che abbiamo di esso, che ne speliamo indubitatamente un copioso progresso alla Chiesa di Dio , ed a noi una raccolta sempre durabile di allegrezza*** (2). Spem hanc et Nos fovemus, si eodem Bartholomaei spiritu novae istae Clericorum in commune-viventium societates informentur. Quamobrem et eos commendamus, qui in huiusmodi vitae institutum iam coierunt; et nova semper atque ampla ominamur laetis istis exordiis incrementa.. Tibi vero, qui per librum tuum tam bene meruisti de Clero , et iis omnibus qui praestantiori^ boni desiderio ducti nomen; suum dederunt ac daturi sunt piis hisce societatibus, caelestium gratiarum auspicem et praecipuae benevolentiae nostrae pignus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus (3)

» Datum Romae apud S. Petrum die 17 Martii 1866. Pontificatus Nostri anno XX. »

PIUS. PP. IX.

(i) Quae latine sonant: Clericorum Institutum in societate viventium, quod Nobis a Maiestate Vestra aliquot abhinc annis commendatum fuit, modo a Nobis est Auctoritate Apostolica confirmatum: quod quidem tani uberes Nobis in Vineae Domini cultura fructus spondet, ut dignum illud censeamus, quod omnes plurimi faciaut foveantque.

(2) Nos vero tanti illud facimus, ut copiosum inde Ecclesiae Dei proventum, Nobis autem uberem iugiter duraturae laetitiae segetem procul dubio speremus.

(3) Vid. Appendicem IX.

SUSPENSIONIS, IRREGULARITATIS, ET PRIVATIONIS PAROECIAE.

Die o *Dec.* 1863, 30 *Iul.* 1864, 8 *Iul. et* 12 *Aug.* 1865. *Sess.* 21 *c.* 6 de /te/.

Compendium facti. Vacante anno 1847 paroecia quingentarum supra mille animarum in dioecesi N. in Italia superiori, suffectus eidem fuit Titius Sacerdos indigenus. Eius electio laeta parochianis non successit.

Progressu temporis aversio incolarum omnem modum excessisse visa 'est. Hinc continuae ac renovatae querelae tum parochianorum tum laicae potestatis, quod ipse gravibus ac interminabilibus quaestionibus non solum familias, sed etiam publica officia cumularet.

Apprime noscens praesens Episcopus nulla alia ratione se posse huic malo prospicere (quamvis Titius facinorum reus non appareret) nisi temporanea saltem Parochi remotionem paroecia; ut id sua sponte faceret hortatus est. Sed hortationes in irritum cum cessissent, emisso denique decreto anno 1857, Titium ab officio Parochi ad tempus removit, illique interdixit parochialia officia, sive publica sive privata exercere, iussitque eum a paroecia recedere donec, rebus in melius conversis, in pristinum statum restitueretur.

Titius aegre tulit eiusmodi decretum, ac caeteris omissis, supplicem libellum porrexit S. Congregationi, ut Episcopus veram remotionis causam S. C. panderet, ut S. C. succurreret detrimento, et dedecori quod inde sibi proveniebat ; quod si Episcopus illam ab administratione paroeciae suspensionem eae lerasque inhibitiones loco poenae se dedisse affirmasset, supplex postulabat institui regularem processum ad normam ss. canonum.

S. Congregatio die 27 Februarii 1858 Episcopo rescripsit ut ***referret de causis inflictae suspensionis, transmissis documentis***

ad rem facientibus. Episcopus mandatis parens, suis literis cum necessariis documentis seriem factorum contexuit, ex qua decerpta sunt ea quae tantum indicavi : addebat autem Episcopus Paroeciam post Titii remotionem reviguisse cultu religioso et pace, omnibus exstantibus et gratias agentibus : Titium dum haec contingerent, nullimode se submisisse episcopalibus praeceptis, quin imo suo irritanti ingenio populi opinionem sibi adversam magis exacerbasse: opus denique fuisse saeculari brachio ad eum removendum a parochiali domo, ut suffici posset Vicarius Parochus.

His et similibus ab Episcopo enarratis, aliis literis a Titio S. C. datis, rescriptum emissum est die 26 Ianuarii 1859 his verbis conceptum: ***relaium* (1), *et notificetur Episcopo eum in finem ut ulteriora non praetermittat media, ac officia ad spontaneam resignationes obtinendam.***

Novis itaque literis ab Episcopo missis, accurate enarrabat quibus mediis usus esset ut Titius sua sponte beneficium resignari, quae denuo in irritum cesserunt, addiditque inter caetera, parochianos ita aciimo esse alienos a Titio , ut reconciliatio suo iudicio nullimode speranda foret.

Interea aliis literis S. C. missis Titius insistebat pro immediata rednJegratione in paroeciali ministerio, quibus S. Congregatio rescripsit: ***relatum* ,** mandavitque Episcopo ut ***tam huiusmodi decretum, quam alterum diei*** 26 ***Ianuarii*** 1859 ***Parocho notificaret, eumdemque moneret, ut dociliter se submitteret praescriptionibus episcopalibus ac S. Sedis.***

Quae inde subsecuta fuerint, sicut ea quae Episcopus gesserat, continentur in sequenti episcopali decreto diei 5 Novembris 1861, quo laudatus Episcopus poenam suspensionis a divinis contra reluctantem Parochum indixit: «Titius anteactis etiam
» temporibus (sunt verba decreti) in administratione paroeciae
» sibi commissae ita versatus est, ut fere omnium in se invi-
» diam concitaverit . . . .sed eo usque schismata, et mala omnia
» in paroecia progressa sunt ut Nos.... coacti fuerimus eumdem...
» ab omni parochiali officio ad tempus removere. Id vero prae-

(1) Verba *Relatum, at Lectum* siiznignificant supplices libellos reiatos vel lectos fuisse absque ullo effectu, idest preces esse reiectus.

» stitimus decreto diei 26 Octobris 1857, quo eidem interdixi-
» mus in sua paroecia consistere, muniaque parochialia tum
» publica tum privata quomodolibet exercere... Interim Nobis
» nuntiatum est praefatum presbyterum absque ulla venia No-
» stra, et contra decretum 26 Oct. 1857 rursus in paroeciam
» rediisse, ibi sacra facere et poenitentiae sacramentum acce-
» dentibus administrare. Tunc per nostrum Pro-Vicarium gene-
» ralem... eumdem monuimus ne tam flagranti inobedientia cau-
» sam suam redderet deteriorem. Quam quidem admonitionem
» cum ille despiceret, novo decreto diei 9 Febr. currentis anni
» mentem Nostram aperuimus eidem declarantes gravi se faci—
» nore inquinari, qui contra episcopale mandatum adhuc i» pa-
» roecia immorari, et omni iurisdictione privatus poenitentiae
» Sacramentum maximo populi scandalo Christifidelibus psae-
» sumeret administrare. Haud multo post, videlicet die 10 Mar-
» tii S. Concilii Rescriptum dedimus, quo ***reiectis precibus Pa-***
» rochi (Titii) Nos iussit eumdem monere ut dociliter se sub-
» mitteret praescriptionibus Episcopalibus et S. Sedis. Speraba-
» mus quidem fore ut, qui Nostris monitis et iussis semper re-
» luctaverat, S. Sedis oraculo saltem acquiesceret. Ast dolendum
» hic maxime est, quod res ipsa in peius prolabi visa fuit. Nam-
» que ille novas admonitiones nihili prorsus faciens in sua pa-
» roecia adhuc morari, ibidem Missam celebrare , Confessiones
» audire, sacram Synaxim populo administrare ausus est. Et ne
» quid tantae inobedientiae deesset, suam ipse inobedientiam
» literis diei 16 Septembris pp. ei. audacter Nostro Pro-Vicario
» professus, irreverenti prorsus ratione in curiam nostram in-
» vectus est.

» Cum igitur probe noverimus nullum aliud Nobis in prom-
» ptu esse remedium quo vel contumacem presbyterum ad obe-
» dientiam et resipiscentiam revocemus, vel ab insolentia, et
» scandalis deterreamus, per praesentes literas ***eumdem presbyte-***
» rum— Parochum., a divinis suspendimus, et ita suspensum ab
» omnibus haberi volumus. »

Elapso vix mense ab huiusmodi suspensionis decreto graviora de Titio retulit Episcopus ad S. C. Retulit nempe : ex iuratis testibus constare Titium notorio suspensionis spretu Missam pluries celebrasse; proindeque quaerebat, an Titius decla

Tari possit irregularis, et an idem privari debeat parochiali beneficio, et interim urgente necessitate, eadem paroecia conferri debeat alteri idoneo Sacerdoti. Quibus quaestionibus die 3 Februarii 1862 responsum fuit: « ***Sacr. Congr. inhaerens resolutionibus alias in similibus editis respondet, enunciatum Sacerdotem Parochum incidisse in irregularitatem, et nihil impedimento esse quominus Episcopus eum irregularem declaret. Quo vero ad depositionem a Beneficio parochiali, ipse Episcopus accuratius referat singula rerum adiuncta supradictum Parochum respicientia, transmissis documentis in copia authentica ad rem facientibus.*** »

Transmissis itaque ab Episcopo relationibus, plurium testium •depositionibus, laicae potestatis Notis et Ordinationibus, ipsius Parochi confessionibus suffultis , quaestio in plenario S. Congregationis consessu iuris ordine servato disceptata est sub dubiis: I. « an et quomodo decreta episcopalia sustineantur in casu.» II. « An et quomodo sit locus depositioni (Titii) a paroecia in » casu: « quibus S. Congregatio die 5 Decembris 1863 respondere censuit : ad I. ***affirmative in omnibus:*** ad II. ***dilata, et ad mentem : mens est ut Episcopus praefigat Parocho novum terminum duorum mensium ad deducendum iura sua coram S. Congregatione et de resultanlibus certioret.***

Titius itaque intra praescriptum terminum adversus acta quae Episcopus S. Congregationi miserat, in sui defensionem baec inter caetera protulit, scilicet: relationes Episcopi veritati •consonas undequaque non esse : se praesenti poroeciae fuisse sufFectum, postquam aliam oppidanam rexerat, quae translatio ab antecessore Episcopo facta non fuisset, nisi de sua idoneitate, ad regendam plebem ipsi eonstitissét: parochianorum aversionem quae statim excitata est, repetendam esse ex gravibus paroeciae illius difficultatibus et ex partium studio ut praesens, (qui positus erat) Vicarius eidem paroeciae tanquam Parochus praeponeretur. Caeterum cum sibi nunquam accusationum capita notificata fuerint, inquiebat optimam suam agendi rationem ostendi ex quodam antecessoris Episcopi epistolio, tum ex quatuordecim parochianorum testimonio, qui referebant, saniorem paroeciae populum non solum ab inseetando Parocho abhorrere, sed imo vehementer optare ut Titius quamprimum suae paroeciae -.restitueretur, quae in deterius ob eius absentiam **in** dies vcrgebat.

Subdebat autem idem Titius Episcopum nimis faciles aures; praebuisse tum Vicario Foraneo sibi infensissimo, tum provinciali laico Delegato, qui sine delectu exceperat suorum hostium querelas: atque' idcirco se iugiter institisse ut formalis processus institueretur, vel saltem singula accusationum capita proderentur, sub qua conditione tantummodo ipse Episcopo significaverat, ultro se paroeciam dimissurum: sed quia deerat iusta persecutionis causa, neque plebis quies, aut Parochi salus periclitabatur, ideo, aiebat, Episcopum in exilio decernendo sibi dixisse , suam esse intentionem ***restituendi Parochum atque ita incendium exlinguendi:*** quod tamen non sincere id Episcopum dixisse aiebat, cum ante decretum diei 26 Octobris 1857 idem Antistes sibi voce declarasset, ***praefatae paroeciae locum non amplius fore Titii patriam.***

Negabat praeterea Titius alia accusationum capita , cuiusmodi erat illud, quo dicebatur se Vicario Parocho recusasse habitationem ac caetera similia; neque se deliquisse aiebat, quod contra decreti praescriptionem ad patrios lares remigraverit; gravibus enim causis et necessitatibus adactus id fecit. Quare decretum 26 Octobris nullius roboris esse concludebat.

Irritum et aliud suspensionis decretum esse contendebat, quod ideo latum fuit, quia priori decreto non obtemperaverit; ipse enim ad S. C. pro declaratione nullitatis eiusdem primi decreti appellaverit: pendente autem appellatione, cum de valore prioris decreti iudicari deberet, alterum suspensionis est inflictum. Stante itaque nullitate decretorum irritam pariter esse concludebat emissam declarationem contractae irregularitatis.

His quae indicata sunt copiose a Titio expositis, denique-rogabat, ut in suspenso maneret iudicium super dictis decretis; interim concessa ad cautelam absolutione a censuris, et irregularitate, conficeretur regularis processus, ex quo si crimen aliquod resultaret se libentissime officium, ac beneficium resignaturum.

Iterum itaque causa in S. Congregationem disceptanda descendit sub dubiis: I. « An sit standum vel recedendum in primo » dubio in casu. » II. « An et quomodo sit locus depositioni Sa» cerdotis (Titii) in casu. » III. « An et quomodo sit locus ab» solutioni a censuris et dispensationibus ab irregularitate i»

» casu. » Discussa iterum causa die 30 Iulii 1864, S. Congregatio' respondere censuit: ad I. ***in decisis:*** ad II. ***dilata, et ad mentem:*** ad III. ***dilata, et det vera resipiscentiae signa.***

Episcopus cohaerenter ad mentem S. Congregationis, quae eidem pandita, est, respondit : ordinatum fuisse Titium titulo ecclesiasticae cappellaniae, cuius annuos redditus enarrabat: retulit quinam annui redditus e paroecia de qua agimus Parocho obvenirent : paucissima esse in sua dioecesi beneficia quae ab Episcopo libere conferuntur, quorum nullum in praesens vacans erat.

Titius interea quosdam subiectionis actus Episcopo odpromisisse visus est; ac simul postulavit a S. C. ut ab onere sibi gravissimo ipsorum decretorum penitus solveretur, instituto regulari processu.

QUAE FAVORE PAROCHI DISPUTABATUR. — Sancitum in iure esse innuebatur ***ex officio,*** neminem paroecia privari debere, nisi ex causa criminis et crimen sit ex iis, quae sunt in iure expressa iuxta Trident. Concilium ***sess.*** 21 ***cap.*** 6 ***de Ref.*** Siquidem coactiva eiusmodi remotio gravissima est poena, qua , ex ss. canonibus, Clericus plecti nequit nisi post gravissimum crimen, praehabitis monitionibus, ac formali confecto processu, solemni iustaque iudicis sententia fuerit convictus. Et secundum hanc saluberrimam iuris dispositionem, S. C. C. ubi delictum evidenter probatum non foret, aut forma ss. canonum neglecta sit, locum privationi paroeciae non esse constanter respondit.

Atqui in praesenti casu de Parocho agebatur, qui a paroecia remotus est, nullo instituto processu, ac neglecta prorsus forma in iure praescripta: quin imo de Parocho agebatur, contra quem, ipso fatente Episcopo, crimen non aderat. Quod si post Episcopi decretum ea patraverit, quae criminis qualitatem redoleant, in his commiseratione potius, quam poena dignus videbatur. Remotio enim a paroecia et a propria patria , licet temporanea, quae famam Titii in discrimen vocabat, eum compulit, ut vel regularem processus confectionem , vel reintegrationem in ofticio invocaret: quae invocatio in irritum cum cessisset,,

animi exuleerationi, potiusquam dolo malo, ea quae adversus decretum pertinaciter gesserat, adscribenda videbantur.

Neque ad sustinendam remotionem confugiendum esse observabatur, ad grave odium, quo adversus Parochum parochiani fere omnes flagrare dicebantur. Cum enim crimen quodlibet nec ostendi nec adesse contingeret, odium plebis sine ulla Parochi culpa obvenit, quo in casu cogi non posse Parochus ad resignationem paroeciae dicebatur; quin imo ob eiusmodi causam neque resignatio sponte facta facile a Superiore est admittenda, ***Cap.*** 10 rfe ***Renuntiat.*** S. Pius V. in Const. ***Quanta Ecclesiae....*** diei 1 Aprilis 1568, in qua S. Pontifex licet resignare posse beneficium edixerit, illos, ***qui ob capitales inimicitias, nequeunt vel non audent in loco beneficii residere securi,*** subiunxit tamen: ***Sed nec horum ullus sacro ordini mancipatus, nisi Religionem ingressurus valeat ullo modo beneficium, vel officium, ecclesiasticum resignare , nisi aliunde ei sit, quo in vita posset commode sustentari.*** Quam Constitutionem Barbosa ***de off. ct potest. Epis, alleg.*** 69 illustrat.

QUAE FAVORE EPISCOPI PERPENDEBANTUR. — E contra advertebatur , quod licet Titius nullam plebis odio causam praebuisset ; lieet nullo crimine irrelitus foret, nihilominus Episcopus rite munere suo functus est. Notum est enim eum a paroeciae regimine removeri oportere quem mala plebs odit, ne propter bonum Pastoris gravissimum detrimentum universo gregi inferatur. Quod si aversio et odium concitatae plebis iustum non sit, non erit Parochus puniendus, idest paroecia tamquam reus condemnatoria sententia ***privandus:*** sed tamen erit ***removendus*** facta aliqua beneficii permutatione , ceu in similibus casibus factitatum est, ***Eystetten. Permutationis Paroeciae*** diei 22 Septembris 1742.

In hac autem hypothesi non officere observabatur defectus formalitatum iuris, et defectus formalis processus, cum de poena irroganda non agatur, sed de simplici remedio afferendo scandalis, et inimiciliarum periculis.

Quamvis autem gravia crimina Titio imputanda in facto non adessent, non tamen omnino innocens dicendus erat. Ipse enim occasionem saltem ex sua imprudenti agendi ratione plebis concitationi praebuerat, neque Episcopi admonitiones, hortationes

quicquam proiecerunt. Non dcerant itaque sufficientes causae ob quas Episcopus, qui universo dioecesis bono est praepositus, tamquam prudens remedium decretum temporariae remotionis emiserat.

Neque subsequens remotionis decretum irritum erat reputandum, quod provocatum fuit ex .flagranti Titii contumacia, et protervia , qua praescriptionibus episcopalibus et S. Sedis nulla ratione, non sine plebis scandalo, se submisit: ac denique suspensione violata in irregularitatem incidit.

His aliisque propositis definienda supererant

19 ulti a

I. «An sit standum, vel recedendum a decisis in primo du-
3> bio in casu. »

II. « An et quomodo sit locus depositioni Sacerdotis (Titii) » a paroecia in casu. »

III. « An et quomodo sit locus absolutioni a censuris et di-
*» spensationi ab irregularitate in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio in examen revocata causa die 12 Augusti 1865 respondere censuit:

Ad I. ***in decisis, et amplius.***

Ad II. ***esse locum deputationi administrationis paroeciae in spiritualibus et temporalibus assignata favore Sacerdotis (Titii) donec aliter de beneficio ecclesiastico provideatur pensione libellarum*** 400.

Ad III. ***peractis per decem dies spiritualibus exercitiis in aliqua domo religiosa ab Episcopo designanda, esse locum absolutioni a censuris, et dispensationi ab irregularitate.***

Ex ius COLLIGES:

I. Cum agitur de Parocho non amovibili, qui ad normam •ss. Canonum paroeciae est praepositus, posse a paroecia eumdem amoveri per privationem, vel per simplicem oeconomicam remotionem , quae vel perpetua esse potest, vel ad tempus.

II. Paroeciae privationem fieri non posse nisi constet de culpis omnino gravibus , quibus ex iure gravissima haec privationis poena infligitur, iudiciali ordine apprime servato, qui in his causis praescribitur.

III. Oeconomicam remotionem ex duplici causa fieri, ex imperitia nempe et inidoneitate Parochi ad paroeciam ut par est regendam (1), vel ex gravi odio et aversione plebis, quibus extantibus, Parochus paroeciae suae consulere non possit.

V. In temporanea oeconomica remotione Parochi, esse paroeciae succurrendum per administratorem, seu idoneum Vicarium qui vices Parochi suppleat, aequa portione reddituum adsignata.

VI. Decreta oeconomica perpetuaque remotione, succurrendum esse Parrocho assignatione alterius beneficii **(2).**

VII. In praesenti casu intervenisse gravem parochianorum aversionem, et relativam saltem Parochi inidoneitatem ad praesentem paroeciani regendam.

VIII. Colliges insuper non esse confundenda Episcopi decreta inhibitoria cum decretis formalis suspensionis (3).

(1) Sacrum Trid. Concilium *cap.* 6 *sess.* 21 *de Refer,* edixit : « *Quia Uliterati et imperiti parochialium ecclesiarum Rectores sacris m imis apti sunt officiis... Episcopi, etiam tanquam Apostolicae Sedis Delegati iisdem illiteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, Coadiutores, aut Vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quacumque appellatione et exemptione remota.D*

(2) Vid. similem causam in *Vol. I. pag.* 513 ex qua dicta principia confirmantur.

(3) In praesenti causa rite distinctum est primum inhibitionis decretum, a decreto secundo formalis suspensionis. Habemus alterum recens exemplum huius distinctionis. In causa *Suspensionis* in S. C. C. agitata die 17 Decembris 1864, Episcopus ob quamdam cuiusdam Parochi imprudentem agendi rationem iussit eumdem se conferre in quamdam religiosam domum ad spiritualia exercitia peragenda,duratura usque ad novum Episcopi mandatum: interea Episcopus subiunxit, quod si inobediens ipse Parochus esset, *sciret eo ipso momento se suspensum fore a divinis ipso facto.* Obediit statim Parochus, sed post decem exercitiorum dies, licentia habita a Superiore Exercitiorum, simul cum bono testimonio de exercitiis rite peractis ac completis, se ad Curiam episcopalem contulit. Haec noscens deinde Episcopus Parocho prohibuit, *ne ullum parochiale officium obire praesumeret in districtu paroeciae.* Quamvis eiusmodi decretum iugiter appellaretur sive ab Episcopo sive a Parocho *suspensio,* acta denique causa coram S. C. C. sub dubiis: I. « An » sustineatur suspensio in casu.» II. « An » et quomodo sustineatur remotio a Pa- » roecia, seu potius sit locus reintegra- tioni, restitutioni fructuum, et refe- » ctioni damnorum in casu. » S. C. respondit: « ad I. et II. *inhibitionem amplius non sustineri, ideoque Parochum esse reintegrandum»* Sacra scilicet Congregatio Episcopi decretum non quidem» *suspensionem* sed *inhibitionem* appellavit,,

RESIDENTIAE ET IURIUM PAROCHIALIUM.

Die 26 *Novembr.* 1864 *et* 10 *Iunii* JS65. *Sess.* 23 *c.* 1 rfe i?e/òr.

Compendium facti. **Intra fines dioecesis N. duae reperiuntur rurales paroeciae simul unitae, quae ab uno Parocho reguntur: quarum altera sub invocatione s. Sabini sita est in villa A., altera sub invocatione s. Herculani sita est in contermino pago B.**

Hoc erat in more positum, ut Parochus alternatim modo in una, modo in altera paroeciali ecclesia sua munera perageret; residebat tamen in paroecia s. Sabini in qua commodior erat parochialis domus: namque quae in alia aderat, potius casa, vel derelictum tugurium esse videbatur.

Cum autem nuper Parochus ex familiae suae bonis domum extruxerit in pago B. ibique morari incoepisset, incolae villae A. vehementer conquesti sunt, atque oblato libello S. Congregationi Concilii enarrabant: quadringentis abhinc annis unitam suae paroeciae fuisse alteram s. Herculani, et in unionis decreto fuisse •declaratum, ecclesiam s. Sabini fore ecclesiam matricem, et ecclesiam s. Herculani esse ecclesiam filialem; modo Parochum dereliquisse parochialem domum ecclesiae matricis in qua Parochi semper habitarum; unde quaerebant ut ipse ad propriam residentiam cogeretur, praesertim quia iura sua amittere nolebant, neque privari spiritualibus bonis quae parochialis residentia secumfert, atque enarrabant eo ipso anno privatos se mansisse pluribus piis exercitiis, ut triduis et novendialibus precibus, .aliisque sacris functionibus quae antea fieri solebant.

Praeterea, cum in eadem ecclesia s. Sabini extaret Confraternitas SSmi Sacramenti conquesti sunt iidem parochiani, quod Parochus transtulisset in alteram ecclesiam s. Herculani calicem, •ostensorium, Crucifixi iconem etc. quae res erant Confraternitatis.

Denique conquesti sunt, quod cum prius exuissent **tres archivii claves quarum duas apud se retinebant Syndaci, alteram vero Parochus; modo vero una adesset clavis, quam solus Parochus habebat.**

Accepto eiusmodi supplici libello, rogatus est capitularis Vicarius ut super hac re referret; qui retulit, decretum unionis

paroeciarum quamvis diligenter conquisitum, se reperire non potuisse; agebatur enim de re antiquissima quae forsan lapsu temporis intercidit. Aderant tamen in Archivio acta s. Visitationis anrii 1573 a Visitatore x4postolico id temporis peractae, ex quibus laudatus Capitularis Vicarius eruebat, paroecias de quibus loquimur, antiquitus exemptas fuisse ab episcopali iurisdictione, et subiectas Abbati pro tempore monasterii N. N. ad quem paroeciarum collatio pertinebat: eo tempore, scilicet anno 1573, dictas paroecias iamdiu extitisse unitas, et ecclesiam s. Herculani praestitisse antiquitate, reddituum et familiarum amplitudine alteri ecclesiae s. Sabini.

Observabat insuper Vicarius, dici non posse matricem ecclesiam s. Sabini, et alteram filialem, deerant siquidem omnia indicia, quae matrici ecclesiae conveniunt; quin imo, habito respectu antiquitatis, ecclesia s. Herculani potius videbatur matrix dicenda. At vero utramque ecclesiam eiusdem esse conditionis censebat, quin una alteri praeesset. Non negabat ecclesiam s. Herculani filialem dictitari: id tamen ex eo repetendum esse putabat, quod antiquitus ambae paroeciae erant ecclesiae filiales dicti monasterii: nec mirum si, his divulsis ab ecclesia matrice, harum una nomen filialis ecclesiae retinuerit.

Adnotabat praeterea, iam dicto anno 1573 motam videri quaestionem aliquam circa Parochi residentiam, ita ut Apostolicus Visitator eiusmodi opinionem protulerit: ***verum pro reddituum tenuitate*** (ecclesiae s. Sabini), ***et antiquitate alterius*** (ecclesiae s. Herculani), ***non improbantur si Rector in altera earum resideret.***

In pluribus autem Episcoporum decretis dictae ecclesiae dicebantur ***simul unitae,*** vel ***ad invicem unitae,*** vel ***comparochiales.*** Missae aliaeque sacrae functiones alternis vicibus inter utramque ita distributae dicebantur, ut duarum ecclesiarum aequalitas fereservaretur. Quare concludebat Vicarius capitularis in praesentia agi de unione paroeciarum quae in iure dicitur aeque principalis, cuius effectus est ut unaquaeque ecclesia iura sua ac privilegia integra servet, quin Rector cohiberi possit, in una potius paroecia, quam in altera residere.

Circa functiones sacras de quarum omissione parochiani ecclesiae s. Sabini conquerebantur, animadvertebat Vicarius, quod si aliqua omissio intervenit, id adscribi debere aegrae valetudini

eiusdem Parochi, et difficultati itineris, cum pons fluminis, quod paroecias dividit, iamdiu esset collapsus, eiusque ruina impediebat quominus hyemali praesertim tempore ob aquarum copiam ad ecclesiam s. Sabini Parochus transveheretur.

Ad utensilia sacra Confraternitatis quod attinet, observabat, quod ex diplomate Archisodalitatis ss. Sacramenti supra Minerva m edito anno 1776 eruitur, praedictam Confraternitatem communi paroeciarum bono et utilitati fuisse erectam, cum verba eiusdem diplomatis ad utramque paroeciam referri viderentur.

Hisce addendum est, paroeciam s. Sabini constare 191 individuis, alteram s. Herculani 241.

Monitis praeterea partibus quarum id intererat, ut ulteriora iura sua quatenus vellent deducerent coram S. C, parochiani s. Sabini decretum obtulerunt anni 1718, quo praescriptum fuerat, ut Rector alternis vicibus celebraret in unitis ecclesiis, exceptis solemnioribus festis, quibus Missam celebrare deberet in ecclesia s. Sabini: extimuerunt pariter testimonium Parochi praedecessoris qui affirmabat vetustissimam se perlegisse memoriam in tabulario parochiali asservatam, qua ecclesia s. Sabini principalis et matrix prae altera dicebatur: aliaque praeterea deduxerunt ad confirmanda ea, quae in supplici libello exposuerant. Parochus e contra nihil deducere censuit.

Proposita quaestione cum tribus distinctis dubiis coram S.C.C, die 26 Novembris 1864, resolutio dilata est, eum in Anem ut quaedam factorum adiuncta accuratius definirentur. Rogatus itaque est denuo Vicarius capitularis: 1° quaenam distantia intercederet inter domum a Parocho erectam, et ecclesiam s. Herculani: itemque inter dictam domum, et ecclesiam s. Sabini: nec non quantum utraque ecclesia inter se distarent : 2° ut populum s. Sabini invitaret ad deducendum assertum unionis documentum: 3° an in parochiali archivio revera existat antiqua memoria de ecclesiae s. Sabini matricitate: 4° an singulis diebus festis duae Missae pro populo applicentur, vel una tantum, et ubinam servetur liber quo dicta celebratio recensetur: 5° an fons baptismalis in ambabus ecclesiis extet: 6° an Parochi decessores iugiter habitaverint in parochiali domo s. Sabini, et quinam essent omnes annui redditus paroeciae.

Quibus Vicarius satisfaciens descriptionem topographieam S. Congregationi transmisit, ex qua eruebatur, domum a Parocho «rectam distare metris linearibus 310 et meti*. 165 in linea recta ab ecclesia s. Herculani; mellis linearibus 1300 distare ab ecclesia s. Sabini: utramque vero ecclesiam in dato puncto inter se distare metris linearibus 1610.

Institutis autem novis inquisitionibus circa decretum unionis nihil ulterius praeter indicata ss. Visitationum acta fuisse repertum referebat, ex quibus satis dignoscebatur dictas ecclesias nullo alio vinculo uniri quam identitate Rectoris, qualibet notione subducta matrici totis.

Circa reliqua inquiebat unam Missam consuevisse applicari alternatim in utraque ecclesia : fontem baptismalem deesse in utraque, neque memoriae proditum esse, olim in alterutra ecclesia extitisse : Parochos praecedentes constanter habitasse domum ecclesiae s. Sabini. Post haec statum reddituum tradidit utriusque ecclesiae qui redditus tenues erant.

Disceptatio synoptie».

QUAE CIRCA PRIMUM DUBIUM DISPUTABANTUR. — Solutio primi dubii maxime pendebat ex unionis qualitate qua paroeciae coniunctae fuerant: hinc ***ex officio*** observabatur iuxta canonicam iurisprudentiam, triplicem unionis speciem solemnem esse; primam scilicet qua duae ecclesiae ita in unum corpus coniunguntur, ut commisceantur ad invicem iura, praerogativae et privilegia utriusque per viam, ut inquiunt, adaequationis et attributiones, qua uni ecclesiae attribuitur quod praestat in altera, iuxta ***Gloss, in cap. Novit, Ne sed. vae.*** ibique Doctores cum Pitonio ***discept, eccl.*** 9 ***n.*** 3 ***et*** 46.

Altera unionis species ea est, quae dicitur ***accessoria*** vel ***subiectiva;*** cum videlicet ecclesia inferior alteri maiori subiicitur et incorporatur, et hoc casu huiusmodi ecclesia sic unita perdit suas praerogativas, easque acquirit quae reperiuntur in ecclesia principali cui unita est, eique adhaeret tamquam accessorium principali, ac membrum capiti, ceu tradit Fagnanus in ***dict. cap. Novit, Ne sed. vacan. n.*** 2. Pitonius ***loc. cit.*** aliique.

Tertia unionis species ea est quae dicitur ***aeque principalis;*** cum duae pluresve ecclesiae ita coniunguntur, ut neutra alteri

subiiciatur, vel alterius iura ac privilegia acquirat; sed in primaevo suo statu unaquaeque perseverat, et unitae potius dicuntur ratione personae, quia unus est Rector qui ipsis praeficitur, ut citati Auctores tradunt.

Porro ex deductis, de tertia unionis specie iri praesentia agi satis compertum esse videbatur: in hac autem unionis specie, quae ***aeque principalis*** dicitur, traditum est, posse Parochum pro arbitrio in alterutra paroecia residere, ita tamen ut si una ecclesia sit prae altera dignior, in digniore residere teneatur, vel si una alteri ecclesiae non praestet dignitate, sit tamen populo frequentior, in hac residere pariter teneatur, ceu tradunt Nicol. €arc. ***de Benef. p.*** 3 c. 2 ***n.*** 179 Barbosa ***de offic, et potest. Parochi p.*** 1 c. 8 ***nn.*** 9, 10, H, Fagnanus in ***cap. Extirpandae §. qui vero de Praeb. n.*** 31 ***et*** 32.

In praesenti autem casu una ecclesia alteri sive dignitate, sive populi frequentia non praestare ad effectum de quo agimus videbatur (1).

At vero si in praesenti casu Parochus iudicaretur pro arbitrio in alterutra posse residere, supererat inquirendum, an posset idem Parochus in domo residere, quam intra paroeciam s. Herculani exstruxit. Non desunt enim Doctores qui docent, quamvis ecclesia parochialem domum habeat, ea relicta, in paterna vel cognatorum domo intra paroeciae limites residere Parochum posse, dummodo administrationi sacramentorum et caeteris populi indigentiis praesto esse valeat, Possevin. ***de off. Curati c.*** 1 ***n.*** 7, Barbosa ***de potest Paroc.p. i c. 8 n.*** 37. Verum eiusmodi sententia a plerisque Doctoribus reiicitur, qui affirmant adeo arctam esse hanc residentiae obligationem, ut Parochus in domo parochiali omnino degere teneatur, ut tradunt Clericatus ***par.*** 1 ***de Benef. disc.*** 50 ***per tot./ipse.*** Barbosa ***de off. et potest. Ep. p.*** 3 ***alleg.*** 53 ***n.*** 71. Garcia ***de Benef. p.*** 3 n. 179. Pignatell. ***tom.*** *7* ***cons. An.*** 16. Giraldi ***animadv. ad Barb. de off. et potest. Parodi,*** p. 1 c. 8 m. 34 ***et seq.***

Hanc autem fuisse quoque S. Congregationis sententiam sequentibus resolutionibus ostendebatur. In causa ***Pomis Curvi Re-***

(l) Una ecclesia prae altera dignior ad effectum residentiae esset, si una dignitatis titulum haberet, ex. gr. si eccle«ia s.Sabini esset archipresbyteralis, et ecclesia s. Herculani esset simplex pa rochialis. Item populo frequentior una prae alia diceretur, si differentia frequeu* tiae populi esset valde considerabilis.

sidentiae, cum quaesitum fuisset: « An Abbati Curato Lucernari » liceat habitare in domo paterna sita in regione ***Civita*** in casu:* die 20 Decembris 1755 responsum prodiit: ***negative.*** In ***Tyburlina Residentiae*** diei 29 Iulii 1786, licet fatiscentes parochiales aedes dereliquisset Parochus, proposito tamen dubio: « an Pa' » rocho Ioanni Baptistae Ciucci liceat habitare in domo paterna » in casu: » rescriptum fuit: ***negative iuxta modum: nempe praedatur ab Episcopo congruus terminus Parodio ad restaurandam domum parochialem, quo elapso, in ea habitare teneatur.*** Item in ***Tarraconen. Residentiae*** diei 24 Martii 1736, quae antea agitata fuerat in S. Rotae Tribunali. Ob aeris insalubritatem Parochus ab aedibus parochialibus discesserat, ac in medium veluti paroeciae locum nomine ***Riera*** se contulerat, relicto etiam Cappellano in aedibus parochialibus: proposito dubio: « an Parochus j) Villae ***de Tamarit*** teneatur residere in aedibus parochialibus » villae et loci ***de Tamarit,*** non obstante asserta licentia Archie- » piscopi antecessoris residendi in loco ***della Riera*** intra limites » dictae parochiae:» responsum est: ***affirmative.***

Item in ***Fulginaten.*** diei 19 Augusti 1752 de Parocho agebatur, cuius paroecia duobus distinctis vicis constabat; in quorum primo aderat parochialis ecclesia cum domo parochiali, in altera vero, in quo multo numerosiores erant familiae, existebat pariter ecclesia: eiusmodi autem ecclesiae inter se distabant quarta milliarii parte. Cum autem Parochus domum parochialem deseruisset valetudinis gratia, et in alterum vicum concessisset, ibique apud quemdam suum familiarem se recepisset, reclamantibus parochianis primi vici, S. Congregatio rescripsit: ***Episcopo, qui cogat Parochum ad residendum in domo parochiali.*** Proposita deinde causa tribus dubiis quorum primum his verbis fuit conceptum: « an Parochus ecclesiae parochialis s. Mariae in Coelum Assum- » ptae collis ***Campi Rasci*** teneatur residere diu noctuque in ae- » dibus parochialibus eiusdem ecclesiae : » S. Congregatio respondit: ***affirmative.***

Quod si parochialis ecclesia suis aedibus careat, receptum esse observabatur, Parochum aliam domum conducere debere intra paroeciae fines quae sit proxima ecclesiae. Ita tradunt allegati Auctores. Et s. Carolus Borromaeus Tridentinorum canonum strenuus exsecutor, licet in casu absolutae necessitatis per-

misisset Parochis domum extra paroeciae fines habitare, tamen pro regula statuit in actis ecclesiae Mediolanensis ***tom. i pag.*** 80: ***Si quis Parochus etiam urbanus parochiale domicilium non habet ubi habitet, intra illius fines domum conducat, quam proxime potest ecclesiam cuius curationi praeest.***

Quod est S. C. doctrina ut in ***Ravennaten,*** anni i579 ***Lib.*** 2 ***Decret, pag.*** 110 ***et seq.*** Cum enim quaesitum fuisset, num Parochus teneretur in aedibus parochialis ecclesiae, seu intra limites parochiae residere, et an ad restitutionem fructuum esset adstrictus Parochus ille, qui nunquam sic resedit, licet eidem parochiali ecclesiae in divinis deservient, S. Cong. censuit: ***non teneri, sed cogendum esse in posterum residere in domo ecclesiae, vel si ecclesia eam non habeat, in alia propinquiori intra limites parochiae*** (1).

His autem in iure adductis cum Parochus in alterutra ecclesia residere posse ex exposita Doctorum doctrina videretur, consequens erat, ut Parocho facultas inesset residendi in ecclesia parochiali s. Herculani, quae tamen cum careret decenti parochiali domo, in facultate Parochi esse videbatur domum conducere dictae ecclesiae propinquam : ideoque supererat iudicandum an talis domus censeri posset domus familiae suae, quam in praesentia Parochus incolebat.

FAVORE ORATORUM CIRCA IDEM DUBIUM. — E contra favore Parochianorum ecclesiae s. Sabini advertebatur, quod licet authentico documento unionis indoles ostendi non posset, non deerant tamen indicia quae ostenderent, paroecias ea unione fuisse coniunctas, quae dicitur ***accessoria et subiectiva:*** id enim testatus est Paro-

(1) Quamvis Parochus, qui relicta parochialis ecclesiae domo, in altera intra paroeciae limites inhabitans suae obligationi residendi non plene satisfaciat; non tamen censendus est statim in poenas incurrere contra non residentes iuflictas *in cap.* 1 *sess.* 23 *de Refor.* Incurret quidem in episcopales poenas si ab Episcopo eiusmodi Parochus cogatur suas obligationes implere, quemadmodum censuisse videtur S. Congregatio Concilii in causa *Nullius* diei 6 Aprilis 1606 *L.* 10 *Decr. p. 148,* in qua ad duo proposita dubia rescripsit: « *ad* 1. *huiusmodi Rectorem debere habitare in aedibus parochialis ecclesiae, si ipsa aedibus non careat: ad* II. *si infra limites parochiae, non tamen in aedibus parochialis ecclesiae, habitaverit, fructus tamen facere suos, nec in aliam poenam incidere quam eam, quae praecepto Episcopi ad inhabitandas illum ecclesiae parochialis aedes urgentis continetur.

chus praecedens, qui legerat vetustam memoriam, in qua ecclesia s. Sabini diserte Matrix dicebatur: ipsemet Vicarius affirmabat alteram ecclesiam ***filialem adhuc nuncupati:*** aderant plura praeeminentiae indicia quae ecclesiae s. Sabini suffragabantur, cuiusmodi erat parochialis domus, Sodalitium in ea erectum, constans Parochorum residentia, sacrae functiones solemnioribus diebus festis ibi peractae. Quod si haec omnia vellent praetermitti, non deerat immemorabilis consuetudo quae residentialem ecclesiam determinavit; ita ut etsi unio aestimari velit ***aeque principalis,*** ob quam facultas inesse traditur Parocho residendi in alterutra ecclesia; tamen vigente immemorabili consuetudine favore ecclesiae s. Sabini, ea tamquam lex foret servanda.

FAVORE PAROCHI CIRCA SECUNDUM DUBIUM.—Disceptata quaestione principali circa residentiam, pauca innuebantur circa secundum dubium. Recoìebatur enim favore Parochi, Innocentium XI. summopere commendasse, ut Sodalitium SSmi Corporis Christi in qualibet paroecia institueretur. Traditum praeterea esse eiusmodi Sodalitatem teneri ad impensas necessarias pro cultu SSmi Sacramenti, ex propriis censibus. ***Ferrarien. Confraternitatis*** 14 ***Septembris*** 1778 ***ad III. dub. et in Feretrana Confraternitatis*** 12 ***Decembris*** 1829 ***ad III. dub.*** Porro in utilitatem utriusque paroecialis ecclesiae Sodalitas, de qua agimus, videbatur instituta; ideoque utrique ecclesiae sua obsequia praestare atque impensas ct supellectiles suppeditare debere dicenda erat.

FAVORE CONFRATERNITATIS CIRCA SECUNDUM DUBIUM. — At e contra quamvis concedi vellet, Sodalitatem teneri ad 'suppeditandas supellectiles ecclesiae parochiali, eiusmodi obligationem protendendam non esse advertebatur ultra cultum quem Sodales praestant SSmo Sacramento; nec earumdem custodiam ac possessionem subtrahi Confratribus posse, qui propriam sedem habebant in ecclesia s. Sabini. Ex unione autem supposita paroeciarum ***aeque principali*** nullimode poterat ecclesia s. Herculani ius sibi adscribere super dictis supellectilibus. Quin imo cum talis ecclesiarum unio iura unicuique ecclesiae sarta tectaque servet, ad obsequia alteri ecclesiae praestanda teneri Sodalitas dicenda non erat.

CIRCA TERTIUM DUBIUM. — Custodiam clavium archivii parochialis ad Parochum privative pertinere, res satis explorata in iure dicebatur. Namque in causa ***Carpenloracten.*** diei 15 Sept. 1781,

in casu etiam duriori, favore Parochi iudicatum fuit. Agebatur enim de Capitulo quod sibi competere autumabat actualem iurisdictionem in ipsam parochiam, et ideo ius detinendi clavem archivii: proposito autem dubio: « an custodia codicum pa-
tì rochialium currentium debeat privative spectare ad eosdem
» Curatos, seu Vicarios Curatos; vel potius custodiendi sint sub
» duplici clavi quarum una saltem retineatur a Capitulo in casu:» S. C. respondit: ***affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An Parochus teneatur residere in ecclesia... (s. Sabini);
» seu potius in alterutra ecclesia unita morari valeat in casu.»

II. « An liceat Parodio transferre res Confraternitatis SSmi
» Corporis Christi, iisque uti in ecclesia... (s. Herculani) in casu.»

III. « An archivium parochiale custodiri a Parocho possit sub
» unica clavi ; seu potius ius competat etiam Syndacis illud cu-
» stodiendi sub triplici clavi in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii causa denuo discussa die 26 Novembris 1864 respondere censuit:

Ad I. ***pro nunc teneri ad residentiam in domo parochiali ecclesiae...(s.*** Sabini); ***cum autem per Parochianos alterius ecclesiae... aedificata fuerit congrua domus prope ecclesiam, tunc alternatim et ad mentem*** (1).

Ad II. ***Negative.***

Ad III. ***Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.***

Ex DICTIS COLLIGES:

1. In ecclesiis quae unitae dicuntur, triplicem unionis qualitatem esse apprime distinguendam, nempe ***promiscuam, subiectivam, et aeque - principalem*** (2).

(1) Mens fuit S.Congregationis ut Vicarius capitularis declararet, quomodo hactenus fuerit provisum obligationi applicandi duplicem Missam pro populo.

(2) Sunt Auctores qui alias species unionis distinguunt, eorum tameu sententia recepta non est, sed adprobata est opinio Glossae *in cap. Novit. Ne sed. vae.*, tres tantum unionis species distinguentis. Et sane in pretio habenda est in huiusmodi distinctionibus differentia specifica dumtaxat, secus totdistin-

II. Ex diversa unionis qualitate diversa dimanare iura et obligationes.

III. In paroeciis unitis unione ***subiectiva*** Parochum residere debere in ecclesia, quae ***Matrix*** solet nuncupari, et obligatione non obstringi applicandi duplicem Missam pro populo. Ex hac enim reali unione una tantum re et nomine parochia exurgit.

IV. In paroeciis unitis unione ***aeque-principali*** Parochum residere debere in alterutra, vel etiam alternatim, pro diversis ecclesiarum adiunctis, et obligatione obstringi duplicem Missam applicandi pro populo. Duae enim hac unione distinctae ac diversae manent paroeciae, quae ex identitate potius Rectoris unitae dicuntur.

V. Urgente residentiae lege Parochum in domo ecclesiae parochialis habitare debere, vel in propinquiori domo, si illa-desit.

VI. Neque residentiae legi plene satisfacere Parochum si extra parochialem domum residentiam ligat, quamvis intra paroeciae suae limites reperiatur.

VII. Quare detrectantem Parochum cogendum esse iuris remediis, ut suae obligationi residendi in parochiali domo faciat satis; neque excusari facile posse ex aeris insalubritate, multoque minus ex societate parentum, aliisque minoris momenti causis (i).

gui deberent unionis species, quot sunt casus contingibiles, ut bene observat Pitonius *Discept, d* «.41 in quo scripsit: «Canonistae, qui habent sanum iudi» cium , solum posuerunt in iure tres » unionum species, alios vero casus omi» serunt, dicendo generaliter, reliquorum » iudicium pendere ex tenore privilegii, » quod esse attendendum dicit ipse Ho» stien. qui post figuratas quinque unio» num species, se declarat in fine con» eludendo in *d. cap. Novit. num. 4 in » fine:* ibi: *quae tamen non sunt perpetuo » vera, quia privilegii tenor diligenter » est attendendus.»*

(i) Quantum lex residentiae animarum Pastores urgeat, dignosci potest ex sequentibus decretis S. Congregationis Concilii. Anno 1573, Episcopus Rhegensis S. Congregationem consulens super pluribus dubiis ad Parochorum residentiam spectantibus inter caetera sciscitatus est: « si aer in loco Curae adeo sit insalubris, » ut sine vitae periculo nemo habitare in » eo possit nisi indigena eiusdem loci » sit, posset ne Rector alibi habitare?» *S Congregatio Concilii censuit non posse — Si tamen Rector infirmus esset, et in loco parochiali curari non posset defectu Medicorum vel medicinarum, tunc posse ab Ordinario dari dilationem trium aut quatuor mensium, id in locis vicinioribus maneat recuperandae sanitatis causa, posito interea ab ipso Ordinario in Parochiali idoneo Vicario cum congrua portione ex redditibus eiusdem parochialis,* ut *exLibr.* 1 *Decr. pag.* 52.

Item in causa *s. Agathae Gothorum* diei 16 Martii 1641, rescriptum prodiit:

VIII. Colliges insuper vim praescriptionis non acquirere observantiam illam, quae licet ad longissimum tempus protracta, tamen eius repetiti actus facultativi, vel phisica necessitate fuisse coacti ostendantur.

Jntemperiem , et insalubritatem aeris moti excusare a residentia, ut ID *lib.* 16 *Decret, p.* 513. Item in *Nicien.* diei 4 Augusti 1645 rescriptum fuit: *Aeris intemperient non excusare Parochum a residentia* ut in *lib. Decret. iSp.* 206,

Ob alias etiam graves causas, puta tenuitatem reddituum, vel inimicitiarum, *ab* obligatione residendi Parochus non solvitur, Pignatellius *t.* 7 *Consult.* 4 *n.* 18 sequentem refert resolutionem « Cum » Episcopus Calliensis nuper edixerit, ut « Parochialium ecclesiarum Rectores in *x* suis ecclesiis resideant, petit Angelus » Curatus parochialis ecclesiae s. Angeli, » an et ipse teneatur residere, cum red- » ditus ecclesiae sint tenuissimi, eius » antecessores super hominum memo- » riam nunquam resederint, ecclesia ipsa » circiter duobus millibus passuum dum- » taxat a civitate distet, et sex vel septem » familias tantum habeat, neque ipsi » parochiani quicquam curent de resi- li) dentia Pastoris.» S. Congregatio Concilii censuit: *Oratorem non excusari a residentia ob causas superius expressas; ideoque oportere ipsum parere edicto Episcopi hac de re edito.*

Idem Auctor sequens refert rescriptum S. Congregationis Episcopor, in *Ariminensi,* quod ex italico idiomate vertimus. Visitatori scilicet Apostolico rescripsit «ut » residere faceret Parochos, qui parocliia- » lem domum non habeant, in alia domo, » quae intra parochiae fines reperiatur » propinquior quoad fieri possit ecclesiae. * Parochi sub inimicitiarum praetextu » non possunt a Cura abesse ex Episcopi » licentia, sed eam petere debent Romano *x* Pontifici vel S. Congregationi, quae ac- *x* curate in examen revocare solet cir- * cumstantias. ac speciatim ex qua causa » inimicitiae provenerint, et an Parochus «fuerit culpabilis, et alia diligenter in- » quirit. Quod si venia abessendi conce- » datur, ea ad breve tempus conce- » ditur, atque inter alias conditiones » iniungitur, ut in loco tuto, viciniori» » quoad fieri possit, Curae, maneat.»

Si ratio quaeratur cur tantum urgeat Parochos residentiae lex, ita ut cum gravi suo incommodo, et interdum etiam cum periculo vitae residere teneantur, ea repetenda est ex indole officii quod ab Ecclesia iis committitur, et ab iisdem assumitur. Parochi advocantur in sollicitudinem officii pastoralis , quod proprium est Episcopi : hoc pastorale officium Parochis committitur non quavis ratione, sed secundum ordinem ab Ecclesia constitutum; ordo autem in Ecclesia constitutus est, ut singulis paroeciis presbyter praeficiatur tanquam Pastor proprius, ita ut populus ei concreditus sit grex eius intra praescriptos potestatis limites. Ex hac intima constituta relatione gravissima oriuntur officia, inter quae praecipuum est illud residentiae,quo inter oves versari debet Parochus ut eas pascat verbo et exemplo, atque illarum indigentiis, cum gravi etiam suo incommodo, quousque Pastor est, praesto sit. Determinatus est autem ab ecclesia modus ut eiusmodi residendi officium non ex arbitrio, sed ordine cohaerente ad caetera pastoralia officia, executioni mandetur. Constitutum scilicet est ut quaelibet paroecia suos habeat limites, suamque ecclesiam quo parochiani conveniant, ibique Parochus sua praecipua officia exerceat, ibique domus sit, ubi de ecclesia , et de ovibus sollicitus morari teneatur. Vid. etiam quae de pastorali officio dicta sunt *V. I. p.* 409 *et seq*

IX. In praesenti casu constantem observantiam residendi in ecclesia s. Sabini eo ipso physice coactam ostendi, quia in altera ecclesia domus parochialis habitabilis deerat.

X. Denique colliges maxime commendandam esse erectionem Sodalitatis SSmi Corporis Christi in singulis paroeciis (I).

(i) Ut fideles maiori veneratione erga augustissimum SSmi Corporis Christi Sacramentum inflammentur, illudque cum ab ecclesia ad privatas aegrotorum domus defertur, honorificeutius comitentur, erectionem Sodalitatis SSmi Sacramenti primus in Urbe probavit Paulus III., ac deinde-per binas Constitutiones concessit ut Confraternitates SSmi Sacramenti, omnes ubivis locorum institutae, ac instituendae, iisdem privilegiis quae Confraternitati SSmi Sacramenti iu ecclesia sanctae Mariae supra Minervam <5e Urbe erectae largitus fuerat, ac largietur, fruerentur. Easdem Confraternitates ut in qualibet paroecia instituerentur plurimum commendavit Innocentius XI, Constit. *Iniuncti nobis,* anni 1678 et Confratres spiritualibus donis munifice ditarunt plures Summi Pontifices teste Card. Petra *ad Constit. VI. Eugenii IV. n.* 3 *et seq. tom. A.* Et licet ex Constitut. Clementis VIII, quae incipit: *Quaecumque,* diei 7 Decemb. iGOi prohibeatur erectio plurium Sodalitatum eiusdem nominis et Instituti in eadem civitate vel oppido ; attamen ab huiusmodi prohibitione immunes sunt Sodalitates SSrììi Sacramenti; quae erigi poscunt in qualibet parochiali ecclesia, etsi iam in ea erecta reperiatur quaevis alia Confraternitas, ut edisserit decretum iussu Pauli V. die 27 Septembris 1607 editum, et, relatum a Ferraris *Biblioth. can. v. Confraternitas art. I n.* 33.

Die 23 Aprilis 1676 S. Congregatio Indulgentiis praeposita sequens emisit decretum: « *S. Congregatio etc. optatis summopere SSfni Sacramenti venerationem et cultum in dies augeri, et ob eam causam huiusmodi Societatem in omnibus ecclesiis pai ^chialibus erigit atque ad id Christifideles praecipuis gratus excitari, speciali ordine habito vivae vocis oraculo a SSmo D. N. Clemente PP. X., f. r. Pauli V vestigiis inhaerente; decernit ac declarat iuxta easdem Pauli III. Constitutiones, Confraternitates omnes et singulas SSihi Corporis Christi, ubique terrarum hactenus Apostolica, vel Ordinaria auctoritate erectas aut posthac erigendas, absque nova atque peculiari alia concessione communicatione, vel aggregatione fore et esse debere participes quorumcumque privilegiorum concessionum, indulgentiarum, Jacultatum, gratiarum et indulgentiarum et indultorum ab eodem Paulo V. Archiconfraternitati SSmi Sacramenti de Minerva per Breve dat. Romae apud S. Petrum die* 3 *Novembris* 1606 , *nominatim et expresse concessarum ac in posterum a Sede Apostolica concedendorum, illisque omnibus et singulis uti, potiri, gaudere posse ac debere statim ac Confraterni* tutum earumdem erectio Apostolica vel Ordinaria auctoritate facta fuerit; servata in reliquis omnibus Clementis VIII. Constitutione. Non obstantibus etc.*

Item Benedictus XIV. alias indulgentias peculiares Confratribus concessit pro singulis pietatis et charitatis operibus, ut habetur ex decreto S. Congregat. Indulgentiarum diei U Augusti 1749.

Quaedam insuper privilegia supr» alias Confraternitates conceduntur eisdem in omnibus processionibus quae fiunt cum SSmo Sacramento, ut videre est in Collectione Gardelliui decretorum

Die 9 Decembris 1855.

Summaria precum. In ecclesia parochiali N. existit eappel-Iania cuius lex fundationis anni 1412 his verbis est expressa : *« volumus quod Beneficialis* (scilicet Cappellanus) *ipsius ecclesiae seu cappellae omni die, seu saltem quinquies in hebdomada Missam in dicta ecclesia celebrare teneatur; iusto tamen impedimento-cessante, et si negligens fuerit, vel renuens ad celebrandum ipsam Missam, seu ipsam Missam non celebraverit, quod ipse Beneficialis incurrat poenam solidorum duorum pro qualibet vice, qua ipsam Missam non celebraverit, convertendam in utilitatem dictae ecclesiae. »*

Hac exposita fundationis lege Ordinarius quaesivit, utrum ad preces eorum quorum interest, possit obligari Cappellanus ad accensendam inter quinque hebdomadales dies (quibus saltem iuxta legem fundationis celebrare tenetur) dies festos.

Rogatus Ordinarius ut iterum inspecta fundationis lege referret, si quid forte inveniret quod magis praecise explicaret tum originem tum valorem praedictae obligationis : retulit se

ss. Rituum *nn.* 230, 1017, 1592, 1609, 2006, 3001, 4079.

Die 22 Augusti 1842 in *Lemovicen.* sequens inter alia tuit propositum dubium S. Congregationi Indulgentiarum, quod plura declarat circa modum Confraternitatum ab Episcopis erigendarum. « Quaenam formula adhiberi debeat in communicatione Indulgentiarum concessaem Archiconfraternitatibus Romae erectis, quam communicationem idem Episcopus diversis Confraternitatibus in sua dioecesi erectis vel erigendis elargitur, auctoritate sibi ab Apostolica Sede per diversa Rescripta delegata, servatis tamen servandis iuxta Constitutionem Clemenis VIII ?

» Num necesse sit singulas indulgentias *nominatim* communicare, et hoc agere cum interventu duorum de Capitulo?

» Utrum defectus statutorum, vel Officialium in dictis Confraternitatibus, tum etiam si in his pia opera vel usus singulares adhibeantur non conformes illis quae in Archiconfraternitatibus Romae servantur, officiat id validae erectioni, vel Indulgentiarum communicationi?» Sac. Congregatio respondit. Ad primam partem: *nullam determinatam formulam praescriptam esse Episcopis Sodalitates erigentibus, sed tantum Ordinibus Regularibus iuxta Clementis VIII. Constitutione proindeque decretum solummodo Episcopi erigentis satis erit ad canonicam erectionem.* Ad secundam partem: *negative.* Ad tertiam partem: *negative, dummodo opera exerceantur, quibus adnexae sunt indulgentiae.*

praeter allata superius verba, nil aliud reperisse quod clariorem lucem possit super illis afferre. Interea monebat ob quasdam circumstantias circa annum 1854 a Curia decisum fuisse, inter quinque Missas comprehendi debere Missam diebus festis celebrandam.

EA QUAE EX OFFICIO OBSERVABANTUR. — Praestituto generali principio, quo onera Beneficiorum dimetienda sunt iuxta leges fundationis , ita ut hae nec in melius- mutari possint, Clement. ***Quia contigit, de Relig, domibus,*** observabatur, in praesentia sermonem tantum esse de Missa quinquies saltem in hebdomada celebranda: cum determinatio dierum facta non fuerit, liberam videri celebrationem quovis hebdomadae die. Adsignatio enim peculiaris dierum vel horarum nova est obligatio, quae imponi non potest si in lege fundationis non sit praescripta.

Verum denegari non posse advertebatur, quod ipsi Fundatores in eiusmodi institutionibus consulere plerumque intelligant fidelium necessitati; hinc visum est Ceccoper ***Lucubrat. canon. L*** 3 ***n.*** 146 ***et seqq.*** non licere Cappellanis sacra mysteria temporibus, et horis sibi benevisis peragere , sed teneri easdem celebrare ad ecclesiae commoditatem iuxta ordinationem Tabellae, vel mandatum cius, cui competit ius disponendi Missas in ecclesia, et in casu quo illi recusent, Episcopi esse in actu s. visitationis providere, ut prima Missa summo mane, et deinde caeterae debito intervallo usque ad meridiem celebrentur ad populi commodum, praesertim diebus festis. Ad huius assumpti probationem allegat resolutionem S. Congregationis apud Nicoliuin ***in flosculis verbo Cappellanus n.*** 3 cuius verba sunt: ***Cappellani eliam iurispatronatus celebrare debent in horis commodis ecclesiae.***

Contrariam tamen sententiam sustinet Pitonius ***de Controv. Patron, alleg.*** 100 ***n.*** 29 afferens S. C. C. Resolutionem in ***Pisauren.*** 6 Aprilis 1647, quae in regestis S. Congregationis reperitur ***Lib. Decret.*** 18, ***pag.*** 231, his verbis concepta: S. ***Congr. respondit: Episcopum, Oppiden. Oratorem obtinenlem Beneficium simplex in ecclesia cathedrali Pisaurensi cum onere celebrandi Missas duobus diebus cuiuslibet hebdomadae, et aliquibus diebus festis, non posse cogi ab Episcopo Pisaurensi ibidem celebrare, vel celebrari facere cenis diebus et horis per eumdem Episcopum***

Pisauren., praescriptis; sed tantummodo posse illum hortari ut celebret, vel celebrare faciat. » Quod in alia ***Pisauren.*** diei 17 Maii 1653 idem decisum reperitur, ut legitur in iisdem regestis ***Lib.*** 19 ***Decret, p.*** 243; proposito enim dubio: « an Cappellanis » Cappellaniarum de iurepatronatus laicorum in ecclesia cathe- }> drali erectarum possint ab Episcopo assignari dies et horae » in quibus celebrent Missas ex obligatione earumdem Cappel- » laniarum celebrandas: » S. Congr. respondit : ***Episcopum non posse cogere huiusmodi Cappellanos ut Missas celebrent, vel celebrare faciant certis diebus et horis.***

Recens praeterea adducebatur quaestio in ***Fiorentina Celebrationis Missarum*** diei 18 Aprilis 1863. In ecclesia Fratrum Hospitalitatis infirmis inserviendum existere dicebantur Cappellaniae sive ibidem erectae sive etiam translatae cum onere Missas festivis diebus celebrandi. Cum autem populi commodo et ecclesiae servitio haud parum expedire iidem Fratres iudicarent, ut Missae a primo mane ad meridiem continuata serie celebrarentur, quod sine augmento eleemosynae facere non poterant, in eam venerunt sententiam , ut onus celebrandi certis horis vel onus augendae eleemosynae in earumdem Cappellaniarum Rectores reiicerent. Proposito itaque dubio: «an et quomodo » Rectores Cappellaniarum cogi valeant ad Missas celebrandas, » vel celebrari faciendas certis horis diebus festis in casu: » S. C. respondit: ***negative in omnibus, et Archiepiscopus adhibeat hortationes.***

Haec autem ex generali principio deduci animadvertebatur, non posse episcopali auctoritate novum onus Beneficiis imponi, quod in fundatione non contineatur.

His propositis supererat iudicandum an in casu ex adducta fundationis lege teneretur Cappellanus celebrare in propria ecclesia unam ex praescriptis Missis diebus festis.

RESPONSIO. — S. Congregatio Concilii quaestiunculae ***per summaria precum*** expositae die 9 Decembris 1865 respondere censuit: ***non teneri.***

Ex us COLLIGES:

I. Onera Cappellaniarum seu Beneficiorum determinanda esse ad normam legis fundationum, nec posse ordinaria auctoritate ea onera augeri.

lì. Quare non determinatis aliqua ratione diebus vel borisi in lege fundationis, quibus Missae celebrentur, regulariter Cappellani cogi non possunt ad celebrandum determinatis diebus-ct horis (1).

(1) Dixi regulariter: namque licet Episcopus novum onus iniungere non possit Beneficiis, atque inde non possit novam imponere obligationem Cappellanis celebrandi Missam determinatis diebus et horis quam ex lege fundationis non habent: urgente tamen populi necessitate cui consuli alia ratione facile non possit, potest cogere Cappellanos, ut celebrent determinata die vel hora. Cogere autem eosdem potest non ex vi legis fundationis, sed ex alio generali principio, quia ipsi utpote Sacerdotes habent ratione Ordinis munus suum addictum Populo, ut loquitur Pasqualigus *de sacri/. Missae q.* 844 *n. ii.* Concilium namque Tridentinum *sess.* 23 *c.* 14 statuit: *Qui pie et fideliter in ministeriis anteactis ne gesserint, et ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium, et hi sint qui...ad populum docendum ea quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta...idonei comprobentur...Curet Episcopus, ut ii saltem diebus dominicis et festis solemnibus,.... Missas celebrent.* Unde Pasqualigus *loc. cit.* haec scripsit: «Si in aliquo oppido sit unus .» tantum Sacerdos qui teneatur celebrare «diebus festis et adsint alii simplices «Sacerdotes, poterit Episcopus eis praecipere ad celebrandum diebus festis. «Ratio est quia adest indigentia Populi, » eo quod difficile sit, quod omnes eadem » hora conveniant ad audiendam Missam, » et ideo cum Sacerdotes habeant ratioime Ordinis munus suum addictum po» pulo, poterit Episcopus eos cogere, ut » impendant officium suum populo of» ferendo sacrificium, ut absque difQeul» tate possit adimpleri praeceptum au» diendi sacrum... » Quae auctoris verba inseruit Benedictus XIV. in sua Constitutione *Declarasti nobis,* ad indicandum unum modum quo iteratio Missae diebus festis declinari possit, de qua re loquuti, sumus *Vol. I. pag.* 50, *et seqq.*

Ipsemet Pitonius qui *allegation.* 100-confutat Ceccoperii sententiam, casum necessitatis excipit, his verbis: «excepto» casu necessitatis ecclesiae pro indigen» tia populi cui succurri nequeat cui)* » aliis Missis. » Quo sensu forsan accipienda erunt ea verba quae tanquam S.Congregationis traditJNieolius in loc» supra citato.

Caeterum licet Cappellani de quibus agimus cogi regulariter non possint ut ad maiorem populi commoditatem Missam successivis horis celebrent, non tamen id facere detrectabunt (maxime si Episcopus sit qui eos hortetur), si ii non sint qui vel de populo christiano nullimode solliciti, ignobili commoditati nimis iudulgent, vel paupertate pressi eleemosynam maiorem quaeritare coguntur.

In cathedralibus autem vel collegiatis-ecclesiis ipsi Canonici, vel Beneficiati tempore quo ad populi commodum ex licentia Praefecti chori celebrant, distributiones chorales non amittunt, ceu pluries respondit S. CC., de qua re videsis *Vol. I. pag.* 73 *ad II.*

EX S, C0H6RE6ATI0KB SUPER STATU ' **IEGUUBIOI.**

SUPER DECLARATIONE LITERARUM APOSTOLICARUM.

Die **16** *Augusti* **1866.**

Compendium facti. Quamvis iam editum esset Decretum: ***Neminem latet,*** diei 19 Martii 1S57 quo, expleto probationis tempore, vota simplicia professioni solemni praemittenda praescribuntur: nihilominus Titius anno novitiatus expleto, et decimosexto aetatis suae, anno 1861 , omissa professione votorum simplicium (sive propter ignorantiam praefati Decreti, quod nonnisi mediante Gubernio Russico transmitti poterat, sive propter periculum ipsum observandi absque praevia licentia eiusdem Gubernii) solemnem professionem emisit.

Literis Apostolicis deinde emanatis quae incipiunt: ***Ad universalis,*** diei 7 Februarii 1862 quibus statuitur professionem solemnem irritam esse nisi simplicia vota praemittantur iuxta dictum Decretum; dubium ortum est super validitate emissae ***u*** Titio professionis, quare supplicatum est SSmo.

I. « Utrum (Titius) professionem solemnem valide emiserit.»

Et quatenus ***negative.***

II. «Utrum saltem vim votorum simplicium (eadem professio) » habuerit, vel e contra omnino irrita sit, ita ut ipsi liceat ad -» saecularia vota convolare. »

Disceptatio gynoptica.

EA QUAE MILIYABANT PRO VALIDITATE PROFESSIONIS. — Quoniam professionem ad normam Tridentini Concilii emisit Titius, neglecta dumtaxat lege, quae praescripta est a SSmo D. N. Decreto: ***Neminem latet,*** idcirco disquisitio ***ex officio*** fiebat, an neglectum novae legis induceret professionis ***nullitatem,*** vel tantum ***illi" •ceilatem.***

Ad ostendendam professionis validitatem praestituebatur principium iuridicum Innocentii III., quod legitur in cap. ***Ad Apo-***

stolicam 16 de ***Regni.,*** scilicet : ***multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint roboris obtinent firmitatem.*** Animadvertebatur-autem in Decreto: ***Neminem latet,*** non appositam fuisse clausulam irritantem, qua scilicet declaretur nulla professio aliter emissa: quare consequens esse videbatur, professionem a Titio» emissam validam dici debere.

Eo vel magis quia Innocentius III. effatum illud iuridicum protulit in casu qui a nostro non multum distat. Notum siquidem est legem, quae annum probationis praescribit, ante Tridentinum Concilium clausulam irritantem non secum tulissc Propositus itaque fuit casus Innocentio III. cuiusdam Monachi,, qui, non expleto probationis anno, professionem emiserat, de cuius validitate quaerebatur. Cui Romanus Pontifex respondit: ***quod licet tempus probationis a Sanctis Patribus sit indultum non solum in favorem Conversi, sed etiam monasterii, ut et ille asperitates istius, et istud mores illius valeat experiri.... si tamen ante tempus probationis regulariter praefinitum, is qui converti desiderat habitum recipit et professionem emittit, Abbate per se , vel per alium professionem recipiente monasticam, et monachalem habitum concedente, uterque renunciare videtur ei quod pro se noscitur introductum, ideoque obligatur per professionem emissam pariter et acceptam ad observantiam regidarem, et vere monachus est censendus : quia multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint obtinent roboris firmitatem.***

Ad sustinendam professionis validitatem, et aliud argumentum adducebatur quod est eiusmodi. Notum est adesse Religiones, quae probationem protrahunt ex instituto, ultra annum: porro pluries disputari contigit, an professio ante tempus a peculiaribus constitutionibus Ordinum praescriptum emissa dicenda invalida vel potius dumtaxat illicita: verum invaluit principium quo non? soleat irrita declarari nisi nullitatis poena fuerit in iisdem constitutionibus a Sede Apostolica specifice adprobatis adiecta, uti tradit Fagnanus in ***cap. Qui Presbyterum n.*** 8 ***et seqq. de Poenit. et remiss.*** Petra ***ad Const.*** 2 Anast. II. ***n.*** 9 ***et seq., ad Const. f> Gregor. IX. n.*** 22 ***et seq. t.*** 2 ***et ad Const. Callisti III. n. il t.*** 5, et ex pluribus Resolutionibus S. C. C. quae citantur in ***Capritana Restitutionis in Integrum §. Verum tamen*** diei 6 Iulii 1737

nominatim vero adducebatur Resolutio in ***Romana Professionis ct Matrimonii*** diei 27 Novembris 1696 (1).

EA QUAE ADVERSABANTUR VALIDITATI PROFESSIONIS.——E **Contra*.** observabatur, quamvis verum sit principium iuridicum Innocentii III., cuius mentio facta est, non minus alterum esse verum quod legitur in ***Lege*** 5 ***C. Non dubium de Legibus et Const.*** hisverbis: « ***Ea quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis eliam habeantur, licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere quod (actum est.*** » Quod iuris principium confirmatum est canonica sanctione, ***Can. Imperiali caus.*** 25 ***quaest.*** 2, et in ***Regulis iuris in*** 6°, ***Reg.*** 64 ubi legitur: « ***Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi. »***

Dicebatur autem eiusmodi principium tunc locum non habere quando aliqua Constitutio aliquo modo ostendat, contrarium actum èsse illicitum non tamen invalidum. Reiffenst. ***Lib. i Decret, tit.*** 2 de ***Constit, n.*** 246 ***et seqq.*** Fagnanus ***in Cap. Cum accessissent*** 8 ***de Constit, n.*** 15. Verum in Decreto: ***Neminem latet,*** nihil innui videbatur, ex quo argui posset valida professio praetermissis votis simplicibus ad triennium (2).

(I) Citata causa *Romana* sic legitur in regestis S. C. C. *Lib. Decret.* 46 *p.* 437. « N.N. romanus postquam expressam proli fessionem emiserat inter Conversos Ter» tii Ordinis s. Francisci, ac per plures » annos in dicta Religione uti Professus » permanserat, ex abrupto, dimisso ha»bitu, fugam arripuit, praetendere se » nulliter professum tum ex interrupto «anno novitiatus, attento quod perno» ctasset non semel extra conventum, » tum ex defectu quatuor mensium ad » complendam aetatem annorum xxi. re» quisitam ex decretis generalibus s. m. » Clem. VIII.(scil.in Constit.*In suprema » Ecclesiae* diei 19 Martii 1603) in hu» iusmodi Conversis, adeoque credens se «solutum a vinculo Religionis, uxorem » duxit, sed pretendente Religione prae» fatas nullitates nullo modo subsistere, » ex eo quia pernoctatio extra claustra » cum habitiTet licentia Superiorum noi* »sit Conversis interdicta, et Decretum. » s. m. Clem. VIII. praescribens huius» modi Conversis aetatem 21 annorum «ad profitendum nullam habeat clausu» Iam annullativam, cum ceteroquin satis » sit ad validitatem professionis aetas. » sexdecim annorum a sacro Concilio » praefinita ; hinc professo in carceribus» detento, et asserta uxore ab Urbe pro» fuga,resolvenda proponunt in praesenti. » congregatione sequentia dubia :

I. » An constet de praetensa nullitate professionis.

II. » An matrimonium, ut supra contractum, fuerit validum.»

S. C. Conc. in comitiis diei 27 Novembris 1696 rescripsit:

Ad utrumque *negative.*

(2) Solemnia sunt in iure duo relat» principia nempe: *Quae contra ius fiunt*

Sed praeterea adversus professionis validitatem a Titio emissam militare videbatur Constitutio laudata, ***Ad universalis,*** diei 7 Februarii 1862, quae irritam decernit professionem solemnem emissam contra formam praelaudati Decreti. Haec enim Constitutio licet posterior esset emissae a Titio professioni, videbatur tamen declarare antecedens Decretum : ***Neminem, latet,*** diei 19 Martii 1857. Namque etsi utrumque ius civile et canonicum clamet: ***Leges et Constitutiones futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim et de praeterito tempore, et adhuc pendentibus negotiis cautum sit,*** ut legitur in ***L.*** 7 ***C. de Legibus et Constit., et*** 65 ***C. de Decurion., et*** in Decretalibus ***cap. Quoniam*** 13 ***de Constitutivi :*** nihilominus si lex posterior sit declaratoria anterioris legis, eius vis etiam ad facta praeterita convertitur, Fagnanus in ***citat, cap. Quoniam n.*** 45 ubi ait: « At haec ratio cessat in propria » Constitutionis declaratione , quia non incipit obligare ex eo » tempore quo fit, sed trahitur etiam ad praeterita. » Quod insuper conlirmabatur exemplis.

Verba autem Brevis Apostolici seu Constit. ***Ad universalis,*** sunt eiusmodi: « ***Postquam hoc decretum*** (Neminem latet) ***executioni demandatum fuit ex ipsa experientia comperimus quantum utilitatis ex eo religiosae familiae retulerint et referre possint. Verum nuper agnovimus aliquos novitios, praetermissa professione votorum simplicium, ad vota solemnia nuncupanda admissos fuisse, et exinde circa dictorum votorum solemnium validitatem gravia dubia suborta esse. Nos igitur cupientes in re tanti momenti omnem ambigendi causam in posterum removere , motu proprio, et certa scientia deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, quoad religiosas virorum familias cuiuscumque Ordinis, Congregationis, et Instituti, in quibus solemnia vota emittuntur , statuimus ac decernimus nullam omnino, irritam, et nullius roboris fore***

debent utique pro infectis haberi. **Hen'.:** ***multa feri prohibentur quae si facta fuerint roboris obtinent firmitatem.*** **Quibus et aliud veluti medium adiungi potest quod legitur in** ***Cap. Cum iamdudum IHde Praebendis,*** **et est Innocentii III.** ***multa per patientiam tolerantur, quae si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia, non debent tollerari.*** **Eiusmodi principia non indiscriminatim applicari possunt, sed secundum materiam de qua agitur, Constitutionum tenorem, ac reliqua adiuncta.**

professionem votorum solemnium, tam scienter, quam ignoranter, quovis modo, praetextu, et colore factam a novitiis quibuscumque etiam laicis, et conversis, qui licet probationem, et novitiatum prout de iure expleverint, non emittant prius professionem votorum simplicium, et in ea per triennium integrum non permanserint, quamvis vel a Superioribus vel a novitiis vel ab utrisque intentio habeatur respective recipiendi ad vota solemnia et ea emittendi, ac omnes ritus adhibeantur ad professionem votorum solemnium praescripti. Haec volumus, statuimus, praecipimus, mandamus non obstantibus etc. »

Porro quamvis in hac solemni Constitutione non habeatur verbum ***declaramus,*** adesse tamen advertebatur verbum ***decernimus,*** quod in sui latitudine aptum est importare etiam legis iam editae declarationem ut observat Fagnanus ***loc. cit. n.*** 12.

Nec adversari videbantur verba ***in posterum,*** et ***fore ,*** quae ad futurum referuntur: haec enim praeteritum tempus in nostra Constitutione non videbantur excludere.

His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda

B} u foia

I. « An et quomodo respondendum sit primo quaesito.»

II. « An et quomodo respondendum sit alteri. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio super statu Regularium re discussa in consessu diei 16 Augusti 1866 respondere censuit:

Ad I. ***affirmative.***

Ad II. ***provisum in primo.***

Ex IIS COLLIGES:

I. Probationis tempus eo fine fuisse a ss. Patribus inductum, «ut Novitius asperitates monasterii, et istud mores Novitii experiri valeret.

II. Eiusmodi praescriptum probationis tempus aetate R. P. Innocentii HI., quamvis religiose servandum, non tamen pertinuisse ad formam essentialem actus religiosae professionis.

III. Quare probationis tempore non accurate servato, tum Novitius, tum monasterii Abbas renunciare videbantur ei quod ipro se noscebatur introductum.

IV. Tridentinum Concilium c. IS ***sess.*** 25 ***de Regid.*** annum probationis clausula irritanti servandum praescribens hoc tempus induxisse in formam actus, cui neuter renunciare amplius potest (1).

V. Decretum SSmi: ***Neminem latet,*** tempus professionis religiosae hac nostra aetate sapienter protrahens, votis simplicibus interea praescriptis, ad formam actus non adhuc videri pertinuisse; cui clausula irritans non fuerat adiecta.

VI. Edita solemni Constitutione: ***Ad Universalis,*** professionem votorum simplicium post probationem seu novitiatum de iure expletum, eorumdemque votorum perdurationem per triennium integrum pertinere ad formam actus.

(i) «Decretum irritans inducit for- » mam cui renunciari uon potest... ubi » enim est data forma, consensus partium «nihil operatur.» Faguanus in *Cap. aé Apostolicam de Regular, n.* 24.

APPENDIX IX.

COGITATIONES QUAS MENTE NUTRIVIT SACERDOS BARTHOLUM. HOLTZHAUSEB. *IN* UTILITATEM EORUM QUI ECCLESIASTICAE MILITIAE SESE DEDUNT.

Occasione Litterarum Regnantis Romani Pontificis, quae prostant in fronte praesentis fasciculi , legere non praetermiskiKis vitae commentarium nostri Sacerdotis. Illum peragentes comperimus perquam utilem Clericis omnibus, maxime illis, qui praesenti tempore clericali militiae sese dedunt, necnon Parochis et seminariorum Rectoribus. Neque posse dubitari videtur huius Sacerdotis memoriam de Ecclesia et de Clero optime meriti , praesentibus diebus singulari Dei providentia excitatam quam maxime esse.

Quamvis nostri nou sit referre quid exsecutioni mandaverit hic Dei Sacerdos , quomodo se gesserit in ecclesiastico ministerio ; silentio tamen praeterire non possumus, quae a sexto supra vigesimum aetatis suae anno mente conceperit et cogitatione nutriverit, quod summa est eorum omnium, quae, maxime in Germaniae Superioris regionibus saeculo xvn., amplissime gessit.

Latine autem vertimus quae sequuntur , excerpta ex viia quam conscripsit Rmus D. I.P. L. Gaduel. Itaque Libro III. cap. 2 haec habentur.

Zelus, qui Bartholomaeum *comedebat* ita ardens atque effusus erat, ut id quod ipse per sese operabatur, sibi nequaquam satis esse videretur. « Ecquid prodest, secum » ipse idemtidem aiebat, ecquid pro- >> dest vir unus? Quidnam magni » solus ego operari pro Ecclesia » potero etsi totus exhauriar? Tam » arctis vires nostrae limitibus cir- » cumscribuntur, tam brevis vita » est! Licet tandem res maximas » et aggredi .et perficere mihi con- » tingeret, quid brevi de his fieret? » JNonne cito una mecum evanesce- » rent, nisi socios laboris adsciscam, » qui spiritu Dei pleni, infirmitatem » meam sustentantes, non modo in » laboribus meis mihi opem ferre » possint, sed et eosdem post obi- » tum meum promovere, fructibus- » que uberioribus foecundare? •> Ad hanc metam pertingendam, viamque muniendam qua ad consiliorum suorum , quae saotificandi cleri causa animo conceperat, exsecutionem perveniret , opportunius medium haud se illi offerebat, quam Ecclesiasticam Societatem constituere. Obversabatur iugiter in animo ea quae mente conceperat, et quibus maximopere affectus fuerat, cum de vocatione sua ageret ; crescebatque in dies ardor ac desiderium multos, eosque pios atque eruditos

scientia, Sacerdotes adsciscendi, qui et Clero sacerdotalis perfectionis exemplo essent, et Sanctuarii alumnis scientiae ac virtutis magistri, populis denique digni pastores; difficile quidem illud, sed haud ita, ut in praxim deduci non posset. Cum antea semper, tum etiam illis Ecclesiae temporibus sive in Germania sive in finitimis regionibus Sacerdotes aderant scientia ac Dei zelo praediti, quorum plerosque Bartholomaeus probe noverat. At vero hi hac illae dispersi, nullo inter se coniuncti consuetudinis vinculo, fratribus plerique haud ita castigans moribus admixti, languescebant, sentiebantque zelum in se quasi impotem paullatim tepescere ; quin imo frequenter, cum fere nullum ex suo se labore fructum percipere posse viderent, animum despondebant.

« Quid ni (sic secum saepius Bar-
> tholomaeus colloquebatur) horum
» Sacerdotum nonnulli adduci pos-
» sint, ut cuiusdam societatis vin-
» culo se colligent, quo sibi in-
» vicem auxilio ac stimulo sint ad
» Dei Gloriam , atque Animarum
» salutem certius procurandam? Si
» omnes Finem expetunt, cur non
» et Media prosequantur? Unacon-
» iuncti hi optimi Sacerdotes, tan-
» quam fratres se haberent, eodem-
» que spiritu,fraterno constricti foe-
» dere, uterentur. Quodnam eorum
» omnium cordi solamen! Regulam
» sibi ipsi iuxta ecclesiasticae ac
» pastoralis vitae leges exactam con-
» statuerent. Episcopis, uti et reii-
» quus Clerus, quod ad externa mu-
» nera ac disciplinam attinet, sub-
» iecti, haberent praeterea pro pe-
» cnliari sui regimine ac interiori
» vita quosdam suos Praesules ab
» se ipsis selectos, qui patrum of-
» ficiis vicibusque fungerentur. Re-
» neficiorimi vero proventibus in
» communem massam collatis, et
» uniuscuiusque indigentiis , qui
» mos est familiae, subveniatur,
» et cum teterrima avaritiae peste
» omnes tum praesentium tum futu-
» rarum vitae necessitatum molestis-
» simae curae illico eliminarentur.

» Possent etiam hi Sacerdotes ad
» opus deducere praecipuum Tri-
» dentini Concilii votum, quod est
» fundatio ac regimen Seminario-
» rum , in quibus per disciplinam
» sancte custoditarn iuvenis clerus
» novo quodam concepto spiritu
» adolesceret. Paroecias item rege-
» rent, quae caeteris exemplo praei-
» rent, tum etiam reliquis ecclesia-
» sticis functionibus, Episcopis vel
» rogantibus vel probantibus, ope-
» ram darent Postremo senibus vel
» aegris honestum tutumque asylum
» inaliquaeSocietatis ipsius domibus
» pateret, ubi ut in propria domo
» reliquum suae vitae tempus de-
» gerent, haud quidem soli ac de-
» serti in laica domo, nullo alio ,
» nisi aucilla quadam vetula , ser-
» viente, sed in sacerdotali domo,
» in mediis fratribus, ac tum om-
» nibus dignitati suae congruenti-
» bus officiis adiuti, tum etiam

» spiritualibus subsidiis, quibus ad » optimam vitam morte sancta co- » ronandam opportune se parent.

» Pluribus abhinc saeculis, uti » et praesenti tempore , innumeri » religiosi viri sese communi vita » sanctificant, neque vero in clau- » stris modo, sed et in medio » mundo inter strepentiores apo- » stolicae vitae actus. Cur igitur, » (ita secum animo volvebat Bartho- » lomaeus) cur igitur huiusmodi » tam aptum Sanctificationis ac Per- » fectionis medium Sacerdotibus e- » tiam extra claustra degentibus » non suppeditemus , qui tandem » iidem ipsi sunt, quibus praeci- » pua Cleri catholici pars confla- «tur, cum his animarum curanda- » rum provincia, et christiani po- » puli regimen demandatum sit? Non » ne hic Clerus est qui et dioece- » sibus Episcopos, et paroeciis Pre- » sbyteros pastores iugiter suppe- » ditat? Igitur non ne Ecclesiae » maxime interest eorum tum bona » vita,tum sancta disciplina ac zelus? » Et cum Sacro-Sanctum Tridenti- » num Concilium populorum salu- » tem a pastorum Sanctitate pen- » dere asserebat, ad quemnam alium » Clerum ea verba dirigebat?»

Difficultas tamen quaedam sese sponte offerebat, quam quidem Bartholomaeus haud dissimulabat : nimirum quo posset modo conciliari communis vita cum ilia sparsimi vivendi ratione, qua pro suo ministerio uti coguntur Sacerdotes qui extra claustra vitam degunt; cui en quomodo Bartholomaeus ipse respondebat.

1°. Haec difficultas evanescit si de magnis paroeciis agatur, vel de domibus pio recessui colendo destinatis, et de seminariis, ubi necessario plures sunt Sacerdotes , qui una vivere ac societatem constituere facillime possunt.

2° Etsi agatur de paroeciis minoribus, ut duo minimum Sacerdotes in iisdem commorentur curabitur. Id vero propter oeconomiam, ac vitae communis parsimoniam facilius fiet: qui autem Coadiutores vel Vicarios gerant nequaquam deerunt, cum Societas ipsa et seminariis et sacerdotalibus gymnasiis regendis novas copiosasque ecclesiasticarum vocationum fontes aperiet.

3°. Sicubi nonnisi unus Sacerdos collocari possit, huiusmodi desertis locis ii seligendi erunt, qui solidiore virtute atque uberiore Spiritu praediti sint; neque vero ut soli ibi diutius morentur permittendum erit, praesertim si Uberioris vitae indicium dederint, pleraque etiam excogitabuntur adminicula, quibus Societati per frequentiore cum praesulibus confratribus que commercia coniuncti teneantur.

'*t*". Denique subiiciebat profundae cogitationis vir Bartholomaeus: « Quod communis vitae essentiam » constituit, haud est multorum sub » uno commorantium tecto Societas: » ea enim esse posset quaedam ho- » "milium inconsulta aggregatio abs-

» que ordine verae Societatis. Igi-
» tur vitae communis essentiale ,
» praecipuum constitutivum ac ful-
» cimentimi hoc est: regulam ha-
» beri communem , eamque obser-
» vari : communes praesules ades-
» se uno omnes spiritu , uno sco-
» po, communibus votis consiliis-
» que informari: communem men-
ti sam sive redditus possideri: unum
» esse omnes Corpus, cuius singuli
» socii totidem membra sint, Corpori
» ipsi colligati, et in Corpore viven-
» tes, haud quidem vitam cuiusque
» propriam, sed vitam Corporis ip-
» sius; ita ut qui infirmis viribus est,
» sentiat imbecillitatem suam Corpo-
» ris abundantia levari: ut paucis di-
» eam, unam efformari ab omnibus
«familiam, in qua veros adesse fra-
» tres unumque patrem, et diligentia
» corda, et sciatur et sentiatur; in
» qua securus sis, quidquid mali ac-
» ciderit, qui tibi iugiter adsistat, qui
» opem auxiliumque cum spirituale
» tum corporale, haud quidem ut in
» aliena,sedutila propriadomo, sup-
» peditet, semper adfuturum. Quae
» si ita sint, etsi quisque longe abesse
» vel multos annos cogeretur, et vi-
» vere solus, is profecto simplex pri-
» vatus, ut aiunt, nequaquam esset,
» aut desertus sive auxilio sive viri-
» bus, sed cuiusdam corporis mem-
» brum, et persona Societatis. Nonne
» Communitatis membrum erat San-
atus Franciscus Xaverius, etiam
» cum Oceanum solus finderet, aut
» in Indiarum desertis locis, aut in
» Taponiae oris versaretur? Igitur
» vita communis etiam quoad Sacer-
» dotes ministerii sui curis disten-
» tos, vel in paroecias dispersos
» aperte se possibilem manifestat.»

Quo haec penitius Bartholomaeus animo volvebat, eo sibi magis ipse persuadebat, maximam consilii sui perficiendi difficultatem in eo primum aggrediendo sitam esse; ac vix aliqui Sacerdotes communem vitam probabili quadam ratione degere una convenissent, haud dubium fore quin et alii ad se illis adiungendos traherentur: quin imo eorum iuniorum Sacerdotum plerosque, qui perfectionis adipiscendae acrioribus stimulis agitantur, eiusmodi vitae genus libenter esse amplexuros ; fore ut ex iis qui religiosa claustra ingrediuntur, in saeculari clero se sisterent., paroeciali ministerio operam daturi, in quo ea Sanctificationis adminicula atque auxilia reperirent, quorum expetendorum gratia, relicto saeculo, claustra affectabant: seminaria denique, ea praesertim quae eisdem huius Societatis Presbyteris regenda tradita essent, per hanc clericalis vitae formam, plurium atque eximiarum vocationum fontes futura esse. Hoc itemBartuolomaeus certissimum fore putabat, ut constituta societate, non modo amplior Sacerdotum numerus haberetur tum ob parvas Presbyterorum scholas, tum etiam ob seminaria ; sed et Sacerdotum eorumdem extra religiosa claustra vitam degentium virtus per communem vitam maximopere auge-

retur: tum etiam illud intimo cordis sensu factum iri persentiebat, ut multi Ecclesiasticorum sibi ipsis in virium imbecillitate et solitudinis tristitia derelicti, quin ullus adsit qui curam eorum gerat, et hi quidem Presbyteri honeste viventes, sed vix mediocri affecti zelo, possent Sancti effici atque admirandi iuxta Evangelium operarii, si sustentati, roborati atque exciti essent validis auxiliis, stimulisque praegrandibus vitae communi societate peractae, et a praesulibus in via christianae perfectionis quasi manuducti,a confratribus denique exempla virtutum .zelique apostolici suscepisset.

Has Sacerdos iste sex et viginti annos vix natus cogitationes mente nutriebat: his meditandis nunquam desistebat, nec Deum precandi seque affligendi faciebat finem ut Dei voluntatem cognosceret; atque in dies magis corde persentiebat , velle Deum ut nulla interiecta mora rem hanc aggrederetur. Sed quo maior animi motus, ac lucidior mentis -conceptus esset, eo etiam abditiora obscurioraque huius rei exordiendae adminicula sibi videbantur. Patienter sustinens ut Providentia viam ad id conficiendum aperiret, quid aliud sibi faciendum esse arbitraretur, quam semet circumspiscere , Sacerdotes aggrediendo operi idoneos exquirere, atque omnem arripere opportunitatem aliis sua consilia discrete prudenterque manifestandi, spe concepta fore ut Spiritus Sanctus huius Instituti intelligentiam ac desiderium iis qui primos illius cum Fundatores, tum etiam operarios ipsemet destinasset, tribueret? Id ille fecit, atque citissime contigit.

Haec ex vitae commentario nostri Sacerdotis.

Eiusmodi cogitationes, quas difficillimis temporibus, rebus Ecclesiae in Germania maxime afflictis, auxiliante Deo, humilis Dei Servus valuit exsecutioni amplissimae mandare, venerabilibus Episcopis exultantibus, Apostolica Sede deinde approbante.

Nostro saeculo, maxime hisce ultimis annis, spiritus ecclesiasticas societates instituendi adeo excitatus est, ut in dies easdem vehementer succrescere videamus, de qua re aliquid diximus in causa *Congregationis SSmi Redemptoris, Votum. I. pag.* 92 *in adnot.* At vero sedulo est distinguenda idea quam Sacerdos noster praeconcepit ab his ecclesiasticis Institutis, quae formam imitantur Ordinum Regularium.

In primis distinguitur Bartholomaei idea a conceptu Ordinis Regularis. Ordo enim Regularis est quoddam morale Corpus, quod suas venas nervosque diffundit sive actu, sive virtute per integrum orbem, quae venae, et nervi colligantur tandem omnes in supremo Ordinis Moderatore, cui Regulares omnes eiusdem Ordinis independenter ab Ordinariis locorum (exceptis casibus iure excipiendis) sunt in omni-

bus subiecti iuxta proprias Constitutiones et vota solemnia, quibus perpetuo devinciuntur. Quare illi qui dant nomen Ordini Regulari, eo ipso subtrahuntur a iurisdictione Episcoporum, (quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei), ut propriae perfectioni, et Ecclesiae bono incumbant, in hoc altero constituto in Ecclesia statu.

Apparet itaque quam discrepet idea Bartholomaei a conceptu Ordinis Regularis, ilic enim Sacerdos neque novum statum a statu saeculari diversum constituere intendit, neque ulla ratione ab episcopali potestate Clericos eximere, ad quam meliori modo quoad fieri possitcoadiuvandam, vitam Cleric. communem iuxta antiquos Canones excogitavit.

Discrepat praeterea Bartholomaei conceptus a recentioribus Institutis Ecclesiasticorum. Haec enim Instituta, in quibus emittuntur ad summum vota simplicia, contistuunt quaedam moralia Corpora, quae plus vel minus Ordines Regulares imitantur; et quamvis eorum membra a S. Sede non soleant eximi a iaridictione Episcoporum in quorum dioecesibus degunt: nihilominus ita subiecta manent propriis Constitutionibus a S Sede specialiter approbatis, ut circa ea quae Constitutiones statuunt, Episcopus ius dicere non possit. Sic ex. gr. si Constitutiones statuant, Superioris esse unum membrum ex una in aliam domum extra dioecesim transferre, Episcopus translationem impedire non potest. Haec insuper Instituta habent proprium praefinitum scopum , ac propria opera exercenda quibusdam conditionibus-servatis ad normam suarum Constitutionum.

Ex quibus apparet quam discrepet Bartholomaei conceptus ab hac secunda familiarum ecclesiasticarum specie. Constitutiones quas Bartholomaeus concinnavit non aliud statuunt, quam ea quae ss. Canones Clericis saecularibus praecipiunt , vel commendant. Opera sunt ea omnia quae facere possunt vel debent qui a qualibet sibi imposita lege soluti , militiae ecclesiasticae dant nomen, Episcopo vel iure Ecclesiae praecipiente aut approbante ; scopus est ut Sacerdote* perfectiores evadant, *numero augeantur,* auferantur incommoda solitudinis, et maiori vi et fructu in dioecesis suae et fidelium bonum sub omnimoda Episcopi subiectione incumbant.

Quare Societas in quam Clerum coire Bartholomaeus cupiebat, non ad publicum Ecclesiae ordiuem pertinet, quemadmodum pertinent Ordines Regulares vel etiam alia ecclesiasticaInstitutaspecialiter a S. Sede adprobata, quae Ordiues Regulares imitantur: sed est dumtaxat privata Societas , quae toties poterit multiplicari quot sunt loca in quibus plures Clerici habeantur.

Neque ad essentiam huius communis vitae necessario spectat, ut Clerici sub eodem tecto vivant -

hoc enim tantum pertinet ad eiusdem integritatem, quae erit servanda quoties ecclesiasticum ministerium id non impediat.

Caeterum eiusmodi Bartholomaei Institutum, cuius substantia non est aliud quam virium omnium collatio, et animorum fraterna unio secumferens cohabitationem in propriam Clericorum perfectionem ad maius bonum dioecesis et fidelium intenta; pro locorum ratione et indole personarum, potest maiori minorique perfectione applicari. Illud certissimum haberi debet, quo perfectior eiusmodi unio erit, eo uberiorem agente divina gratia fructum esse expectandum. Pauci etiam Ecclesiastici saeculares hac perfecta societate coniuncti possunt propemodum prodigia in ecclesiastico ministerio operari.

Quoniam vero de praecipuisServi Dei cogitationibus sermonem habuimus, iuxta quas suam integram vitam direxit, non displicebit Lectoribus nostris si et alias eiusdem Servi Dei cogitationes exponamus,quae ad statum Ecclesiae militantis referuntur.

Ipse librum Apocalypsis interpretatus, distinguit integram Ecclesiae militantis durationem in septem status, quos typice significatos fuisse tradit in septem ecclesiis de quibus Apocalypsis loquitur *c. I.* 20 *c. II. et III* , eosdemque status copiose illustrat analogiis depromptis ex septem creationis diebus , et ex septem quas distinguit aetates a creatione Adae usque ad adventum Christi Domini , aliisque.

« Porro (ait) solet quilibet sta-
» tus sequens ante cessationem prio-
» ris inchoari, et dum prior paul-
» latim decrescit, status alter suc-
» crescit, successive invalescit, ex
» quo distinguere diversos status
» possumus. »

Primus itaque Ecclesiae status iuxta servi Dei distinctionem , ille est, quem *seminalivum* appellat, et est tempus quo Christus Dominus inter homines versatus est, et tempus Apostolorum usque ad Neronem primum Ecclesiae persecutore!!]. In hoc primo statu victus est diabolus in idolis, et sublatis tenebris gentilitatis venerunt homines ad lucem et veritatem fidei.

Secundus status, quem *irrigalivum* appellat, per tempora decem persecutionum perduravit usque ad Couslantinum Magnum : quo statu vinea Domini irrigata est sanguine martyrum.

Tertius Ecclesiae status, qui est *Doctorum,* et quem *illuminai i v um* appellat, perduravit usque ad Carolum Magnum et Leonem III., quo tempore haereses sunt extirpatae, christiana religio fere in toto orbe terrarum solidata est.

Quartus Ecclesiae status, quem *pacificum* appellat, perduravit usque ad S. P. Leonem X , et Carolum V., quo floruerunt multi sancti Reges, Imperatores, et viri ecclesiastici doctrina etsanctitate clarissimi, nullaque haeresis surrexit ultra *200annos*

Quintum Ecclesiae statum ita ipse describere incipit, praemisso Apocalypsis textu, sicut de aliis fecerat: *Et Angelo Ecclesiae Sardis scribe: haec dicit, qui habet septem Spiritus Dei, et septem, stellas: scio opera tua.* « Quintus Ecclesiae status in- » coepit sub Carolo V. Imperatore » et Leone X. S. Pontifice circa an- » num circiter 1520. Durabit usque » ad Pontificem Sanctum et Monar- » cham illum fortem, qui venturus » est nostro saeculo et vocabitur » auxilium Dei , restituens uni- » versa (I). Hic status est status » afflictionis, desolationis, humilia- » tionis, et ^paupertatis Ecclesiae, » meritoque vocatur status purga- *> tivus, in quo Christus Dominus » ventilavit et ventilabit adhuc *(na- » tus est Bartholomaeus anno* 1613 * *et decessit anno* 1658) triticum » suum per immunia bella, seditio- » ues, famem et pestem, et mala «alia horribilia; item affligendo, » pauperando Ecclesiam Latinam per » multas haereses et malos christia- » nos, qui ipsi auferent plurimos » Episcopatus,'et quasi innumera- » bilia Monasteria , Praeposituras » easque ditissimas; imo per ipsos- » met Principes Catholicos, oppri- » mitur et depauperatur gabellis » steuris, et aliis excutionibus , ut » merito ingemiscere et dicere possi- » mus cum Hieremia Propheta *Thre- » norum c. I. Princeps provinciarum, » facta est sub tributo :* humilis et » vilis facta est Ecclesia, quia blas- » phematur ab haereticis, et a malis » christianis vilipendiMitur ecclesia- » stici, non est honor, neque re- » spectus eortwn amplius. Et per » haec omnia ventilabit Deus triti- » cum suum et paleas eiiciet ad » comburendum igni, triticum au- » tem suum congregabit in horrea » sua. Tandem hic status Ecclesiae » quintus est status afflictionis, sta- » tus occisionis, status defectionis, » et omnium calamitatum plenus, » et relinquentur pauci super ter- » ram a gladio , fame , et peste ; » pugnabit regnum contra regnum;

(I) Haec peculiaris determinatio temporis, quo venturus erat lVionarcha ille fortis universa restituens saeculo xvii. (quo floruit Bartholomaeus), rei veritati non respondit, nisi forsan nomine saeculi intelligere velis statum quintum de quo sermo fit; neque id integro contextui repugnare videtur. Caeterum in hac peculiari temporis determinatione non institit Bartholomaeus iò copioso sermone quem habet de quinto et sexto Ecclesiae statu: sed tantum hic unica vice veluti praetervolans id incidenter innuit. Pluries e contra repetit, terminum huius quinti status esse Monarcbam illum fortem, qui speciali Dei auxilio excitabitur in Ecclesiae defensionem, sub quo Ecclesia per universum Orbem suam tranquillitatem dignitatemque sibi debitam obtinebit. Haec non solum Bartholomaeus, sed et alii Dei servi de adventu cuiusdam imperantis ad instar Magni Constantia in defensionem Ecclesiae Dei excitaturi mentionem fecerunt. An vero dixerint prophetico spiritu, vel humana opinione ducti probabit eventus. Haec dumtaxat dixi ad solatium eorum :qui in futuris coniiciendis delectentur

.» et alia in semetipsis divisa deso-
» labuntur, evertentur Principatus
» et monarchiae et depauperabùn-
» tur quasi omnes, eritque desola-
» tio maxima super terram ; quae
» partim iam impleta sunt, et adhuc
» implebuntur. Et haec omnia iu-
» stissimo Dei iudicio permittetur
» ob mensuram coagulatane et re-
» fertam peccatorum nostrorum,
» quam nos et patres nostri imple-
» vimus tempore benignitatis, quo
» expectavit nos ut poenitentiam
» ageremus." Et post plura alia ite-
rum comparat mores populi huius
quinti Ecclesiae militantis status cum
reptilibus et volatilibus, his verbis:

« Denique eidem quinto statui
» congruit dies quintus creationis
» mundi, quo Deus dixit, ut aquae
» produceret omnis generis repti-
» lia, et volatilia coeli, quae duo
«significant maximam libertatem,
» quid enim liberius quam piscis in
«aqua, et volucris in aere? Sic
» enim quinto statu metapborice
» plena sunt terra et maria repti-
» libus et volatilibus. Sunt autem
» homines miseri, et carnales, qui
» laxata libertate conscientiae et
» Religionis, (quae etiam in nupera
» pacis conclusione fuere concessa),
» reptant et volant post voluptates
» suas, et concupiscentias suas :
» unusquisque enim agit, et credit,
» quod vult ; de quibus bene scri-
» bit s. Apostolus Iudas in sua Ca-
* tholica : *Hi autem quaecumque*
» *ignorant blasphemant, quaecum-*
» *que autem naturaliter, tamquam.*
» *muta animalia, norunt, in his cor-*
» *rumpuntur.* ... In eodem misero
» statu Ecclesiae laxatur divina et
» humana praecepta et enervantur,
» sacri Canones pro nihilo habentur;
» ecclesiastica disciplina in Clero
» non magis quam politica in po-
» pulo custoditur. Unde sumus si-
» cut reptilia super terram et in
» mari ; sicut volatilia coeli ; dum
» unusquisque rapitur secundum ro-
» tam nativitatis suae, operando,
» et credendo quod vult. » Et post
plura alia prosequitur: « filii edu-
» cantur inobedientes, immorigeri,
«vaniloqui, seurriles, irreligiosi,
•> quia inordinate amantur a paren-
tibus, omnia dissimulantur, non
» castigantur, non servatur sancta
» disciplina domestica. Formandus
» esset simplex ex iis, bonus, verax et
» rectus christianus, sed maior cura
» habetur ut fiat politicus, et tum
» primum vocatur adolescens bonae
«spei, puer probatae indolis, si
» calleat peregrinas linguas et mo-
» res externos ; si sciat simulare et
» dissimulare; aliud loqui aliud sen-
» tire,si noverit, velut histrio,se om-
» nibus accommodare; si delitias fa-
» cere more peregrino etc. et ita hoc
«saeculum omnem suam iustitiam
» et vitam constituit in falsitate, *m*
» externa pompa, specie et humano
» applausu, interim neglecta interna
«et vera iustitia quae Deo placet.
» Nihil dicam de Ecclesiasticis et
» Religiosis quam miseri sint; multi
» enim nomen habent, quod vivant
« et mortui sunt. . . .»

Et deinde ad verba Apocalypsis: *Esto vigilans,et confirma coetera, quae moritura erant,* inter alia post admonitiones sic scripsit; « Hocnobis etiam » inculcatur, et inclamatur auribus » nostris per Prophetam, ut vigile- » mus, quia versamur in tempore » malo, in saeculo periculoso et » calamitoso; reflorescit enim hae- resis ubique, et caput erigit, et » acquirit corpus fortius, quam ba- » buit unquam. Obtinuerunt ubique » superiorem m alium, et triumphant » in imperio, in regnis, et rebus » publicis, saginati spoliis bonorum » ecclesiasticorum. Ex hoc enim » tepescunt multi catholici, tepidi » deficiunt, scandalizantur plurimi » in corde suo; bellum ipsum est » per se sementum ignorantiae, » circa res fidei scitu necessarias, » et morum corruptela succrescit «inter arma, et milites, qui raro » habent bonos pastores, conciona- » tores et catechistas. Unde gene- » ratio manet tota silvestris, durae «cervicis, nihil vel parum sciens » et curans de Deo , de/ coelo, de » honesta vita, didicerunt rapinas, » furta, blasphemias, mendacia, cir- » cumventionem proximi... Interim » nemo studet ss. Literis, quia pa- » rentes sunt depauperati, seminaria » pleraque iacent desolata, eo quod » non gaudeant consuetis et debitis » ex fundatione redditibus. Ex his, » et aliis miseriis manifeste apparet, » quam grave catholicae fidei peri- » caium imperio Romano immineat. » Estote ergo vigilantes Episcopi » et Praelati Ecclesiae Dei, et con- » sulite vobis et universo gregi ve- » stro mature, ut habere possitis in* «tempore malo matiiros, pios et » doctos Sacerdotes et pastores, » qui verbo sano, et exemplo bono » praeluceant ovibus suis, ut eas- » bene pascant, et conforment in- » fide catholica.»

Et timens Bartholomaeus ne ira Dei plus in nos effervescat, « quia ^> peiores facti sumus, et itacoeci, » ut ne credamus quidem , mala « haec invoivisse nos ab peccata » nostra» post alia, ad verba: *Et •nescies, qua hora veniam ad te,* scribit : « Hic tangitur excoecatio , » qua Deus solet percutere Princi- » pes populi, quo minus possint » praevidere, consequenter nec pro- » videre malis impendentibus: ab- » scondit enim ab oculis eorum so- » mno voluptatum gravatis mala, » ut subito, et inopinato irruant in » vindictam. Sic dicit: *Et nescies, » qua hora veniam ad te,* h. e. erit » absconditum ab oculis tuis tem- » pus visitationis tuae, et non po- » teris amplius providere malo, nec » praeparare te ad praelium, quia » veniet properans , et inuudans «tamquam fluminis impetus; tam- » quam sagitta volans; tanquam to- » nitru, et rapidus canis.»

Haec de quinto Ecclesiae statu satis sint, quibus praesentem Ecclesiae statum, partim analogiis, partim inductione, et partim forsan lumine divino illustratus nobis pinxit. At Bartholomaeus nos recreat

Rescribens successivum Ecclesiae statum qui est foecundae universaeque tranquillitatis quam modo iuxta catholicum sensum, quantum noscere datur, expectamus, quaecumque sit via qua misericors Deus in sua inenarrabili sapientia utatur.

Sextum Ecclesiae statum quem *consolationis* appellat sic describere incipit : « *Et Angelo Philadelphiae* » *Ecclesiae scribe;* sextus Ecclesiae » status initium suum sumet a Mo» narcha illo forti et Pontifice san» cto, et durabit usque ad nativi» tatem Antichristi. Hic status erit » consolativus, in quo Deus couso» labitur Ecclesiam suam sanctam » super afflictione et tribulationibus » maximis, quas in quinto statu » fuit perpessa. Reduceotur enim » omnes gentes ad fidei catholicae » et orthodoxae unitatem, et flore» bit maxime status clericalis , et » sacerdotium, et homines omni sol» licitudine requirent Regnum Dei, » et iustitiam eius. Deus enim dabit » ipsis pastores suos bonos, unde » etiam vivent homines in pace, » quivis sub vite sua et in agro •» suo, quia erit pax super terram, » quam Dominus Deus dabit tunc » hominibus pacem cum eo haben» tibus sub umbra alarum Monar» chae illius fortis et Successorum. » Hunc statum typice praefigurat » sexta muudi aetas, quae incipit a » liberatione populi Israelitici, et » restauratione templi et Ierusalem, » et duravit usque ad adventum » Christi. Sicut enim in hac aetate » populus Israéliticus a Domino Deo » ex liberatione captivitatis suae » maxime fuit recreatus, templum » et Ierusalem restaurata, omnia » regna, nationes, et populi Impe» rio Romano subditi, cui Augustus »Caesar, Monarcha fortissimus et » praestantissimus, 56 annis prae» fuit, et devictis et subiugatis omni» bus dedit pacem universo orbi « terrarum, et regnavit solus usque » ad adventum Christi Domini et » ultra: sic in sexto statu consola» bitur Deus Ecclesiam catholicam » *consolatione maxima;* quia etsi in » quinto statu uostro videamus ubi» que esse maximas caiamitates; dum » omnia devastantur bello , dum » supprimuntur catholici ab haere- ticis , et malis christianis, dum » Ecclesia, eiusque ministri ducun» tur sub tributum , evertuntur » Principatus; monarchae occidun» tur, et subditi repelluntur, omnes» que conspirant in respublicas eri» gendas; *mirabilis tamen fiet mutatio* » *per manum omnipotentis Dei, quam* » *nemo sibi humanitus imaginari po*» *test.* Ille enim Monarcha fortis, » qui venturus est a Deo missus, » respublicas funditus destruet, sibi » subiugavit omnia, et zelabit veram » Christi Ecclesiam; mittentur omnes » haereses in infernum; confrigetur » imperium Turcarum, et ille regna» bit in Oriente et Occidente; ve» nientque omnes gentes et adora» bunt Dominum Deum suum in » vera fide catholica et orthodoxa; » florebunt plurimi viri iusti et do-

» cti super terram et homines ama-
» bunt iudicium et iustitiam, eritque
» pax super universam terram, *quia*
» *divina potestas ligabit Satanam per*
» *multos annos* etc. donec veniat, qui
» venturus est filius perditionis, ubi
» solvetur denuo Satanas etc. Huic
» sexto statui in similitudinem per-
» fectionis congruit sexta dies crea-
» tionis, qua creavit Deus hominem
» ad imaginem suam, et subiecit *ei*
» omnes creaturas mundi, ut esset
» Dominus earum. Sic dominabitur
» Monarcha ille super omnes bestias
» terrae, id est, super efferas gentes
» populos rebelles, respublicas hae-
» reticas et dominabuntur homines
» passionibus suis malis. Eidem sexto
» statui congruit sextus spiritus Do-
» mini, scilicet Spiritus sapientiae,
» quem effundet abundanter super
» universum orbem terrarum in illo
» tempore, timebunt enim homines
» Dominum Deum suum, et legem
» eius custodient, et servient ei ex
» toto corde: erunt quoque scientiae
» multiplices et perfectae super ter-
» ram, et sacra Scriptura intelligetur
» unanimiter sine controversia et er-
» rore haeresum, et erunt homines
» illuminati tam in naturalibus,
» quam in coelestibus scientiis. De-
» nique Ecclesia Philadelphiae tjpus
» est sexti huius status. Philadelphia
» interpretatur amor fratris salutans,
» haereditatem salvans adhaerente
» Domino. Quae omnia congruunt
» sexto huic statui, in quo erit amor,
» concordia et summa pax, et salu-
» tabit fortis Monarcha totum quasi
» mundum velut haereditatem suam
» et liberabit illum adiuvante eum
» Domino Deo suo de omnibus ini-
» micis, et de ruinis, et de omni malo. »

Post plura, ad verba: *Ecce dedi coram te ostium apertum,* scribit inter alia: «i. e. sensum clarum, et
» apertum s. Scripturae *Quod nemo*
» *potest claudere,* h. e. quem sen-
» sum nemo haereticorum potest
» pervertere, quia in sexto statu
» celebrabitur maximum totius mun-
» di concilium generale, in qua
» singulari Dei gratia, et potentia
» Monarchae illius, et S. Pontificis
» auctoritate, unitateque Principum
» pessimorum omnis haeresis, et
» atheismus proscribetur, et pro-
» flicabitur de terra, et sensus s. Scri-
» pturae legitimus contra omnes
» sectas haereticorum declarabitur,
» et proponetur credendus, cui ac-
» quiescetur aperiente ostium gra-
» tiae suae. Consistit haec felicitas
» in copiosissimo grege fidelium,
» confluent enim in tempore illo
» omoes gentes, et populi et na-
» tiones ad ovile unum, et intra-
» bunt per ianuam unam, quae est
» sola et vera fides catholica et
» orthodoxa, et implebitur illud
» Ioan. cap. X. *Erit unus Pastor,*
» *et unum ovile,* et illud Matthaei
» cap. XXIV. *Praedicabitur hoc Evan-*
» *gelium in universo orbe...* »

Septimus et ultimus Ecclesiae status, quem appellat *desolationis,* incipit a nativitate Antichristi usque-ad finem mundi, quem statum dicit non diu durare.

Haec ex libro quem venerandus Sacerdos conscripsit, cui titulus *Interpretatio in Apocalypsin.*

Habes humane Lector his paucis, quid Bartholomaeus de statu Ecclesiae militantis senserit, et cogitaverit, ac plura descripta reperis, contra quae nuncEcclesia vehementer militat. Quare belli genus , quod Ecclesiae hodiernis diebus infertur , non est novum,sed iam tum ab aetate Bartholomaei et vigebat et agebatur: crevit velociori gradu et terras omnes pervasit.

Ut autem appareat praesens Ecclesiae dimicatio per summa delineamenta sub uno veluti mentis obtutu, haec habe. Militat Ecclesia ac vehementer dimicat inter haereticos, schismaticos, ethnicos, barbarosque. Familia enim Domini, (si quaedam generosiora Gubernia excipias) sub duriori vel minus dura servitute florere cogitur: quandoquidem ex parte suorum inimicorum summus favor et gratia summa familiae Domini concessa existimatur, si ea vivere in his regionibus tolleretur. Hinc honore sibi debito denegato negligitur et despicitur, humilemque vitam ducere cogitur iugi timore affecta ne quid saluberrimi sui officii exerceat, neve aliquid sui muneris agat, quo occasio detur servitutis, qua detinetur, augendae, vel expulsionis subeundae, aut in gladii poenam incidendi. His in adiunctis inter apertos fidei hostes ubi dominantur, militat Domina gentium.

Militat ac dimicat Ecclesia inter regiones catholicas. In pluribus enim regnis catholicis nostrae aetatis, eius conditio reputatur optima, quando eo honore familia Dornini habeatur, quo habentur haebraei mohametani schismatici haeretici atheique omnes: ita ut electa Christi Domini sponsa, Magistra mundi, cui depositum veritatis est commissum ad vitam aeternam, sedere pari honore cogatur inter contemptibiles adulteras, inter nefandas meretrices eidem exosas, inter magistros erroris et impietatis ad perditionem. 3Nec satis: sed militat, et militando floret, cum ecclesiastica iurisdictio Episcopis in fideles suos subditos vel omnimode a Guberniis denegatur, vel nullimode sustinetur: nec florere cessat, quamvis Clerici a Laicis iudicentur, poenis iuxta civiles leges plectantur : bona ecclesiastica eripiantur et distrahantur: Clerici victum a Guberniis quaeritare adigantur: eiusdem leges nullimode sustineantur : causae ecclesiasticae a laicis iudicentur: militat nec deprimitur etsi de cultu publico ecclesiastico a Guberniis disponatur; sibique absolutum ius Gubernia arrogent super publica instructione, etiam ecclesiastica: etsi ius dicant super ecclesiis, locisque sacris: dimicat Ecclesia pro matrimonii sacramento quod legibus laicis subiicitur: fortis est Ecclesia, licet societates religiosae summa iniuria prohibeantur, divexentur: derisi vilipendantur: vestigia et memo-

riae christianae e societate deleantur, eisdemque memoriae et consuetudines ethnicae subrogentur: gravem iniuriam patitur Ecclesia , sed tamen non vilescit, quamvis viventis Petri mandata in examen revocandi ius laici sibi arrogare irapudenter audeant: vox Summi Pontificis quae a Romana Petri Sede, sibi perpetuo propria, exit, éo fortius auditur quo studiosius supprimi velit: militat et eo nervosior redditur Ecclesia, quo vehementius Fidelis Servus et Prudens quem constituit Dominus super familiam suam, impetitur : militat itaque Ecclesia neque deiicitur, quamvis omnes artes adhibeantur quotquot excogitari velint, sive apertae , sive subdolae et fraudolentae, sive hypocritae ad eam deiiciendam et in servitutem penitus redigendam : quo enim turpiores sunt artes, eo viliores se tandem reddunt qui eas adhibuerunt ; neque errabis si dicas Romam sepulcrum esse inimicorum suorum, quemadmodum ipsa est vita salus et benedictio iis omnibus, qui vocem eius audiunt, et sincere venerantur.

Meminisse deberent qui pugnant contraEcclesiam: humanam familiam *destinatione* factam esse christianam: in Epistola *ad haebr.c. II.* 8., legant de Christo, « *Omnia subiecisti sub pe-* » *dibus eius: In eo enim quod omnia* » *Ei subiecit, nihil dimisit non sub-* » *tectum Ei. Nunc autem necdum* » *videmus omnia subiecta Ei.* » Quod si Paulus sua aetate dixit: necdum videmus omnia subiecta Ei, eo ipso ostendit, omnia fore Ei subicienda, ea subiectione, qua ubique dicamus, Christus vincit, Christus regnat , Christus imperat.

Quare constat quanta obligatione teneantur Gubernia praesertim catholica erga catholicam Religionem. Non sufficit enim nomen servare catholicitatis, sed ut par est sua actione cooperari debent voluntati Divinae, a qua omnis est potestas, ita ut vita catholicae societatis sit divina religio, quae observantiam primo praescribit divini iuris, et secundo observantiam humani privati publicique iuris.

Quod si Principes divinis consiliis cooperari, suoque officio facere satis detrectent, ipsi tandem obscurabuntur et transibunt, divina autem consilia effectum suum sortientur. Non enim frustra duas magnas potestates constituit Deus. « *Fecit Deus* (ita Innocentius III. ad Imp. Constantinop.) *duo magna luminaria in firmamento coeli luminare maius ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti : utrumque magnum: sed alterum maius. Ad firmamentum igitur coeli, hoc est universalis Ecclesiae, fecit Deus duo maglia luminaria, idem. duas instituit dignitates, quae sunt pontificalis auctoritas et regalis potestas. Sed illa quae praeest diebus, idest spiritualibus, maior est: quae vero carnalibus, minor: ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices, et Reges differentia cognoscatur. »*

LITERAE

EX MANDATO SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI,

QUIBUS SAGRI CATHOLICI ORBIS ANTISTITES

ROMAM INVITANTUR

Pro Solemni Decreto referendi in album Sanctorum plures Beatos Martyres, et Confessores, et Virgines, quo tempore memoria centenaria recolitur, qua Roma ss. Principum glorioso est purpurala sanguine.

Perillustris ac Rme Domine

« Inter praecipuas gravioresque curas, quibus Apostolicum Summi Pontificis ministerium afficitur, ea iucundissima est, ut illustribus Christianae Religionis heroibus, quorum mors pretiosa fuerit in conspectu Domini, Sanctorum honorem , et publicum in Ecclesia cultum rite decernat. Porro, cunctis a Sacra Congregatione ritibus tuendis praeposita expletis actis iuxta disciplinam ab Apostolicis Constitutionibus praescriptam, singulisque rationum momentis mature perpensis, SSmus D. N. Pius PAPA IX. in id consilii devenit, ut (quatenus tamen Omnipotentis dextera, prout sperare licet, impendentem arceat disperdatque tempestatem) mense Iunio futuri anni 1867 duo semipublica habeat Consistoria. Iis vero peractis, Deo ac Deipara bene iuvantibus, die 29 -eiusdem mensis, qua festum quotannis agitur Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac insuper eodem tempore illud singulare eveniet, quod maxima laetitia recoletur centenaria memoria illius diei, qua Roma Sanctorum Principum glorioso est purpu^ata sanguine, in Sanctorum album solemni decreto referet Beatos Martyres, Confessores, ac Virgines, videlicet

1, B. Iosaphat Archiepiscopum Polcien. Ruthenorum in Alba Russia, Martyrem;

2. B. Petrum d' Arbues ex Ordine Canonicorum Regularium» s. Augustini, Hispaniarum Inquisitorem et Canonicum ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae, Martyrem;

3. BB. novemdecim Martyres Gorcomienses ad varios Ordines-Regulares, ac etiam ad Clerum Saecularem pertinentes;

4-. B. Paulum a Cruce, Confessorem, Fundatorem Congregationis Clericorum Excalceatorum s. Crucis et Passionis D. N. I. C.^

5. B. Leonardum a Portu Mauritio Confessorem, Missionarium* Apostolicum, ex Ordine Minorum s. Francisci strictioris Observantiae;

6. B. Mariam Franciscani a quinque vulneribus Virginem" Professam Tertii Ordinis s. Petri ab Alcantara in Ditione Neapolitana;

7. B. Germanam Cousin, Virginem Saecularem in dioecesi Tolosana;

» Itaque mihi, qui S. Consilio Tridentini Concilii interpreti ac vindici praefectus sum, a Sanctitate Sua ex maiorum instituto mandatum est, ut sacris Catholici Orbis Antistitibus has darem literas, quibus laetissimum huiusmodi nuncium afferrem, unaque significarent!, gratissimam eidem Sanctitati Suae rem facturos illos Episcopos, qui, dummodo ovibus sibi concreditis grave damnum non obveniat, nulloque alio peculiari ipsi distineantur impedimento, tempestive ad Almam hanc Urbem se seferant memoratis semipublicis Consistoriis, tantaeque celebritati interfuturi. Enimvero Beatissimo Patri periucundum erit videre fratres convenientes in unum, simulque Sanctis hisce Caelitibus in suprema iam gloria receptis preces fundere , quibus iidem moti in tanto rerum civilium et maxime sacrarum discrimine et exitio victoriam de hoste maligno, et perennem tranquillitatem Ecclesiae militanti a Deo adprecentur et impetrent.

» Caeterum animadvertere oportet, hanc esse mentem Summi**i** Pontificis, ut quicunque huc proficisci putaverint, perinde habeantur, ac si Romanum iter suscipiant, ut officio visitandi Sacra Apostolorum Limina ex praescripto sa. me. Sixti V. incip.» ***Romanus Pontifex*** defungantur: idque eo magis, quod si ullum unquam tempus idoneum est, quo ***patrum magistrorumque veritatis Petri ac Pauli sepulcra, fidelium animas illuminanza (uti*** aiebat Theodoretus) adire ac venerari deceat, atque delectet.

hoc profecto est, quo festivitas celebrari debet, quae iuxta verba s. Leonis Magni ***«praeter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali et propria nostrae urbis exultatione veneranda est, ut ubi praecipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit laetitiae principatus. »***

» Haec de meo munere erant Tibi, Amplissime Domine, significanda; post haec nihil aliud mihi superest., nisi peculiares animi mei sensus ex corde testatos facere Ampi. Tuae, cui fausta omnia a Domino precor.

» Ampi. Tuae

» Datum Romae ex S. Congregatione Concilii die 8 Decembris Immaculatae Deiparae Conceptioni sacra 1866. »

Uti Frater

EX S. COSfiK84TI0II CONCILII.

CAPPELLANIAE.

Die* 10 *Martii* 1866.** ***Sess.* 25 *cap.* 9 *de Reform.

Compendium faeti. Pia familia N. die 28 Ianuarii an. 1728 cappellaniam propriis bonis fundavit cum annuo quarumdam Missarum onere in determinato altari sub titulo seu invocatione Visitationis s. Elisabeth. In ipso erectionis instrumento, hanc legem fundatores edixerunt: «quod dicta cappellania, beneficium, » aut officiatura, sit merum legatum pium laicale de iure pa» tronatus familiae N., neque subiaceat unquam Apostolicis re» servationibus neque Regulis Cancellariae, neque unquam ap» pellanda cappellania perpetua et collativa, sed merum legatum » pium vel officiatura Missarum, et conferri nunquam possit

» sive ab Ordinario, sive ab Apostolica Sede... quod 'Cappella-)) nus vel Beneficiatus pro tempore (qui a descendentibus eius- » dem familiae erat nominandus), sit ad nutum amovibilis cum » causa vel sine causa... »

Adiecerunt insuper, quod si ipsi hoc iure privarentur, fundum pro cappellania adsignatum liberum evasurum favore haeredum et successorum, quibus facultas hoc in casu facta est accipiendi liberam possessionem.

Eodem mense Ianuarii, ipsimet fundatores in cappellanum nominarunt Canonicum N.; atque unus ex fundatoribus Episcopum adiit, eumdemque supplex rogavit, exposita hac fundationis lege, ut ***veniam opportunam daret pro erectione dicti simplicis beneficii.***

Preces exceptae sunt, ac sequens decretum erectionis Vicarius generalis edidit: « quo quidem memoriali per nos viso, vi- » soque etiam infrascripto donationis et dotationis instrumento... » omni meliori modo, via, iure et forma quibus melius, et ef- » ficacius fieri possit, de speciali et expresso mandato Episcopi... » praedictam cappellaniam ad nutum amovibilem in titulum sim* » plicis beneficii... erigendam duximus, prout tenore praesentium » erigimus, reservantes eisdem Dominis NN. eorumque descen- » dentibus.... ius patronatus et praesentandi ad dictam cappella- » niam, seu simplex beneficium, ut supra ad nutum amovibilem » Rectorem seu Beneficiatum toties quoties casus vacationis)> evenerit... »

Decretum pariter Vicarius generalis edidit pro expeditione bullarum favore Canonici N. qui primus ad cappellaniam nominatus est, ac Episcopi auctoritate solemnem possessionem cappellaniae eiusdem adeptus est. Hanc agendi rationem in successivis cappellaniae vacationibus Curia servavit, saltem usque ad annum 1817 , quo anno pro institutione novi Cappellani, qui nec Clericus erat, expeditae non fuerunt consuetae Episcopi litterae.

In subsequenti vacatione quaestio orta est, an praesens cappellania reputanda esset ecclesiastica, vel laicalis.

Disceptatio s y notifica.

EA QUAE EX OFFICIO OBSERVABANTUR PRO ECCLESIASTICA A TE CAPPELLANIAE.—Quamvis erectionis instrumento inspecto, cappellania laica-

lis esse videretur; attamen post episcopalis erectionis decretum cappellania ecclesiastica facta esse videbatur. Notum enim est, eiusmodi erectionis episcopale decretum, criterium esse solere ad distinguendas cappellanias ecclesiasticas a laicalibus: quandoquidem in erectione cappellaniae laicalis, non decretum, sed dumtaxat simplex acceptatio ex parte Episcopi intervenire debet.

Neque in casu obstare dicebatur fundationis instrumentum : namque ipsimet instrumenti auctores mutasse consilium dicendi erant, qui dum in instrumento ipso Episcopi auctoritatem excludebant, eamdem auctoritatem invocaverunt pro erectione cappellaniae, seu simplicis beneficii; neque post laudatum decretum reclamarunt.

Quae vim suam augebant per constantem observantiam fere saecularem: cum omnes a Patronis Cappellani nominati per litteras bullares in possessionem cappellaniae episcopali auctoritate immissi fuerint.

Eo vel magis quod indoles institutae cappellaniae praeseferebat praecipuos caracteres cappellaniae ecclesiasticae, cuiusmodi est designatio altaris in quo erigenda erat, titulus seu invocatio Visitationis s. Elisabeth, perpetuum Missarum onus, adsignato dotis, nominatio Cappellani a patronis facienda ; quae omnia sunt qualitates quae conveniunt ecclesiasticae cappellaniae, ut ponderat Pitonius ***de Contr. Patron, allegat.*** 49.

EA QUAE IN CONTRARIUM DEDUCEBANTUR. — Favore laicitatis cappellaniae observabatur, quod libera Fundatorum voluntas pro lege est habenda. Voluntas enim et conditiones in limine fundationum appositae omnino servandae sunt, ceu iuxta ss. Canones statuit Tridentinum Concil, ***sess.*** 25 ***de Re for. cap.*** 5, in quo legitur: « ***Ratio postidat ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione seu fundatione aut aliis constitutionibus, qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur. » Et cap.*** 9 ***eiusdem sessionis*** legitur: « ***legitima patronatuum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare aequum non est. »***

Atqui in praesenti themate ipsi fundatores cappellaniam esse voluerunt ***merum legatum pium, vel officialuram Missarum, quae***

conferri nunquam possit ab Ordinario: quod Cappellanus esset amovibilis ad nutum Patronorum cum causa aut sine causa: quod si ius cappellaniam conferendi a quacumque ecclesiastica auctoritate impediretur, eo ipso in Patronorum dominium bona cappellaniae cederent. Quae omnia aptari non possunt ecclesiasticae cappellaniae.

Neque obstare dicebatur Fundatorum dispositio, qua praedictam cappellaniam erexerunt ad altare et sub titulo Visitationis s. Elisabeth etc. Scitum -siquidem est huiusmodi conditiones bene convenire posse laicali cappellaniae, ceu dicitur in ***folio*** causae ***Urbinaten.*** seu ***Ariminen. Cappellaniae,*** agitatae in S. C. C. die 3 Februarii 1753, in quo folio §. ***Primus*** legitur: « cum verba » et voluntas "Testatricis monstrent laicalem cappellaniam, non » beneficium ecclesiasticum ab ea fundatum fuisse... spernendas)) esse omnes aequivocas contrarias rationes quae deduci pos- » sunt vel ex verbis ***erigendi, praesentandi, vacandi,*** vel ex dote » constituta vel ex certo designato altari, vel ex iure patrona- » tus: haec enim vim habent in dubio, non autem , cum certa)) est Fundatoris voluntas, ut uno consensu tradunt Doctores et » tribunalia. Ita pariter spernendam esse erectionem factam ab » Archiepiscopo, qui non poterat Testatricis mentem evertere, » neque institutiones et collationes mutare potuerunt naturam)) et statum verum cappellaniae. » Proposito autem dubio: « An » cappellania de qua agitur sit laicalis, vel ecclesiastica in casu.» S. C. respondit: ***affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*** Quibus plures aliae Resolutiones consonant ut in ***Vilerbien. Cappellaniae*** 23 Novem. 1765.

His aliisque praehabitis perpendendum supererat, an in themate decretum Ordinarii conciliari posset cum instrumento fundationis, ita ut ipsum possit haberi tanquam auctoritativa acceptatio pii legati. Secus enim in facultate Ordinarii non erat, cappellaniam, quae laicalis esse debet, reddere collativam contra expressam Fundationis legem.

Quare in quadam causa ***Montis f alisci,*** diei 7 Iulii 1860, cum Curia Episcopalis, ***auctoritate ordinaria, et omni alio meliori modo,*** decretum edidisset ad erigendam cappellaniam laicalem sub titulo s. Sebastiani, et exorta controversia super efficacia decreti, rogati Emi Patres : « an decretum Curiae Episcopalis Montis-

9> falisci sit confirmandum, vel infirmandum in casu: » responderunt: ***decretum esse confirmandum uti acceptationem legati pii.***

Dubium,

« An constet de Ecclesiasticitate, seu potius Laicitate cappellaniae in casu.»

RESOLUTIO.—S. Congregatio Concilii causa discussa die 10 Martii 1866 respondere censuit: ***Cappellaniam esse laicalem.***

Ex HIS COLLIGES:

L Magnum intercedere discrimen inter cappellanias ecclesiasticas, et laicales. Illae enim censentur vera ecclesiastica beneficia : hae autem piae dumtaxat fundationes seu pia legata (1).

IL Ecclesiasticas cappellanias in suo esse constitui per formale erectionis decretum auctoritate ordinaria emissum iuxta legem fundationis,

III. Easdemque conferri per litteras episcopales, quae bullae dicuntur sive collationis sive institutionis, sicut conferuntur caetera beneficia sive libera sive iuris patronatus.

IV. E contra laicales cappellanias formale erectionis decretum non admittere, neque conferri ab Ordinario posse sive libera collatione sive institutione, quamvis officium Ordinarii sit, eas in acceptis habere, et invigilare ut piae Fundatorum voluntati fiat satis (2).

V. Quamvis laicales cappellaniae saepenumero formam habeant cappellaniae ecclesiasticae : naturam suam tamen easdem non mutare, quoties Ecclesiae auctoritas in earumdem erectione exclusa a Fundatore dignoscatur.

Vi. Quare iudicium de laicitate aut ecclesiasticitate cappellaniae totum pendet a lege fundationis excludentis vel non excludentis dictam auctoritatem.

VII. Quemadmodum formalis erectionis decretum in defectu legis fundationis indicium de ecclesiastica cappellania suppeditat: ita existente clara lege fundationis, quae ostendat laicalem

(1) Vid. ea quae diximus in *Vol. I. pag.* 634 *et seqq.*
(2) Vid. Appendicem X.

esse debere cappellaniam, erectionis decretum nihil in contrarium operari (1).

(1) In pretio habita non est difficultas quae prima fronte sese menti offert: nimirum, ipsi Fundatores cappellaniae qui inter vivos cappellaniam fundarunt, visi sunt voluntatem immutasse, cum, emisso decreto erectionis, non reclamaverit, neque adversati sint subsequentibus actibus, quibus nominatus a Fundatoribus Cappellanus, canonice ab Episcopo est in cappellania institutus. Institutionis enim actus, exercetur dumtaxat in veris ecclesiasticis beneficiis, quo nominatus a Patronis, si nihil obstet, in canonicam possessionem immittitur. Haec inquam difficultas in pretio habita non est, et quidem merito: namque Fundatores ad Curiam accesserunt non animo mutandi voluntatem, sed pro venia obtinenda prout lex fundationis exposita postularet. Neque ab ipsis docenda erat Curia quid agere deberet ea lege fundationis patefacta: neque laici Fundatores rationem procedendi in canonica iurisprudentia caliere solent. Decretum autem emissum fuit non ob mutatam eorumdem voluntatem, sed imo iuxta *donationis et dotationis instrumentum,* ut in ipso decreto legitur.

Non est inopportunum heic aliam, ne dicam similem, sed parem causam indicare quae acta est in *Viterbien. Cappellaniae* die 23 Novembris 1765. Differt enim a nostra, quod non inter vivos, sed causa mortis, idest in testamento, erigendam cappellaniam laicalem Fundator praeceperat. Lex fundationis, si ad sententiam respicias, eadem est ac nostra, nec ideo opus est eam referre. Mortuo itaque Testatore, primus Cappellanus qui ab ipso Testatore nominatus fuerat, patiit in Curia Viterbien. *dictam cappellaniam laicalem auctoritate ordinaria erigi et fundari, et ipsum a Testatore nominatum in Cappellanum confirmari" et institui, bullasque ad sui favorem expediri etc.*

Ad eiusmodi petitionem decretum editum est erectionis sequentibus verbis: « Auctoritate Ordinaria, ac alias omni etc » simplex beneficium, seu cappellaniam » iuxta dispositionem dicti quondam Petri «Bianchi ad altare s. Michaelis Arcan- A geli in ecclesia Confraternitatis Mortis » dictae civitatis Centumcellarum perpetuo erigimus, ac instituimus, ac pro »> perpetuo erecto et instituto pro eius » fundo et dote ac onerum supportatone » domum, ut supra comparitione descri- » ptam, tradimus,appropriamus cum one- » re Cappellanis pro tempore — cele- » brandi in dicto altari Missas tres qua- » libet hebdomada in suffragium etc ac » ius nominandi et praesentandi Cappel- » Ianum reservamus et concedimus su- fi pradictis a Testatore vocatis, ac modo » et forma prout in dicto Testamento » continetur, ac in primum Cappellanum » dicti beneficii confirmamus et institui- » mus R. D. Andream Bianchi a dicto » Testatore nominatum , bullasque ad » eius favorem in forma solita expediri, » ac in veram et corporalem possessio- » nem eiusdem cappellaniae, ac adne- » xorum, iuriumque immitti manda- » mus, etc.» Hinc in favorem Andreae ab eadem Curia datae sunt litterae, quibus possessionem cepit.

Postea Patroni haeredes reclamarunt, et quamvis Curia in sui defensionem diceret, a Testatore laicalem fuisse appellatam eam cappellaniam propter ius nominandi laicis suis baeredibus reservatum, quod sartum tectumque volebat;; nihilominus cum satis constaret, Testatorem auctoritatem ecclesiasticam excludere voluisse ne beneficium verum eri-

VIII. Neque longaevam consuetudinem inde ex manifesto errore ortam, contra apertam legem fundationis sustineri.

CAPPELLANIAE

Die 9 ***Decemb.*** 1865, ***et*** 10 ***Martii*** 1866. ***Sess.*** 25 ***c.*** 9 ***de Reform.***

Ex sequenti quaestiuncula quae in facto satis est implexa, delibamus tantum ea quae Lectorem iuvare possunt.

Compendium facti. Pius testator iussit post mortem suam cappellaniam mere ***laicalem*** erigi in determinata ecclesia, et altari cum annuo redditu scutat. 60, et haeredes oneravit ad constituendos idoneos fundos, quibus amplissime satisfecerunt. Voluit autem ut Missa quotidiana celebraretur adsignata manuali eleemosyna. Cappellanos nominavit primogenitos descendentes, ex sua filia. Edixit pariter eiusmodi cappellanos posse uti hac cappellania titulo s. Ordinationis si ad statum ecclesiasticum vocarentur, secus haberent ius nominandi Cappellanum et celebrare faciendi Missas manuales eleemosyna determinata.

Haec inter caetera non sine quadam idearum confusione expresserat Testator. Erecta porro est cappellania ab haeredibus anno 1824.

Cum anno 1860 quidam iuvenis Titius a familia testatoris extraneus ad sacros Ordines esset ascensurus, cumque patrimonio quovis sacro careret, petiit ab eo qui Patronus cappellaniae prae-

geretur, proposito dubio: «an cappella- » nia sit ecclesiastica, ita ut sustineatur » erectio ab Ordinario, et institutio in » casu: » S. C. respondit: *negative in omnibus, et amplius.*

E contra interdum contingit, ut ecclesiasticae curiae non emittant decretum erectionis, in detrimentum piarum voluntatum et praeiudicium ecclesiae, quando esset omittendum. Puta , quia cappellania conferenda est a Patronis, et legibus iurispatronatus a Testatore subiicitur, eo ipso a quibusdam, laicalis existimatur; ac si nominatio Cappellani a Patrouis facienda cohaerere non possit cum ecclesiastico beneficio, et beneficia iurispatronatus non sir.t vera be iieficia.

fatae dicebatur, ut ea sibi conferretur ad decennium in titulum s. Ordinationis. Petiit pariter a S. Pontifice gratiam, ut posset ss. Ordinibus initiari eo precario titulo, rescriptumque obtinuit hisce verbis: « SSmus benigne commisit... Episcopo____ut veris » existentibus narratis cum Oratore super defectu perpetuitatis » tituli sacri patrimonii dispensare, eumque ad ss. Ordines susci- » piendos cum enunciato precario titulo, adiecta tamen condi- » tione, ut de alio congruo infra decennium se providere debeat, » pro suo arbitrio et prudentia gratis habilitare possit et valeat.»

Ordinarius ad normam Pontificii Rescripti semet paratum exhibuit ad dispensandum cum Oratore, dummodo tamen in actis Curiae constare faceret Orator de legitima nominatione et collatione, conditione adiecta, ut infra decennium de alio congruo patrimonio se providere deberet sub poenis immediatae suspensionis a Divinis.

Obtinuit ergo Titius Patroni nominationem, quin imo dubitatione orta, quis inter duos esset verus Patronus, Curia nominationem utriusque exegit, et utramque Titius obtinuit.

Immissus itaque est Titius in possessionem bonorum cappellaniae, et eo titulo ordinatus est.

Mortuis duobus Patronis, alius Patronus qui successit, oppugnata validitatem constituti patrimonii, sibique vindicans cappellaniae administrationem, sequestrationes intulit, ita ut illi qui solvebant fructus Titio Sacerdoti, solvere eidem Patrono deberent. Hinc factum est ut Titius redditibus spoliatus celebrationem Missarum suspendent, et penes SSmum institerit ne possessione cappellaniae expoliaretur, sublato impedimento immisso, quod ***sequestrimi*** audit.

Servatis de more servandis, causa proposita est S. C. C. die 9 Decembris 1865 sub dubiis: I. « An Sacerdos (Titius) manu- » tenendus sit in quasi-possessione cappellaniae usque ad exi- » tum decennii in casu. » 11. « An et cui competat administratio » bonorum cappellaniae in casu. » At S. C. C. Resolutionem distulit, ut ampliores informationes exquirerentur.

Inquisitiones itaque factae sunt ut posset cognosci, an cappellania esset merum legatum Missarum cum fundis obligatione gravatis iis Missis satisfaciendi; vel potius fundos haberet taxative sensuque legali constitutos tamquam dotem cappellaniae

eiusdem, et eidem in tabulis publicis censuariis intestatos, ita ut ex cappellania et oneribus eidem inhaerentibus constitueretur veluti unum quoddam ens ad similitudinem veri Beneficii. Ac praeterea inquisitum est, quidnam fuerit usque in praesens observatum circa administrationem et perceptionem reddituum: an fuerit iugiter nominatus Cappellanus cum iure administrandi cappellaniae fundos, atque oneribus satisfaciendi, vel potius Patroni iidem retinuerint fundos, prospicientes onerum adimplemento.

Ex documentis et relationibus habitis quamvis non deessent quaedam dubitandi rationes, an dicta laicalis cappellania esset merum legatum Missarum, quod haeredes administratores bonorum eiusdem grava re t, vel cappellania laicalis, quae formam haberet cappellaniae ecclesiasticae: tamen in facto salis constare videbatur, nunquam Cappellanum a Patronis fuisse nominatum, iugiterque ipsos habuisse bonorum administrationem, fructus percipientes qui supererant, adimpletis oneribus per deputatos Sacerdotes, quibus tantum manualem eleemosynam tribuebant.

Causa itaque disceptata, proposita sunt resolvenda

Dii ſ» i a,

I. « An Sacerdos (Titius) manulenendus sit in quasi posses- » sione cappellaniae usque ad exitum decennii in casu. »

II. « An et cui competat administratio bonorum cappellaniae » in casu. »

RESOLUTIO. — Die 10 Martii 1S0G, causa discussa S. Congregatio Concilii respondere censuit:

Adi. ***Affirmative ad formam nominationis.***

Ad II. ***Affirmative favore Patroni.***

Ex ius COLLIGES:

I. Inter ipsas laicales cappellanias discrimen intercedere, quarum aliae naturam ecclesiasticae cappellaniae plenius imitantur: aliae vero resolvuntur in mera pia legata, quibus, fundis taxative vel demonstrative adsignatis, gravantur vocati haeredes vel descedentes.

II. Cappellanias laicales huius secundae speciei possideri etiam a laicis posse, ita ut ipsi laici haeredes vel descendentes sint veluti Cappellani, qui per alios, adimpletis cappellaniae oneribus, fructus «uperextantes proprios faciunt.

SUBSIDII.

***Die* 6 *Maii* 1865 *et* 10 *Martii* 1866.**

Summaria precum. Pii Coniuges sine prole decedentes haeredem ex suis respective bonis animam propriam scripserunt,, iubentes construi cappellani in quadam sui oppidi parochiali ecclesia et erigi cappellaniam sub titulo s. Philumenae cum debita approbatione ecclesiasticae auctoritatis, excludentes tamen eamdem auctoritatem in directione et revisione. Hanc enim cappellaniam sub immediata directione esse voluerunt Archipresbyteri pro tempore. Duos constituerunt Cappellanos cum onere coadiuvandi Parochum, qui tamen Cappellani nominandi non essent, nisi prius dicta cappella iam extructa.

Primus Cappellanus nominatus est a Viro Testatore suus nepos N. Presbyter, qui etiam in testamento ut primus Patronus inter alios constitutus est.

Duos nominarunt insuper haereditatis administratores quousque cappella absoluta non esset. Qui Administratores munus sibi concreditum post coniugis Testatoris mortem susceperunt: *'M* brevi illud dimiserunt. Curia ecclesiastica alios subrogata curavit qui inventarium conficerent et piae causae negotia gererent. E vivis deinde sublata vidua Testatrice, dictus Nepos N. tamquam parentis sui mandatarius haereditatem sibi vindicavit, cui restiterunt administratores a Curia constituti. Agitatis deinde apud tribunalia litibus, tandem Nepos N. a S. C. Concilii petiit sive tanquam nominatus Cappellanus, aut Patronus, ut frui posset medietate reddituum usque dum constructa esset cappella, faciens simul satis omnibus Missarum oneribus cum obligatione construendi cappellani alia bonorum medietate intra temporis terminos a Sanctitate sua designandos.

Eiusmodi preces muniebat Orator patronus consensu quorumdam Patronorum, maxime vero ex magna qua obtinebatur inopia, et aere alieno, fratribus sororibusque gravatus.

Quaedam de more circa has preces ex officio observabantur, et nominatim favore Oratoris dicebatur, Patronis ad egestatem vergentibus, piam matrem Ecclesiam benigne tribuere alimentaria subsidia iuxta textum ***in cap. Nobis, de Iurepatr.*** Quae

quidem subsidia, non solum ipsis Patronis sed eorumdem etiam familiis ac successoribus, sive consanguineis, sive extraneis competere traditur in ***can. Quicumque*** 30 ***caus.*** 16 ***q.*** 7. Lambert. ***de Iurepatr. lib.*** 3 ***quaes.*** 3., aliisque.

Porro Orator alteri ex testatoribus consanguineus erat, ad ipsius cappellaniae fruitionem ab eodem fuit adlectus, ac denique ad praeelectam familiam pertinebat, quae prima vocata fuerat ad ius patronatus cum activum tum passivum etc.

Haec et alia proposita sunt S. C. C. die 6 Maii 1865 quibus rescriptum fuit: ***Dilata et Vicarius Generalis praefigat terminum unius mensis Administratori ad reddendam rationem administrationis, non retardata interim cappellaniae constructione ad formam testamenti, et idem Vicarius de resultantibus quam primum S. Congregationem certior et.***

Vicarius Generalis ad normam huius Rescripti litteras dedit S. Congregationi cum statu activo, et passivo patrimonii ab Administratore exhibito. Non apparebat autem ex litteris an opus aedificationis cappellae incoeptum nec ne fuerit ad tramites laudati Rescripti.

Orator vero non desistebat ab instantia ob maximas rei familiaris angustias ut iterum ipsius preces pro congruo aliquo subsidio exaudiantur. Res itaque denuo coram S. C. C. deducta, die 10 Martii 1866 sequens datum est definitum responsum:

RESPONSIO.—***Quoad aedificationem cappellae haec perficiatur •quamcitius cura Administratoris actualis, vel alterius Administratoris in locum renunciatarii per Ordinarium subrogandi, et post quatuor menses huic Sacrae Congregationi ab eodem Ordinario exhibeatur relatio de statu fabricae. Quoad redditionem rationum Administrationis praeteritae, haec coram quo, et prout de iure discutiatur. Quoad subsidium Sacerdotis*** (supplicantis) ***interim per sex menses a praesenti incipien. subministrentur per Administratorem menstrua scutata quindecim facio verbo cum SSmo*** (1).

Ex ius COLLIGES:

L Officium esse Iudicis ecclesiastici piarum Testatorum voluntatum defensionem suscipere, easdemque exsecutioni mandare.

(1) Vide Appendicem X,.

II. Nec quidquam interesse an ecclesiastica potestas a Testatore in rei directione et administratione excludatur. Quoties enim Administratores, aliique designati piae voluntati non faciant satis, vindex debet esse Ordinarius, qui tandem exsecutor ex iure es$ omnium piarum voluntatum (1).

EX S, CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM»

ENARRATIO FACTI, QUA VIA STERNITUR ALIQUIBUS CONTROVERSIIS COGNOSCENDIS SUPER EADEM RE OBORTIS.

Die **8** *Aprilis* **1859, 17** *Maii* **1861, 1** *Septemb., et Spartii* **1866.**

In praeclarissima civitate A. in Italia, quaedam extat ecclesia a s. Maria de Misericordia nuncupata, ibique adest beneficium ecclesiasticum, cuius rector Prioris nomine venit, et vulgo-improprie Abbas etiam vocitatur. Ista ecclesia a duabus ipsius civitatis nobilissimis familiis a fundamentis excitata fuerat una cum aedficiis eidem adnexis, itemque congrua dote amplissime locupletata. Quocirca iisdem familiis iuspatronatus tum supra ecclesiam et aedificia, tum super facultate nominandi Priorem reservatum extitit. Una ex his familiis penitus exaruit, ac pro-

Ci) Non raro contingit, ut Ordinarii abstineant a debita vigilantia circa piarum voluntatum observantiam, quia ipsi a Testatoribus, vel Fundatoribus fuerint aliqua ratione exclusi ; neque redditionem rationum petant ob eamdem causam, quamvis motiva gravia babeaut dubitandi de earumdem voluntatum exsecutione. At S. Congregatio Concilii ad normam Tridentini decreti *sess.* **22** *cap.* **8** *et* **9.** *de Reform,* **insistit hisce in casibus, ut Ordinarii muneri suo satisfaciant. Sic ut alterum indicem exemplum in causa** *subsidii dotalis,* **agitata die 1 Aprilis 1865, cum Episcopus incidenter quereretur de mala administratione pinguis patrimonii, pro subsidiis dotalibus relicti, a qua administratione ipse fuerat exclusus ab ipso Testatore; S. Congregatio prius quam definiret causam sibi propositam, edixit statim:** *cura Episcopi exhibeatur quam primum redditio rationum.* **Vid. etiam sequentem* ca-isam cui titulus:** *Super* ***dubio*** *etc.*

pterea totum hoc ius alteri familiae accrevit, quae adhuc superstes est.

Primitus, ut perhibetur, eiusdem ecclesiae regimen aliquibus Religiosis viris sub regula s. Augustini concreditum erat: quibus, peste anni 1348 saeviente, demortuis et plane sublatis, ad Priorem saecularem regimen ipsum devenit, cui Mansionarii quidam et Clerici ab hoc ipso electi operam adiutricem praebebant tum in officiis divinis, tum in aedificiis ecclesiae adnexis; in hisce namque domus hospitalis constituta erat, in qua pauperes infirmi non exiguo numero recipiebantur.

Hinc factum est, ut progressu temporis summus Pontifex Nicolaus V. die prima Aprilis anni 1454 Apostolicas dederit literas, quibus Priori pro tempore, eiusque successoribus ac presbyteris ab hisce eligi solitis facultatem elargì tus sit administrandi sacramenta, ac nominatim excipiendi sacras confessiones tam a pauperibus infirmis in domo hospitali receptis, quam a clericis et laicis eidem ecclesiae et domui inservientibus.

Post saeculum cum dimidio, nempe anno 1600 alius Pontifex Clemens VIH. sub die 27 mensis Maii alias dedit literas, quibus eo ipso, quo mentionem facit de iure ad Priorem pertinente sedendi in synodo post ipsum Ordinarium localem, eidem Priori et successoribus eius facultatem facit, primo ut in publicis functionibus rochetum et habitum notariis Sedis Apostolicae proprium induere posset; deinde ut in ecclesia s. Mariae a Misericordia gereret mitram cum annulo aliisque insignibus pontificalibus adinstar Abbatum mitrae et baculi usum habentium; ut denique solemnem supra populum cum iisdem insignibus benedictionem impertietur.

Quo tempore hae literae Apostolicae prodierunt, in ecclesia s. Mariae a Misericordia adhuc novem Mansionarii cum quatuor Cappellanis et tribus Clericis divinis officiis inserviebant. Postmodum vero (quaenam fuerit causa, ignoratur) factum est, ut pauperes infirmi in iisdem aedificiis haud amplius reciperentur, itemque (Priore excepto) nec Mansionarii, nec Cappellani, aut Clerici, ideoque nec laici inservientes, omnino superessent; sed tantummodo quibusdam anibus habitatio gratuito suppeditantur: quo in statu etiam praesenti tempore adhuc se res habet ac perseverat.

Cum Prioratus anno 1828 vacaret, in eumdem suffectus et evectus est ex speciali et extraordinario Rescripto Leonis XII. quidam Petrus, cui Ordinarius ex vi eiusdem Rescripti facultatem solemnis benedictionis impertiendae concessit. Deinde anno 1831. san. mem. Gregorius XVI. aliud Rescriptum edidit, in quo Pontifex etsi aliqua iura eidem Petro tribuebat , attamen ex eo Rescripto vel pro ecclesiae exemptione vel contra ipsam nullum praeiudicium aut novitatem illatam esse denunciabat.

Item Petrus, priorali adepto benefìcio , insigniter sese de ecclesia benemeritum reddidit ; etenim ingentes sumptus in eamdem et adnexa aedificia restauranda , ac munificentissime exornanda erogare non dubitavit. Sed et eiusdem ecclesiae privilegia ac iura augere admodum conatus est : quandoquidem tonsuram conferre se posse credidit, atque adeo exemptionem nedum passivam, sed et activam a iurisdictione Ordinarii localis ipsi Prioratui inhaerere autumavit.

Itaque cum eo vivo, de iure conferendi tonsuram, ac de exemptione ab Ordinaria potestate apud S. Congregationem Epis. et Reg. decertatum est, tum eo demortuo super obligatione bonorum prioralium inventarium praesentandi, et reddituum, durante vacatione, administrationis rationem reddendi, inter Curiam ac nobiles Patronos vehemens controversia suborta est. Quae cum ita sint, nos in id consilii devenimus, ut cunctas controversias hic, ordinem chronologicum secuti, singillatim exportamus, prouti penes ipsum Sacrum Ordinem propositae fuerunt. Prima, quae occurrit est

TONSURAE.

***Die* 8 *Aprilis* 1859.**

Episcopus dioecesis NN., quae non longe aberat a dioecesi, in qua sita est ecclesia s. Mariae a Misericordia, de qua locuti sumus, penes S. C. Ep. et Reg. anno 1858 conquestus fuerat, memoratum Priorem Petrum , Abbatem nuncupatum ecclesiae

praedictae, tonsuram contulisse adolescenti cuidam, qui ratione originis Episcopo exponenti subdebatur. Aiebat autem sese ignorare, an Petrus pontificio privilegio polleret conferendae tonsurae : subinde, eo etiam posito privilegio, Ordinariam iurisdictionem suam ab eodem Petro, qui alienum subditum ordinaverit, violatam fuisse subiiciebat. Itaque Sacer Ordo a Petro ipso «exquisivit, qua auctoritate fretus adolescentem, eumdemque subditum alienum, tonsura donare ausus fuisset. Monendum hic porro •est, ea omnia, quae circa canonicam Prioratus praedicti historiam superius enarrata sunt, nondum comperta et perspecta fuisse, dum haec agebantur: ea siquidem rescivit S. Congregatio subsequenti annoy occasione, qua aliae, quas inferius referemus, causae expensae et diiudicatae sunt.

Caeterum idem Petrus S. Congregationi rescribebat, sese praerogativam tonsurae conferendae obtinere ratione literarum Apostolicarum Nicolai V. anni 1454, de quibus mentionem supra fecimus. Addebat insuper adolescentem illum, fortunae bonis plane destitutum, ex decreto civilis auctoritatis patriam deseruisse , suamque sedem in Priorali illa residentia stabiliter -constituisse.

Quae cum originario adolescentis Episcopo per summa capita communicata fuissent, hic renunciavit, eumdem adolescentem querimoniae causam ob quasdam voces in populo perlatas «ibi praebuisse, et idcirco exinde procul profectum esse. Quoniam vero Apostolicas, quas Petrus iactabat, literas nequaquam «orat, contendebat Petrum ipsum non potuisse eidem adolescenti clericalem tonsuram impertiri neque ratione originis, ut patebat, «eque ratione domicilii, (deerat enim suorum, quae non habebat, bonorum translatio, et habitatio ad decem annos producta), neque tandem ex causa triennalis cum ipso Priore familiaritatis, quae necessaria sunt, ut quis ordinationem conferre possit ex notissima Constitutione Innocentii XI. incipien. ***Speculatores.*** Quin imo compertum esse, adolescentem in fraudem legis a patria discessisse, ut videlicet sacram tonsuram consequeretur, ac insuper «eque literas dimissorias Episcopi originis (quod necesse erat) Priori ante collationem tonsurae exhibuisse. Itaque petebat, ut tonsurae collatio nulla et irrita declararetur, et poenis a iure canonico constitutis fieret locus.

In hoc rerum statu Sacer Ordo ad Ordinarium loci, ubi ecclesia s. Mariae a Misericordia exstabat, sese vertit rem enarrans, unaque iniungens, ut praetensum privilegium iuberet a Priore sibi ostendi, simulque ab eodem comprobari quod illud non fuerit per Tridentinam Synodum revocatum, prouti docet Benedictus XIV. ***de Syn. Dioc. Lib.'i cap. i \ n.*** 9; aut saltem quod post idem Concilium ab Apostolica Sede denuo fuerit concessum. Laudato Ordinario respondit Prior, sese primam ab Apostolica Sede (quod sui decessores haud fecerant) expostulasse, ut benedictionem ab Ordinario acciperet, iuxta ea quae de Abbatibus docet Bened. XIV. ***loc. cit. num.*** 9; ac proinde sese primum etiam tonsuram unaque minores ordines conferendi facultatem habuisse, qua facultate usus est, dum adolescentem, de quo res erat, clericali tonsura donavit. De asserto autem privilegio altum silentium plane servabat. Haec Ordinarius, cum fideliter Sacro Ordini renunciasset, quaestionis definitionem libero eiusdem iudicio relinquebat.

Disceptatio synoptica.

QUAENAM HAC IN QUAESTIONE EX OFFICIO PROLATA SUNT. — Advertebatu r in primis, in ***cap.*** 10 ***sess.*** 23 ***de re for. Conc. Trid.*** statutum fuisse - ***Abbatibus ac aliis quibuscumque quantumvis exemptis, non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus * etiam si nullius dioecesis, vel exempti esse dicantur, cuiquam qui Regularis subditus sibi non sit tonsuram, vel minores ordines conferre.*** Iamvero ad rem nostram quod attinet, Benedictus XIV- ***De Synod, dioec. lib.*** 2 ***cap.*** 9 ***num.*** 9 de allato decreto nimirum disserens ita tradit - ***Quoniam autem Tridentinum Abbatibus quovis modo exemptis facultatem dumtaxat reliquit primam tonsuram minoresque ordines conferendi suis subditis Regularibus; et Abbates Saeculares, quantacumque gaudeant exemptione, Regularibus non praesunt, necessario inde consequitur, eos non posse ullum, quanquam suae iurisdictioni subiectum, ad primam Tonsuram minor esque ordines promovere, nisi hanc potestatem a Sede Apostolica post Concilium Tridentinum impetraverint*** -Iamvero Petrus Prior ecclesiae s. Mariae a Misericordia nihil aliud praeter Apostolicas Nicolai V. literas, idest ante Concilium Tridentinum editas, in medium proferebam

Profecto ex iis, quae posita sunt, facile quisque videt de nullo Prioris Petri privilegio conferendae tonsurae constare, ideoque adolescentem illum ab ipso illicite ac invalide plane tonsura ipsa fuisse donatum, iuxta doctrinam quam super hac re tradit Benedictus XIV. **2.** c.

Sed ille qui Consultationes conscribendi munus habet, ulterius progrediebatur inquirens, quinam effectus sequerentur, si forte de asserto privilegio constare Emi Patres respondissent. In quo afferebatur sententia eiusdem Pontificis, qui eodem loco ita docet. ***Si alterum*** (quando nempe agatur de casu, quo Abbas privilegio fruitur conferendae tonsurae, eamque tamen non conferat suis subditis) ***illicite profecto, attamen valide primam tonsuram minoresque ordines etiam aliis confert, qui caeteroquin inter personas non numerantur in privilegio designatas*** - Hanc tamen Benedicti XIV. sententiam, qua tonsurae minorumque ordinum collatio valida censetur, exceptioni obnoxiam esse monebatur ex eo quod Sacra Congregatio Concilii tempore insequenti retinuisse videbatur collationem ipsam nedum illicitam sed et invalidam esse, ut in una ***Congregationis Olivelanae*** 30 Septembris 1788, et praesertim in ***Collen.*** 24 Ianuar. 1795., in qua hic articulus discutitur. Hac de re agitur etiam in opere novissime typis nostris edito De ***VV. SS. LL. Vol.*** 1. §. ///. ***n.*** 30 ***ac***-36 ***pag.*** 55 ei ***seqq.***

Quoad poenas, quas tum Prior tum adolescens subire debuissent, recitabatur ***Cap.*** 8 ***sess.*** 23 ***de Refor.,*** ubi statuitur ***-si secus fiat*** (si nempe ordines conferantur contra id quod ibidem decretum fuerat), ***Ordinans a collatione ordinum per annum, et Ordinatus a susceptorum ordinum executione quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, suspensus sit.*** - Animadvertebam autem huius capitis applicationem locum habere posse in casu, quo constitisset Priorem tonsurae conferendae privilegio praeditum esse, et subdito non suo eamdem contulisse, minime vero si Prior ipse hoc privilegio prorsus carere declararetur. Hoc enim in casu nulla (quae saltem casum peculiarem acu percuteret) a iure communi designata poena comperiebatur, ideoque pronum erat, ut poenam Iudicis, arbitrio culpae consentaneam tum Prior tum adolescens subire debuisset, veluti argumento

petito ex ***Cap. Significasti De off. Arc.*** nec non ex citatis resolutionibus S. C. Conc. in ***Congreg. Olivetanae, et Collen.***

Hisce adductis proponebantur dirimenda

Dubia.

I. « An constet de privilegio, conferendi tonsuram et mino-
» res ordines favore Abbatis ecclesiae s. Mariae a Misericordia...
» in casu.

» Quatenus ***negative.***

II. » An aliqua providentia ineunda sit, et qualis.»

RESOLUTIO. — Die 8 Aprilis 1859 Emi Patres rescripserunt

Ad I. ***Negative.***

Ad H. ***Nullam esse collationem tonsurae ac minorum ordinum, quatenus ab Abbate collati fuerint, et cogendum esse*** (adolescentem) ***ad dimittendum habitum clericalem cura*** (Ordinarii localis, cui ecclesia praedicta suberat), ***qui utrique salutarem poenitentiam suo prudenti arbitrio iniungat, et resolutio notificetur Episcopo*** (originario), ***facto verbo cum SSmo.***

Et facta de praemissis relatione SSmo D. N. Pio PP. IX. in audientia habita eadem die Sanctitas Sua resolutionem S. C. approbavit , et confirmavit, et insuper (Ordinario locali) ***facidtatem tribuit tam Abbatem quam*** (adolescentem) ***postquam salutarem poenitentiam ab eodem*** (Antistite) ***eis iniungendam expleverint, a censuris et poenis ecclesiasticis ob praemissa quomodolibet incursis absolvendi et dispensandi. Contrariis etc.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Ad effectum sacrae ordinationis aliquem Episcopi subditum fieri ratione originis, beneficii, domicilii, et familiaritatis.

II. Praelatis inferioribus non Regularibus adempta, et Abbatibus Regularibus coercita ad suos subditos Regulares fuisse a Tridentino Concilio privilegia conferendi tonsuram ordinesque minores, quibus antea gaudebant.

III. In privilegio alicui deinde concesso obtinendi Benedictionem ab Episcopo more Abbatum, imo et utendi Mitra et Baculo, non comprehendi peculiare privilegium conferendi tonsuram (1).

(i) In Causa *Frigen.* proposita die 3 Aprilis 174S, **et definita die** 17 **Septembris 1746,, postulabat Abbas ss. Petri et Pauli Ordinis Canonicorum Regularium**

IV. Tonsuram ac minores ordines a Praelato inferiore tale privilegium non habente collatos non solum illicitos, sed etiam nullos censeri.

V. Eum, qui ita tonsuram et minores ordines acceperit, cogi posse ad habitum clericalem dimittendum.

VI. Tum eum, qui tonsuram ac minores ordines contulit, tum eum qui acceperit, per Apostolicam Sedem salutari poenitentiae subiici, antequam de censuris et poenis quomodolibet incursis absolvantur et dispensentur.

EXEMPTIONIS.

***Die* 17 *Maii* 1361.**

Petrus, Prior ecclesiae s. Mariae a Misericordia, animo nequaquam cecidit ob adversam resolutionem, quam in praeterita causa perpeti debuerat; quin imo ansam arripere visus est, ut altius mentem suam attolleret, et exemptionem activam a iurisdictione Ordinarii localis propugnandam assumeret perinde ac Praelatus ***Nullius***, quem vocant, habendus esset. Hanc ad rem supplici ad S. G. Ep. et Reg. oblato libello, multiplices animadversiones in sui propositi confirmationem proferebat, quarum plerasque superius innuimus, alias vero utpote minoris momenti, et maxima ex parte ad effectum, de quo agitur, minus conducentes, consulto praeterivimus. Potissimum vero innitebatur Apostolicis Literis Nicolai V. anni 1454, quibus Priori s. Mariae a Misericordia facultatem Pontifex ille concessit, ut in Hospitio

ut definiretur, an ipse posset primarii tonsuram minoresque ordines suis subditis Regularibus conferre; quod etsi eius praedecessores (quibus facultas utendi Mitra et Baculo aliisque Insignibus pontificalibus iuxta morem Abbatum Regularium , benigne data fuit ab Innocentio XII..) omnia exercuerint > quae pontificalia dicuntur : a tonsura tamen ordinumque minorum collatione abstinuerunt. Proposito autem dubio: «An » Abbates monasterii ss. Petri et Pauli » Weyaren. primam tonsuram et mino» res ordines suis subditis Regularibus » conferre valeant: » S. Congregatio respondit: ***negative et amplius.***

ecclesiae adnexo tum ipse tum Sacerdotes ab eodem electi sacramenta infirmis pauperibus et laicis domui subservientibus administrare possent. Subinde ad alias Apostolicas literas Clementis VIII. anni 1600 confugiebat, quibus eidem Priori potestas facta est induendi rochetum et habitum notariorum Sedis Apostolicae proprium, gerendi mitram, annulum, et baculum pastoralem in propria ecclesia, ac denique solemnem inibi supra populum benedictionem impertiendi.

Quod si Emis Patribus minime visum fuisset exemptionem istam activam eidem Priori ex stricti iuris censura adiudicare, saltem deprecabatur, ut ex gratia, privilegium illud ac praerogativa ecclesiae tam insigni, cuiusmodi erat s. Mariae a Misericordia nuncupatae, ex Apostolicae Sedis indulgentia tribueretur.

At vero eidem refragabatur Ordinarius localis, qui plurimis, iisque solidissimis rationum momentis auctoritatem suam ordinariam supra eamdem ecclesiam affirmabat, inter quae illud maximum ac potissimum erat, quod ab immemorabili Prior illius ecclesiae canonicam institutionem , antequam Beneficii possessionem adire t, ab Ordinario locali accipere consuevisset, si ultimum Priorem excipias (Petrum nempe ipsum) qui extra ordinem a Pontifice ex speciali Rescripto priorale beneficium consecutus fuerat. Partibus itaque auditis, quin et exquisito voto Episcopi vicinioris, ut accuratiores notitias S. Ordo adipiscentur, duplex, ut in calce legitur, dubium in plenario Emorum Patrum auditorio propositum est.

Disceptatio synoptica.

QUAE DOCTRINAE CIRCA ARGUMENTUM IN PRIMO DUBIO PROPOSITUM EXPONERENTUR. — In primis communissima afferebatur distinctio trium specierum, in quas Praelati inferiores, sive Abbates discriminantur-Prima species (ita Bened. XIV. ***de Syn. Dioec. Lib. U. Cap. XI.***) ***est eorum, qui certo praesunt generi personarum existentium intra septa alicuius ecclesiae vel monasterii cum passiva exemptione a iurisdictione Episcopi. Eiusmodi sunt Superiores Regulares, qui una cum ecclesia eiusque ecclesiae clericis et administris quibus praeficiuntur, subsunt immediate Romano Pontifici. Secunda species est Praelatorum habentium iurisdictionem activam in clerum et populum certi loci* qui tamen locus est intra Episcopi***

dioecesim: a qua undique circumscribitur: et huiusmodi Praelati improprie tantum, et lato quodam loquendi modo dicuntur esse nullius ***dioecesis. Tertia species est Praelatorum, qui iurisdictionem activam habent in clerum et populum alicuius loci aut oppidi, aut plurium locorum et oppidorum, quae omnino avulsa et separata sunt a cuiuslibet Episcopi dioecesi. Quapropter dicuntur constituere quamdam quasi dioecesim, ubi Praelatus, iis exceptis, quae ordinis episcopalis sunt, omnia exercet, quae caeteroquin ad episcopalem iurisdictionem pertinerent, Huius generis Praelati inter inferiores nobilissimi sunt ac dicuntur vere et proprie*** nullius ***et veris annumeratur Ordinariis locomm.***

Post haec nonnulla delibanda sumebantur de discrimine, quod inter exemptionem passivam, et activam intercedit: quae ultima dividitur primo in semiplenam , et subinde in plenariam, qualis est ea, quam describit Benedictus XIV. loco mox allato super tertia Praelatorum specie: ct hanc ad se pertinere Prior s. Mariae a Misericordia contendebat. Ad ipsam itaque sermone converso, animadvertebatur triplicem eam esse. Haec vero divisio eo potissimum consilio paulo fusius explicabatur, ut dignosci posset, an aliqua ex iisdem Priori competeret.

Itaque prima dicitur ***nativa,*** et haec orta est in primitiva dioeceseon omnium distinctione ac proinde dumtaxat Episcoporum est propria. Adeatur Petra ***ad Const. IV. Calixli III. sect. IL 11.*** 2 ***et seqq.*** Secunda vocatur ***dativa,*** quaeque a Summo Pontifice ex speciali privilegio tribuitur: hoc vero privilegium manifestum et clarum omnino esse debet; vid. Ben. XIV. Const. ***Apostolicae servitutis*** §. 2, diei 11. Mart. 1743 et alibi; si secus sit, privilegium praesumptum et ambiguum non attenditur. Tertia species ***praescriptivae*** nomine venit, quae videlicet a praescriptione originem et efficaciam desumit. Ad hanc acquirendam (si nempe agatur de exemptione plenaria) requiritur absolute praescriptio immemorabilis omnibus conditionibus a lege praescriptis praedita et communita. Id enim, articulo ex professo discusso, declaravit et sancivit Congregatio quaedam particularis a Clemente XI. deputata die 3 Ianuarii 1721. Vide Ben. XIV. ***De Syn. dioec. lib.*** 13 ***cap. S n.*** 18.

Tum vero ad facti speciem oratione conversa, in primis in mentem revocabatur ea circumstantia, quam peculiariter localis

Ordinarius designabat, nempe quod Priora tus s. Mariae de Misericordia per bullas episcopales, veluti fit de aliis minoribus beneficiis, a tempore immemorabili novellis rectoribus a Curia locali conferebatur. Iamvero Praelaturae atque Abbatiae, sive considerentur uti Beneficia maiora, sive uti Dignitates, non ab Episcopo, sed ab ipso Pontifice conferuntur Vid. Gonzalez ***ad Reg.*** 8 ***Canc. De alieni, et mens. glossa*** 9 §. 1 ***n.*** 38.

Apostolicae literae tum Nicolai V. tum Clementis VIII. nullum, quod idoneum ad rem videretur, argumentum praeseferebant. Namque facultates a Nicolao V. Prioribus concessae, aeque ac de aliis eiusmodi privilegiis factum est, derogatae ac revocatae sunt a Conc. Trid. ***Cap.*** 15 ***sess.*** 23 ***de Ref'., privilegiis et consuetudine etiam immemorabili non obstantibus.*** S. C. Conc. apud Petram ***I. cn.*** 51 ***et*** 52. Neque maior argumenti vis reponi poterat in aliis Clementis VIII. literis; namque privilegia illa honorifica exemptionem minime, important, veluti diserte habetur apud Ben. XIV. in Const. ***Causarum §. Si autem,*** diei 15 Novem. 1747. - Argumenta vero, quae pro admittenda exemptione activa adducebantur, quoniam levissima esse monuimus, recensere abstinemus.

QUAE CIRCA SECUNDUM DUBIUM DISSEREBANTUR.— Quod si Emi Patres de exemptione non constare respondissent, Petrus Prior exorabat, ut eadem ex gratia sibi concederetur. Quocirca ecclesiae antiquitatem nobilitatemque opportune extollebat: deinde sumptuosas refectiones ornatusque maximi pretii commostrabat, quos ubi primum Prioratum adeptus est in eadem ecclesia adnexoque aedificio peragere nunquam destitit. Hisce de rebus cum ecclesia tum ipsa Oratoris persona digna esse videbantur, quae singulari hoc privilegio donarentur.

At vero contra perpendebatur, nonnisi parcissime huiusmodi privilegia ab Apostolica Sede impertiri solere. Deinde Ordinarius localis, cuius auctoritas restrictionem perpeti debuisset, vehementer huic rei adversabatur: perniciosius id siquidem, quamquod maxime disciplinae ecclesiasticae reputabat. Iamvero si omnibus in rebus, in hac profecto re potissimum Apostolica Sedes rationem et respectum habet oppositionis, quae ab Episcopis fieri forte potest. Et in exemplum afferebatur causa ***Parmen. Abbatiae Fontis vivi*** agitata penes S. C. Conc. die 19 Dec. 1801-

His aliisque expositis proposita sunt resolvenda

Dubia.

« An et quomodo constet de exemptione Prioris Abbatis a s. Ma-
» ria a Misericordia ab iurisdictione episcopali ***(Dioecesis NN.)***
» Quatenus ***negative.***

II. » An et quomodo supplicandum sit SSmo, ut privilegia » precibus exposita eidem concedere dignetur. »

RESOLUTIO. — Emi Patres die 17 Maii 1861 rescripserunt

Ad I. ***negative.***

Ad II. ***Item negative et ad mentem*** (1).

Ex us COLLIGES:

I. Triplicem esse speciem Praelatorum inferiorum, seu Abbatum.

II. Praelatos inferiores seu Abbates tertiae speciei, utpote ordinariam auctoritatem cum populo ac territorio separato oV tinentes, vere ac proprie dici ***Nullius dioeceseos.***

III. Exemptionem activam a iurisdictione Episcopi dividi ***m nativam, dativam,*** et ***praescriptivam.***

IV. Exemptionis dativae privilegium esse debere clarum ac manifestum.

V. Exemptionis praescriptivae necessariam conditionem esse, ut consuetudini immemorabili innitatur, quae singulis requisitis a lege praescriptis praedita sit.

VI. Privilegia varia exemptionis ab Episcopi iurisdictione ante celebrationem Conc. Tridentini concessa per Patres eiusdem Concilii fuisse revocata.

VII. Privilegium gerendi mitram et induendi habitus pontificales cum aliis insignibus exemptionem activam non importare.

VIII. Privilegium exemptionis activae ab ordinaria localium Episcoporum iurisdictione nonnisi ex magnis causis ab Apostolica Sede attribuì solere.

(1) Mens (quae resolutione dubii non erat declaranda) in eo consistebat, ut a S. C. per literas, Prioris zelus in restauranda ornandaque Dei Domo amplis laudibus honestaretur.

SUPER DUBIO PROPOSITO CIRCA INVENTARIUM ET RATIONUM REDDITIONEM BONORUM BENEFICIALEM.

Die **1** *Septemb.* **18»ì5,** *et* **9** *Martii* **1866.**

Triennio circiter postquam causa ***super exemptione,*** quam modo retulimus, penes S. Ordinem Ep. et Reg. acta fuerat, Petrus Prior ecclesiae a s. Maria de Misericordia universae carnis viam gravis annis ingressus est. Eo tamen deficiente, minime defecerunt nova controversiarum capita: quae singula recensere hic locus non est; ea tantum curabimus et referemus, quae aliquo cum Lectorum fructu referri possunt. Ubi primum itaque beneficium priorale vacavit, nobiles Patroni pro tempore publica monitione competitores invitaverunt, ut praescriptarum qualitatum testimonia exhiberent. Quibus peractis formalem nominationis actum favore cuiusdam personae pluribus de causis meritissimae ediderunt, simulque nonnullas conditiones adiecerunt , quibus persona nominata adhaerere ac subscribere non dubitavit.

At Curia ecclesiastica in harum conditionum acceptatione quasdam irregularitates deprehendi, quae eidem pontificia sanatione indigere visae sunt. Sed haec res non ita magni ponderis erat prae duobus aliis dubiis, quae, antequam nominato viro •canonicam institutionem Ordinarius dare posset, ab Apostolica Sede resolvenda esse consultissime arbitrabatur; ideoque opportunam resolutioneni/a Sacra Congregatione Episc, et Reg. exorabat. Horum porro dubiorum alterum in eo consistebat, num ipse Ordinarius substantiae beneficialis statum cognoscendi ius haberet: alterum vero erat, an a Patronis de prioralis beneficii administratione tempore vacationis exercita ut rationem sibi redderent exigere posset: quae duo aliis verbis eo redigebantur, ut quaereretur, an Curia ecclesiastica bonorum beneficialium inventarium et rationum redditionem posset exquirere.

Utrumque dubium levioris momenti videri fortasse poterit: haud ita tamen censebitur, cum ambo ad iuris trutinam revocentur. Hanc itaque ad rem necessarium est in facto cognoscere

quod, quamvis a saeculo decimo quinto usque ad totum saeculum decimum octavum non interrupta serie (quemadmodum ex actis Cancellariae ostenderetur) Priores a Curia ecclesiastica institutionis canonicae et investiturae bullas consequi, et praeterea in possessionem beneficii a Patronis immitti consuevissent, nihilominus neque hi neque Priores ipsi eidem Curiae inventarium honorum, quae beneficii dotem constituunt, ullo unquam tempore tradiderant, ita ut nullum documentum nulla notitia hac «de re ibidem extaret. Praeterea ab immemorabili consuetudine liic mos pacifice servabatur, ut quo tempore beneficium vacaret, vacantis beneficii bona ab ipsis Patronis administrarentur, fructusque in onerum beneficialium adimplementum potissimum erogarentur. Merito itaque Ordinarius anceps haerebat, an ista consuetudo utroque in capite sustineretur. Singulatim primo de uno capite, deinde de altero in Consultatione conscribi solita disceptabatur.

Disceptatio synoptica.

QUAE CIRCA BONORUM BENEFICIALIUM INVENTARIUM AFFEREBANTUR. Ante zinnia ponebatur, quod Sixtus V. in suo ***Motu-proprio*** incipien. ***Provida Romani*** diei 29 Aprilis 1587 providerat, ut per totam Italiam atque insulis adiacentibus in singulis dioecesibus peculiare tabularium construeretur, in quo omnium bonorum, quae ad ***f'*** loca propriae iurisdictioni subdita pertinerent, inventaria rite confecta asservarentur. Porro Sixtina istaec dispositio duas habet partes; prima pars curias afficit aliaque Instituta, quibus onus iniungitur hoc tabularium construendi; altera vero pars personas attingit, quae ad idem tabularium inventaria bonorum ecclesiasticorum mittere obstringuntur: quas inter praecipuum habent locum beneficiorum possessores. Animadvertendum etiam est, ab hac lege non excusari eos, qui ab episcopali iurisdictione exempti sunt, et immediate Apostolicae Sedi subduntur. Tam salubris haec Sixti V. Constitutio confirmationem quodammodo accepit a Benedicto XIII. in Constit, incipien. ***Maxima vigilantia*** mensis Iunii anni 1727. De utraque Constitutione loquitur Angelus Lucidi Auctor novissimi Operis ***de VV. SS. LL. Vol. I. pag.*** 233 ***n.*** 244, quin imo ambas per extensum exhibet ***Vol. HI. pag.*** 129 ***ac pag.*** 146.

Hisce positis pro excludenda obligatione exhibendi inventaiii in Curia episcopali, de qua res erat, observabatur, quod Prioratus s. Mariae a Misericordia per literas Nicolai V. anni 1454 supra memoratas uti Praesulatus seu Abbatia ***nullius*** quodammodo declarata fuerat; quamvis enim per Concilium Tridentinum aliquae determinatae facultates ablatae fuissent, nihilominus sartum tectumque relictum fuerat quidquid Tridentini Patres expresse nequaquam nominavefant. Itaque id omne, quod alios iurisdictionis actus complecteretur, Priori s. Mariae ereptum non fuerat: et reipsa Curia ecclesiastica tam diuturno tempore ius hoc exercere minime ausa fuerat, neque in Sacra Visitatione, quam nunquam in ecclesia ipsa absolvere attentaverat Ordinarius. Praeterea huiusmodi exhibitio inutilis ac superflua existimabatur, quandoquidem apud ecclesiam s. Mariae a Misericordia Priorale Archivium extabat, in quo singula acta scripturaeque ad eamdem pertinentes fideliter custodiebantur.

E contra vero reponebatur conceptis verbis in Sixtino ***Motuproprio*** ad inventarium praesentandum obstringi eos etiam, qui ab episcopali iurisdictione exempti sunt, et immediate Apostolicae Sedi subduntur. Quamvis hoc de Prioratu s. Mariae dici haud poterat sicut apparet ex superiore Resolutione ; deinde ex eo quod Curia ius habebat canonicae institutionis impertiendae, illud consequebatur, ut inventarium bonorum eorum exigere posset, quorum in possessionem Priorem immittebat; quin obstaret, quod ecclesia s. Mariae suum proprium tabularium haberet: hoc enim et Capitula Canonicorum, aliaque Instituta sacra obtinent, et nihilominus inventarii exhibendi lege afficiuntur.

QUAE CIRCA RATIONUM REDDITIONEM SUBDERENTUR. — Praemittebatur, quod ex antiquiori Ecclesiae disciplina Patroni ius habere potuissent sese immiscendi in administrandis bonis beneficiorum patronalium, veluti colligitur ex ***Cap. Cum vos.*** 4 ***De offic. Ord.,*** Fagnanus ***in hoc cap.*** At vero Concilium Tridentinum eum aliis locis, tum praecipue ***Cap.*** 9 ***Sess.*** 25 ***de Ref.*** gravissime Patronis iisdem prohibuit, ne in perceptione fructuum beneficialium eorumque erogatione, ***non obstante quacunque consuetudine,*** se ingerant, idoneis poenis contra huiusce sanctionis violatores constitutis.

Hisce praclibatis consequi videbatur, ut consuetudo licet antiquissima, quae ferebat, ut Patroni Prioratus s. Mariae vaca

tionis tempore, prioralia bona administrare possent, Tridentinae -dispositioni contrairet, atque ideo aboleri deberet.

At vero vice versa animadvertebatur, Tridentinos patres ***in Cap.*** 3 ***Sess.*** 24 ***de Ref.,*** ubi pariter prohibetur Patronis, ne in beneficiis patronalibus sese immisceant, hanc limitationem apposuisse - ***nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat*** -Iamvero licet primitivum fundationis decretum in themate desiderantur; tamen ab immemorabili tempore servabatur consuetudo, ut, vacatione durante, Patroni prioralia bona administrarent. Indubitatum est autem, quod consuetudo immemorabilis in Concilii Tridentini decretis nullatenus sublata censeatur, nisi expressis verbis eidem derogatum fuerit, Panimolle ***Decis, i Annot.*** 10 ***an.*** 23 ***et sequ.*** S. Rota ***Decis.*** 585 ***n.*** 2 ***coram Seraphim,*** et passim Doctores.

Quod si Emis Patribus visum fuisset consuetudinem huiusmodi posse sustineri, quaerendum supererat, an saltem de prioralium bonorum administratione reddere rationem tenerentur. Iamvero in celebrato ***cap.*** 9 ***Sess.*** 22 ***de Ref.*** statutum est, ut omnes Administratores bonorum ecclesiasticorum Ordinario rationem reddere obstringantur. Docent vero communiter Interpretes, per huiusmodi Decretum sublatas fuisse quaslibet contrarias consuetudines, etiam immemorabiles. Vid. Fagnan. ***ad cap. De Xenodoc.*** 3 ***de Rei. dom. n.*** 4 ***et*** 5, ubi referuntur ad rem nonnullae S. C. Conc. declarationes.

Attamen Tridentini Patres huic dispositioni hunc limitem posuerunt videlicet nisi - ***secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu, fabricae expresse cautum esset*** - quod intelligendum cum clausula - ***salvo iure Ordinarii in casu negligentiae Administratorum in adimplenda Testatoris voluntate-S.*** C. Conc. in ***Bononien. Reddit, ration.*** diei 2 Martii 1839. Illud etiam cavendum, quod si ex privilegio, consuetudine, vel alia constitutione alicui coetui vel personae, ratio esset reddenda, tum idem Ordinarius adhibendus est cum hoc coetu vel persona in rationum redditione peragenda. Vid. Pignatt. ***Consult.*** 15 ***Tom.*** 7 ***n.*** 36. De hac materia redditionis rationum fuso calamo agit citatus Auctor ***De VV. SS. LL. Vol.*** 2 ***in Art. 2. Vol- U. pag-*** 459 ***et seqq.***

Monendum est, quod pendente causae propositione, Ordinario sx Rescripto Summi Pontificis, suas in id preces iteranti, aucto-

ritas data est, ut novum electum ad priorale beneficium instituere posset, et quemcumque defectum sanare; licet (quod postmodo scitum est) Ordinarius hac facultate minime uti eensuisset. Cum interea caput hoc veluti confectum haberetur, iudicio Patrum Emorum suppositum non fuit; ideoque controversia coercita est ad obligationem exhibendi inventarii et rationum: administrationis reddendarum per generalem, quae sequitur dubii formulam.

Dubium*

« An et quomodo respondendum sit quaesito (Ordinarii NN.)»

RESOLUTIO?—Emi Patres die i Septemb. 1865 causa discussa? rescripserunt - ***Firmo remanente iure Curiae... dandi canonicam institutionem, in reliquis servetur consuetudo.***

Huius CAUSAE CONTINUATIO. — Hac emissa Resolutione Ordinarius sese denuo audiri postulavit et obtinuit. Cum novas deductiones S. Congreg, detulisset, cognitum est, eumdem Rescripto Summi Pontificis, cuius mentionem fecimus, exsecutioni non mandasse, quod ex hac re iura sua laedi arbitrantur. Hinc resuna cum iterata dubii iam resoluti propositione, Emorum Patrum iudicio, fideli et accurata rerum omnium addita relatione subiecta est, prout in calce legitur.

Neque etiam omittendum, quod Prior, nuper electus insimutabatur, quod sese in prioralium bonorum administrationem intrusisset, antequam a Curia canonicam institutionem consecutus esset. In quo memoriae re vocabantur ea, quae in iure canonico statuta sunt contra illos, qui, nondum institutione canonica acceptata, in beneficium sese immittere non reformidant ***cap.*** 5 ***Avaritiae caecitas de elect. et elee, potes, in*** 6° Ferraris ***V. Beneficium Art. VII. num.*** 19. Quamvis e contra videretur id non posse de persona nuper electi Prioris asseverari, quippe qui, admisso etiam quod in aliquem actum administrationis sese ingessisset, id (prouti ex actis colligi posse videbatur) ea de causa certe fecerat, quod eam in rem facultas sibi facta fuisset a Patronis, qui ab immemorabili consuetudine versabantur in possessione iuris administrandi beneficii bona, ideoque licite hanc potestatem alteri delegare non prohibebantur.

Dubiorum expositio.

T. « An et quomodo recedendum sit a resolutione diei **1** Septembris 1865 in casu. »

II. «An et quae determinatio capienda sit super delegatione » impertita Ordinario NN. et super ingerentia neo-electae per- » sonae ad Prioratum in casu. »

RESOLUTIO. — Die 9 Martii 1866 Emi Patres re de more discussa respondendum censuerunt:

Ad **1.** ***In decisis iuxta modum: firmo nempe remanente iure Curiae... dandi canonicam institutionem, relate ad administrationem, quam, prioralu vacante, Patroni habere consueverunt, servetur consuetudo, ita tamen ut quilibet novus Beneficiatus Curiae... inventarium tradere teneatur, et Ordinarius in casu negligentiae Administratorum possit ab eis rationum redditionem exigere : et amplius.***

Ad II. ***Affirmative, et supplicandum SSmo pro sanatione favore Presbyteri NN., ut ei canonica institutio detur, ad quam*** (Ordinarius) ***ordinaria sua auctoritate procedere possit.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Singulas Curias Italiae et Insularum adiacentium ex motu proprio Sixti V. habere debere tabularium, in quo inventaria bonorum ad Ecclesias, beneficia, loca pia, aliaque Instituta pertinentium asserventur **(i).**

(1) Sixtus V. Romanus Pontifex meditabatur archivum generale ecclesiasticum erigere, in quo omnia inventaria rerum, bonorum, ac iurium et scripturarum pertinentium ad ecclesias et pia loca per universam Italiam constituta in Palatio Apostolico reconderentur et asservarentur. Verum ab eiusmodi proposito discessit ob graves difficultates et gravia incommoda quae inde oriri cognita sunt. At praeconcepto consilio Pontifex non omnino valedixit, sed alia ratione providit ut videre est in supra citato motu *proprio* quod legitur in *Appendice Concilii Romani, coli. cum cap. I. tit. XII. et seqq. eiusdem Concilii.*

Absoluto autem Romano Concilio Benedictus XIII. apprime noscens detrimenta quae ecclesiis locisque piis provenirent ex neglectu arcbiviorum et inventariorum, solemni Constitutione quae incipit: *Maxima vigilantia,* XVIII. Kal. Iulias 1727 accurate prospexit huic inventariorum et arcbiviorum negotio, et sub poenarum sanctione ea quae praescripsit servari mandavit. Vid. etiam Angelum Lucidi in opere locisque citatis.

II. Ex iure novissimo Patronos sese non posse immiscere in administratione bonorum ad patronalia beneficia pertinentium **(1).**

HI. Sustineri tamen immemorabilem consuetudinem, ut Patroni beneficia patronalia administrent beneficio vacante.

IV. Ordinarium in casu saltem negligentiae Patronorum posse ab eis rationum redditionem exigere, si alias id ei non competat.

VI. Ante canonicam acceptam institutionem et initam possessionem haud licere Beneficiato sese in beneficialium bonorum administrationem intrudere.

EX S. CONGREG. IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE.

ADIUDICATIONIS FORI.

Die 29 ***Maii*** 1S88.

Compendium facti. Religiosus testator duo pia legata reliquit favore cuiusdam piae Sodalitatis. Mortuo Testatore et cedente die quo solvi eiusmodi legata deberent; pia Sodalitas apud laicum tribunal convenit haeredes, ut legatis iisdem impositis solvendo facerent satis. Laicum tribunal recepit citationis libellum, at dubitans super competentia sui tribunalis ad iudicandum in hac pia causa; a S. Congregatione Immunitatis postulavit an in causa iudicanda procedere posset.

Audita prout moris est Episcopi relatione, iura utrinque allegata, ea sunt quae sequuntur.

RATIONES ALLEGATAE SUI FAVORE A LAICO TRIBUNALI. — Pluribus Canonistarum auctoritatibus innitebatur laicum Tribunal ad ostendendum legata pia esse ***mixti fori,*** locum proinde dari ***praeventioni.*** Abbas ***in Cap. Si haeredes de testamentis,*** proposita facti specie his verbis: « Quidam haeredes voluntatem Testatoris

(!) Vid. etiam qua».'icta sunt in causa *Emphyteusis vol. I. p.* 228.

<» adimplere nolebant: quod significatum est Domino Papae, qui ^> respondit, quod si haeredes, Testatoris iussa non adimpleve- » rint, ab Episcopo loci illius, omnes res, quae eis relicta sunt* » canonice interdicantur cum fructibus, et caeteris emolumen- » tis ut vota defuncti adimpleantur : » sequentia Panormitanus Abbas notat:

« Nota **1°** quod ad haeredes pertinet exequi iussa per de- » functum.... Nota 2° quod pro adimplenda voluntate defuncti po- » test contra haeredem negligentem omnis res haereditaria inter- » dici cum fructibus et emolumentis. Nota 3° quod ad iudicem » ecclesiasticum pertinet ut vota defunctorum exsecutioni man- » dentur. » Subiungit autem: « ***Dico tamen quod hoc est mixti » fori, quia etiam Iudex saecularis potest officium suum impertiri, y> etiam in legatis ad pias causas ut in*** Auth. de eccles, tit. §. Si » quis autem aedificationem, et in Auth. hoc amplius Cod. de » fideic, ***per hoc arbitror esse locum praeventioni inter hos Iu- D dices, quod notanter facit quod dixi in cap.*** Cum sit generale* » de Foro competent. »

Idem sentit Diana ***par.*** 6 ***tract.*** S ***de Testam, resol.*** 39 §. 1 ***et*** 2, qui sibi quaerens: « ad quem Iudicem pertineat exsecutio te- » stamenti ad pias causas, et legatorum piorum? » aliis Aucto- ribus allegatis respondet : « causam piorum legatorum, quando » haeres, qui illa tenetur solvere, ***est saecidaris,*** esse mixti fori. » Quia enim reus in suo foro conveniri regulariter debet, peti » possunt coram Iudice saeculari, ut ex ***cap. Relatum*** patet, in » quo sermo est cum saecularibus Vellestrensibus. Quia vero res » de qua agitur finem respicit supernaturalem, cuius iudicium ad » Ecclesiam spectat, peti etiam possunt coram Iudice ecclesia- » stico. » Ita sentiunt alii plures Auctores qui allegabantur.

RATIONES ADDUCTAE A CURIA ECCLESIASTICA SUI FAVORE. — Curia episcopalis, praemisso ***capit e*** 8 ***sess.*** 22 Trid. Concilii, quo statuitur: ***Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate quam inter vivos sint exsecutores ;*** praemissa doctrina Benedicti XIV. ***de Syn. I.*** 13 c. ***ult.,*** distinguenda esse aiebat legata simpliciter pia , et legata religiosa. Legata pia simpliciter, ea intelligebat quae relinquuntur absque ullo onere, ut ^est ex. gr. legatum dotis, eleemosynae et similia. Legata vero

religiosa ea esse tradebat, quae relinquuntur cum onere alicu-ius operis quod ad Religionem cultumque divinum immediate' spectant. Hac posita distinctione posse conciliari Curia opina-batur duas Auctorum sententias, quae oppositae videntur ita,, ut doctrina Auctorum qui in contrarium citantur intelligi debeat de legatis simpliciter piis. Namque etsi plures sint Auctores-qui docent legata pia esse mixti fori, habentur et alii qui con-traria tradunt, ut Marti in ***tract. de Iurisd. part.*** 4- ***cent.*** 1 ***eas.*** 89 ***n.*** 13, ubi aliis Interpretibus allegatis scripsit: « Cognitio* » legatorum ad pias causas pertinet ad forum ecclesiasticum.»

Et sane legata quae Curia appellabat religiosa, cum re spi-rituali sunt intime connexa, super qua spiritualitate Iudex lai-cus nullam habet iurisdictionem, ***Cap.*** 2 ***de Iudiciis.*** Reiffenst. ***lib.*** 2 ***tit.*** 1 g. 3 ***n.*** 73. Maxime cum eiusmodi pia legata secum-ferre soleant cognitionem, utrum per ea sit sufficienter provi-sum oneribus iniunctis; utrum ex gr. possit ecclesia aliis one-ribus Missarum gravari quibus satisfieri non possit sive ex iam existenti numero Missarum, sive ex deficentia Sacerdotum iu-xta nota decreta Urbani VIII. et Innocentii XII. diei 23 De-cembris 1697, in quibus legitur ***num. i O « Intelligant Episcopi si in re tanti momenti desides aut negligentes fuerint, in novis-simo die se huius praetermissi muneris rationem esse red— dituros. »***

Sed insuper in praesenti dioecesi constans aderat consuetudo,, ita ut nulla haberetur memoria, eiusmodi legatorum iudicia acta in tribunali laico fuisse, prout documento allegato ostendebatur.

Quod si (animadvertebat Curia) moveri vellet quaestio in* facto, quinam ex duobus Iudicibus causam praevenerit, Iudex ecclesiasticus dicendus erat prae venisse : namque ab Episcopo facultas facta fuerat Sodalitati post porrectas preces acceptandi legata.

EA QUAE EX OFFICIO DISPUTABATUR. — Facta distinctione inter exsecutionem legatorum piorum, et excussionem debitarum ad-solvendum quod legatum est, observabatur, exsecutionem lega-torum piorum ad Iudicem ecclesiasticum privative spectare iuxta caput allegatum Tridentini Concilii, quod fideliter sequuta est S. Congregatio Immunitatis ut in causa S. ***Marci,*** anni 1656 ***Lib. Decret.*** 5 ***fel.*** 9 in quo legitur: « ***Quo vero ad cognitionem-***

causarum super fructibus decimarum, legatorum piorum et adimplementi celebrationis Missarum et anniversarium, censuit spectare ad ipsum Episcopum »

Item in ***Nullius Guastallae*** diei 27 Septemb. 1696 ***lib. Decret, ii fol.*** 49, cum pius Testator haeredi fiduciario iniunxisset, ut aere alieno soluto, quod reliquum erat in totidem Missas ***m*** ipsius Testatoris animae suffragium impenderet, mota quaestione super fori competentia a Iudice laico, S. Congregatio respondit: ***Quoad executionem Testamenti Bernardi Soldini qui disposuit ad pias causas, causam spectare ad Curiam ecclesiasticam.***

Quod si res de qua agimus velit considerari tamquam coactio ad solvendum civile debitum, ea esse mixti fori videbatur, in qua nullum dubium locum dari praeventioni, ut saepe respondit S. C. et nominatim in ***Sorana*** 18 Febr. 1631 ***Lib. Decret, i*** 1 ***fol.*** 96 in quo legitur: ***scribatur Episcopo, in causis mixti fori esse locum praeventioni. Ideo tueatur iurisdictionem ecclesiasticam prout iuris fuerit.***

At vero in praesenti causa favore Iudicis ecclesiastici militabat consuetudo, qua privative eiusmodi causae piorum legatorum iudicatae semper fuerant ab episcopali Curia; eiusmodi autem consuetudines servandas esse S. C. censuit ut in ***Spoletana*** 15 Septem. 1637, ***Lib.*** 3 ***decret, fol.*** 43 ubi habetur: S. C. ***censuit servandam esse consuetudinem in favorem Episcopi circa cognitionem causarum eliam mere laicalium.***

Supererat insuper iudicandum, quatenus causa ab alterutro Iudice posse definiri decerneretur, an Episcopus praevenerit Iudicem laicum per decretum quod octo ante menses emiserat, quo facultas Sodalitati facta fuerat acceptandi legatum.

Proposita itaque sunt dirimenda

Dubia

I. « An causa de qua agitur spectet privative ad Curiam ec-
» clesiasticam, vel potius sit mixti fori in casu.

» Et quatenus ***negative*** ad primam partem, et affirmative ad
» secundam.

II. » Quis praevenerit in iudicio in casu de quo agitur.»

RESOLUTIO.—Causa discussa in comitiis habitis die 29 Maii 1838 S. C. respondit :

#

Ad I. ***in casu de quo agitur causam spedare ad Curiam ecclesiasticam.***

Ad II. ***provisum in primo.***

Ex ns COLLIGES:

I. Inter causas ecclesiasticas seu spirituales, quae ad forum ©cclesiasticum exclusive spectant; et causas mere temporales quae ad forum laicum pertinent, dari quasdam, quae medium obtinent locum, quaeque idcirco ***mixti fori*** dicuntur.

II. In causis mixti fori ille inter duos Iudices causam iudicandi ius habet qui alterum praevenit, idest primus causam pertractandam suscepit.

III. Inter causas mixti fori ex communiori Auctorum sententia recenseri legata pia, quae scilicet ad divinum cultum relinquuntur vel ad opera misericordiae.

IV. Exsecutionem legati pii quod ad divinum cultum pertinet ad Iudicem ecclesiasticum exclusive, aut saltem principaliter spectare (1).

V. Causam solutionis legati pii exclusive quoque ad Iudicem •jccleaiasticum pertinere, si id ferat loci consuetudo (2).

(1) Vid. Appendicem X.

(2) In hac materia de competentia utriusque potestatis, quae quibusdam in casibus tum theoretice tum practice difficilis admodum est, prae oculis haberi debent, quae opportune sapienterque docet Benedictus XIV. in opere ***De Synod, dioeces, lib. 9 cap. 9 per totum,*** in cuius capitis conclusione sequentia admonet: « Haec simul collecta et adno» tata Episcoporum oculis subiecimus, » ut priora tempora cum hodiernis con» ferentes, videant et doleant gravia vul» nera suae antiquae iurisdictioni ***(et » id''0 Ecclesiae iuribus ubi plus vel » minus insitis pro causarum natura)*** » inflicta : siquidem saeculares polesia» les, ait Guillelmus Durandus iunior, ***» quidquid ad ecclesiasticam iurisdi-ct clionem potissime quoad temporalia » pertinet, sibi competere putant.*** Huic » Iudicum saecularium consilio ab ini» tio obstiterunt Pontifices maximi, et » sanctissimi ecclesiarum Antistites: sed » cum illos a proposito dimovere nequi» verint, ad evitanda maiora mala, ino» lescentes in dies contra ecclesiasticam » iurisdictionem consuetudines dissimu» larum, et tolerarunt; quandoque Sum» mi Pontifices consultius duxere, id » ipsum privilegio Principibus concede» re, quod propria auctoritate iampridem » sibi usurpaverant. Iam vero cum de» sperandum iam sit ut potestas saecu » laiis intra constitutos sibi ab antiquo » limites contineri patiatur, imprudenter » ageret Episcopus, si in sua Synodo » aliquid decerneret, quo iurisdictionem » sibi olim iure communi attributam re» cuperare tentaret; rem siquidem i m-

EX S, CONGREGATIONE INDULGEMMO!!,

DE SODALITATIBUS FILIARUM MARIAE.

URBIS ET ORBIS.

Die **30** *Augusti* **1866.**

DECRETUM. « Quantum in Populo Christiano tum familiarum, tum salutis communis intersit Iuventutem sequioris sexus adeo instituere, et praecipue sanctissimae Religionis nostrae subsidiis a tenera adhuc aetate munire, ut pietatis operibus intenta succrescens, a recto, quem semel suscepit, tramite?, ***etiam cum senuerit non recedat,*** satis experientia et ratione compertum est. Inter caetera autem quae huic fini inservire dignoscantur, adnumeranda quidem pia illa sodalitia quae praesertim sub Reatissimae Mariae Virginis titulo canonice instituta et erecta, toties a Sede Apostolica non solum commendata, sed spiritualibus Indulgentiarum auxiliis ditata inveniuntur, et quae potissimum ***Filiarum Mariae*** nomine circumferuntur.

» Nuper vero cum in Basilica s. Agnetis extra moenia Urbis similis Pia Sodalitas fuerit canonice erecta sub titulo et patrocinio B. M. V. Intimae, et s. Agnetis V. et M. et per Litteras Apostolicas datas die 16 Ianuarii 1866, amplissimis Indulgentiarum muneribus locupletata, et per aliud Breve datum die 16 Februa-

» possibilem aggrederetur, et sine ulla * Ecclesiae utilitate graviter apud Prin- » cipem offenderet. Quare suo muneri «satis abunde facturum se credat, si • ad haec tria animum diligenter inten- » dat. Primo, ne Princeps saecularis sibi » unquam arroget ius Sacrorum ; hoc » est ne in ullo rerum eventu se immi- » sceat in causis primi generis. mere » scilicet spiritualibus et ecclesiasticis. » Secundo, ue Iudex laicus eam quoque » partem iurisdictionis invadat, quae » hactenus perseverat intacta; nisi enim » Episcopus eius vindicem statim se prae- » beat, hanc pariter pedetentim amittet... » Tertio denique, ubi aut privilegio aut » legitima consuetudine fori ecclesiastici » limites ultra iuris communis sanctio- » nes ampliati sunt, quod caeteroquin » perquam raro contingere scimus, cu- » rabit Episcopus, ne sua incuria, *aia* **» connivenlia contrahantur. »**

rii 1866 in primariam seu Archisodalitatem fuerit erecta (1), ita ut eidem ius competat aggregandi caeteras Sodalitates eiusdem nominis et instituti ubique locorum erectas, vel erigendas, eisdemque communicandi omnes et singulas Indulgentias prae-

(1) Literas Apostolicas, de quibus mentio fit, integras heic damus.

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

« Cum , sicut accepimus, in Basilica s. Agnetis Virg. et Mart. extra moenia Almae huius Urbis pia et devota mulierum Christifidelium Unio, quae filiae Mariae nominantur, sub titulo et patrocinio B. Mariae Virginis Immaculatae et s. Agnetis Virg. Mart. canonice, ut asseritur, erecta existat, cuius Consorores quamplurima pietatis et charitatis opera exercere consueverint, seu intendant; Nos, ut Unio huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus mulieribus Christifidelibus, quae dictam piam Unionem in posterum ingredientur, die primo earum ingressus si vere poenitentes, et confessae Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam; ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Unione Consororibus in articulo earum mortis, si vere quoque poenitentes, et confessae, ac s. Communione refectae, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contritae Nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus, corde devote invocaverint, etiam Plenariam; nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Unionis Consororibus etiam vere poenitentibus , et confessis, ac s. Communione refectis, quae praefatam Basilicam in Nativitatis et Ascensionis D. N. I. C, et Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis Beatae Mariae Virg. Imm. festivitatibus, item in celebritate omnium Sanctorum, in die festo s. Agnetis Virg., Mart. et in prima mensis Octobris Dominica a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iisdem Consororibus vero saltem corde contritis, quae dictam Basilicam iu reliquis omnibus B. Mariae Virg. Imm. festivitatibus visitaverint, ibique ut supra oraverint, septem annos totidemque quadragenas; pro quolibet opere bono, quod iuxta praefatae Piae Unionis Institutum peregerint, sexaginta dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Insuper dictis Consororibus, quae memoratam Basilicam singulis Quadragesimae et aliis infra annum diebus pro consequendis Indulgentiis Stationum nuncupatis , in Missali Romano descriptis, quolibet anno devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, ut eas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur, si quamlibet ex Ecclesiis Almae Urbis Nostrae pro dictis Stationibus designatis personaliter iisdem diebus ac, devote visitarent, dummodo quae pro iis indulgentiis pietatis opera iniuncta sunt, rite praestiterint, elargimur. Item

fatae Archisodalitati concessas* vel concedendas, servata tamen forma Constitutionis Clementis "VIII- incip. ***Quaecumque;*** nunc tandem Sanctissimus Dnus Noster Pius PP. IX. ad humillimas preces Moderatoris eiusdem Archisodalitatis, cum maxime puellarum bono expedire iudicaverit, plures etiam in eodem loco huiusmodi Sodalitates institui et erigi; in Audientia habita ab Eminentissimo Cardinali Praefecto die 30 Augusti currentis anni 1866. be-

lis ex dictis Co o sororibus , quae prae distantia locorum Basilicam s. Agnetis ad consequendas Indulgentias adire nequeunt, ut quamlibet Ecclesiam seu Oratorium publicum visitantes, omnes et singulas Indulgentias tam plenarias quam partiales huc usque memoratas consequi libere ac licite possint, tribuimus, et impertimur. Quoniam vero, ut Nobis relatum est, Consorores praefatae piae Unionis saepe per singulos menses sacris Congregationibus, ubi fiunt divina officia et multa christianae pietatis opera adsunt, vel adesse intendunt ; atque etiam ab iisdem in aliquot dies spiritualia Exercitia in eadem Basilica quotannis fieri soleant, Nos, quo opera tam boua ac salutaria maiori cum fructu fiant, omnibus Consororibus nunc, et pro tempore in dicta Unione existentibus, quae praedictis Congregationibus devote adfuerint, et vere poenitentes, et confessae in uno cuiuslibet mensis die earumdem Consororum arbitrio sibi eligendo sacra Communione se refecerint, et praedictam Basilicam visitaverint, ibique ut supra oraverint, quo die horum id absolverint, Plenariam ; item memoratis Consororibus, quae huiusmodi spiritualibus Exercitiis saltem ultra medietatem temporis, quo illa perduraverint, devote adfuerint, nec non vere poenitentes et confessae, et sacra Communione refectae memoratam Basilicam visitaverint, ibique ut supra oraverint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam animabus Christifidelium , quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. Insuper ut Missae, quas ad Altare huiusmodi piae Unionis situm in Basilica s. Agnetis quandocumque Sacerdos aliquis saecularis, vel cuiusvis Ordinis Congregationis, et Instituti regularis pro anima seu pro animabus quarumcumque Consororum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, celebrabit, pro qua, seu pro quibus celebratae fuerint, aeque suffragentur, ac si ad altare privilegiatum celebratae fuissent, Auctoritate nostra Apostolica concedimus. Tandem Dilectum filium Albertum Passeri Canonicum Regularem Lateranensem Ordinis s. Augustini Visitatorem et Parochum dictae Basilicae, nec non hodiernum piae Unionis Moderatorem specialibus favoribus prosequi, eiusque enixis precibus obsecundare volentes, ut is, et praedictae piae Unionis Moderator pro tempore existens Indulgentiis caeterisque spiritualibus gratiis frui possit, dummodo quae iniuncta sunt pietatis opera rite praestentur; utque pariter Moderator in eadem Unione nunc et pro tempore existens s. Numismata, quae Consorores veluti tesseram piae Unionis circa collum gestare solent, cum applicatione Plenariae Indulgentiae in mortis articulo consequendae in forma

nigne mandavit ut quoad praedictas sodalitates nulla distantiae? ratio habeatur, sed liceat Episcopis prout opportunum in Domina iudicaverint, plures in civitate, vel Dioecesi huiusmodi sodalitates instituere et erigere; quae sic institutae et erectae iam dictae Archi-sodalitati aggregari possint et valeant, et in indulgentiarum com-municationem admitti, ita ut in ipsis Ecclesiis ubi respectivae So-dalitates fuerint erectae, praeter functiones secundum statuta

Ecclesiae consueta benedicere possit et va-leat, eadem Auctoritate nostra Apostolica impertimus et elargimur. Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regu-la de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque Constitutionibus et Ordi-nationibus Apostolicis,caeterisque contra-riis quibuscumque. Praesentibus perpe-tuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut quaecumque alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura praedictae piae Unionis con-cessa fuerit, ea nulla et revocata sit, prout eam per praesentes revocamus, et nullam esse et fore declaramus. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo Pi-scatoris die xvi. Ianuarii MDCCCLXVI. **Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.»**

L.-f S.

N. Card. PABACCIANI **C**XARELLI.

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

«Sodalitia fidelium ad Christianae pie-tatis, Charitatisque opera exercenda in-stituta peculiaribus honoribus ac privi-legiis pro re ac tempore ex Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum more ditamus* Cum itaque dilectus filius Albertus Passeri Canonicus Regularis SSmi Salvatoris Lateranensis, et Paro-chus ad s. Agnetis Virg. et Mart. extra moenia Urbis Nobis referendum ***cura-verit,*** **piam quamdam Unionem titulo filiarum Mariae, et sub patrocinio Dei-parae Virginis ab originali labe Immunis, et s. Agnetis Virg. et Mart. in dicta Ba-silica canonice constitisse, suppiicesque preces adhibuerit, ut eam Primariae So-dalitatis honore et privilegiis augere de benignitate dignaremur Nostra, Nos qui memoria tenemus quam gravi periculo Sanctae Dei Matris,"et Divae Agnetis praesentissima ope liberati simus, votis huiusmodi, quae ad propagandum au-gendumque earum cultum intendunt,, obsecundare quantum cum Domino pos-sumus voluimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae Litterae favent, ab quibusvis excommu-nicationis et interdicti aliisque ecclesia-sticis censuris sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia, absolventes, et absolutos fore censentes, memoratam Sodalitatem in Parochiali Templo sanctae Agnetis extra Moenia canonice, ut asseritur, erectam titula filiarum B. Mariae Virg. Immaculatae, et sub patrocinio eiusdem Dei Genitricis et Agnetis Virg. et Mart. in Primariam Sodalitatem cum singulis quibusque ho-noribus, praerogativis, iuribus, et prae-eminentiissolitiset consuetis hisce Literis auctoritate Nostra Apostolica erigimus et constituimus. Itaque eiusdem Eccle-siae Parocho pro tempore existenti, quippe Sodalitatis Moderatori, ut alias quascum-que sodalitates ubique canonice erectas eiusdem nominis et instituti, servata ta-men Clementis VIII. Praedecessoris No-stri fel. rec. desuper edita Constitutione, huic Primariae Sodalitati aggregare, il-**

obiri solitas, etiam visitationes peragi possint quoties hae ad Indulgentiarum acquisitionem praescriptae inveniantur; servata in reliquis Constitutione Clementis "VIII., et caeteris de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque,

» Datum Romae ex Secretaria Sac. Congregationis Indulgentiarum die 30 Augusti 1866 (1).»

Fr. ANTONIUS M. Card. PANEBIANCO Praef.

Loco 3$(Signi

A. COLOMBO Secretarius.

Iisque omnes et singulas Indulgentias, privilegia, aliasque spirituales gratias etiam quoad Altare privilegiatum, quibus Primaria eadem Sodalitas ab hac S. Sede locupletata est, et alias communicabiles, perpetuo communicare Apostolica item Nostra Auctoritate vi praesentium concedimus, tribuimus et elargimur. Decernentes praesentes Nostras Literas firmas validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac suprascriptae sodalitati hoc futurisquc temporibus plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, irritumque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non eiusdem Sodalitatis etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xvi. Februarii MDCCCLXVI. Pontificatus Nostri Anno Vigesimo.»

L. f S.

N. Card. PARACCIANI CLARELLI.

(1) Sodalitates canonice erectae vel erigendae, quae velint huic Archisodalitati aggregari, suas literas cum literis testimonialibus proprii Ordinarii iuxta formam Constitut. Clementis VIII. *Quae-*cw»i9W<?,Romam mittant iisdemque inscribant *Parocho s. Agnetis extra moenia" Rectori Archisodalitatis filiarum Ala viae.*

DECLARATIO DECRETI DIEI 8 IANUARII 1861 CIRCA CONFRATERNITATUM AGGREGATIONES.

Die **19** *Octobris* **1866.**

DECRETUM. « Per Decretum huius Sac. Congregationis Indulgentiarum editum die 8 Ianuarii 1861 (1) confirmata et pristinae observantiae restituta Constitutione Clementis VIII. incip. ***Quaecumque*** data sub die 7 Decembris 1604 super institutionibus, vel aggregationibus confraternitatum, inter caeteras cautum fuit ut in formula aggregalionum, quae ***concordare deberet saltem in substantialibus cum illa praescripta a Clemente VIII*** _ huius eiusdem ***Constitutionis saltem praecipua capita insererentur cum variationibus a Sanctitate Sua approbatis.*** Nunc vero Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. enixe postulantibus nonnullis tum Superioribus Ordinum Regularium, tum Rectoribus Archiconfraternitatum, ut huiusmodi litterae aggregationum commodius exaratae respectivis Confraternitatibus expediantur, in Audientia habita ab Emo Cardinali Praefecto die 19 Octobris 1866 benigne indulsit, ut praefata capitum expositio in posterum etiam separatim a litteris aggregationum dari possit, ita tamen ut simul cum praefatis litteris adnexa omnino communicetur, et in eadem formula exprimatur. Servatis vero, et in suo robore permanentibus reliquis omnibus quae tam in laudata Constitutione Clementis VIII., quam in praefato Decreto praescribuntur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

» Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiarum die 19 Octobris 1866.))

Ant. M. Cardin. PANEBIANCO Praefect.

Phil. Can. ***Cossa*** Substitutus.

(i) Hoc Decretum habes pag. 57 huius voluminis.

EX S. CONGREGATIONE SS. HAM.

FOROSEMPRONIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

R. BENEDICTI AB URBINO

SACERDOTIS PROFESSI

ORDINIS MINORUM SANCTI FRANCISCI CAPUCCINORUM

SUPER DUBIO

An starile approbatione Virtutum et Miraculorum Tuto procedi possit ad eiusdem Ven. Servi Dei Beatificationem ?

DECRETUM. « Cum in agro caelestis Patrisfamilias excolendo 'Venerabilis Benedictus ab Urbino per plures, annos impigre adlaborasse!, in extrema vitae suae hora vocem invitantis Domini audire meruit ***Euge serve bone et fidelis. . . . .Veni et ego reficiam te:*** et tunc ipse uberrimae messis manipulis onustus in gaudium Domini sui intravit. Eum igitur divinae charitatis mansione receptum Deus Omnipotens mundo signis ac portentis mirabilem fecit ut homines videntes opera eius bona quae fecerat, coelestem Patrem glorificarent; et gloriam quam adeptus est admirantes, in rebus anxiis servi huius fidelis opem implorarent. Quae portenta cum Sacrorum Rituum Congregatio tribus in comitiis solertissimo perpendisset examine, Sanctissimus Dominus Noster Pius PAPA IX. quarto Nonas Octobris vertentis anni decrevit: ***« Constare de tribus Miraculis interveniente Venerabili Benedicto ab Urbino a Deo patratis;))*** atque adeo procedi posse ad ulteriora, quin opus sit ad alterius Miraculi discussionem devenire.

)> Actorum igitur serie iuxta Summorum Pontificum sanctiones hucusque producta, nil aliud gravissimi negocii huius reliquum erat, nisi ut iterum haberentur Sacrorum Rituum Con-

gregationis Generalia Comitia coram Santissimo Domino Nostro,, in quibus proponeretur Dubium. « ***An stante approbatione Virtutum, Miraculorum, Tuto procedi possit ad solemnem Venerabilis Benedicti ab Urbino Beatificationem?*** » Id quidem factum est quinto Kalendas Decembris anni eiusdem ad Pontificias Vaticanas aedes per Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, eidem Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum et Causae Relatorem, et omnes Consultores et Patres Cardinales unus post alterum affirmativum protulere Responsum. Verumtamen Beatissimus Pater perpendens quantae molis esset supremo suo Iudicio Causae finem imponere quin prius consilium sibi ab Altissimo compararet, ad illud expetendum omnes qui aderant verbis amantissimis hortatus est.

» Tandem recurrente Feria II. post Dominicam III. Adventus Sanctissimus Dominus Noster Sacro in Vaticano privato sacello oblato, supernaque virtute munitus hanc petiit Ecclesiam Immaculatae Conceptioni Deiparae dicatam, ubi aulam sacrae psalmodiae persolvendae constitutam ingressus, accivit Reverendissum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et R. P. Petrum Minetti Sanctae Fidei Promotorem, et me infrascriptum secretarium, iisdemque adstantibus edixit: ***Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Servi Dei Benedicti ab Urbino Beatificationem.***

» Eiusmodi vero Decretum in vulgus edi, in acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, Literasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemniis in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrandis expedire mandavit Decimo sexto Kalendas Ianuarias Anni MDCCCLXVI. »

Loco Signi

C. Episc. Portuen. et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

D. BARTOLINI **S. R. C. Secretarias.***

EX SECRETARIA BREVIUS!.

LITTERAE APOSTOLICAE.

***Die* 13 *Aprilis* 18G6.**

PIUS PP. IX.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. — « ***Ad augendam fidelium religionem, animarumque salutem caelestibus Ecclesiae Thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et Confessis, ac S. Communione refectis, qui Ecclesiam sub titulo s. Alphonsi Mariae de Ligorio Presbyterorum Saecularium Congregationis SSmi Redemptoris de Urbe, et Imaginem B. Mariae Virginis vulgo*** dei perpetuo Soccorso ***nuncup. in ea silam, die, quo idem de licentia Dilecti Filii Nostri in eadem Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis festum B. Mariae Virg. sub dicto titulo celebratur, a primis vesperis iisque ad occasum solis diei humodi singulis annis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac s. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Memoratis vero Christifidelibus saltem corde contritis, qui praefatam Ecclesiam et Imaginem in quolibet anni die ut supra visitaverint, et oraverint, tercentos dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta, relaxamus. Quas omnes et singulas Indulgentias, peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam Animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse indulgemus. In contrarium facien. non obstan, quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.***

» Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. Aprilis MDCCCLXVI. Pontificatus Nostri an. Vicesimo.))

Loco >J3 Signi

Card. PARACCIANI CLARELLI.

Haec pervetusta B. M. Virginis imago, quae vulgo ***Mater*** a ***Perpetuo Succursu*** nuncupatur, opus Byzantinum, fortasse saeculi XIII. ut artis periti autumant, primum ab insula Creta Romam per pium mercatorem saeculo XV. pereunte advecta, in templo s. Matthaei in Merulana, ipsa Deipara Vergine revelante, uti traditur, exposita, ibidem trecentis et amplius annis, usque ad annum quo templum illud dirutuin est, (quod quidem saeculo XIX. ineunte contigit) miraculorum fama, ut monumenta vetera testantur, insignis, summa populi romani atque advenarum pietate culta fuit. Tum ab Augustinianensibus Hibernis qui templum illud prope excolebant in templum s. Mariae in ***Posterula*** asportata, inde Pii IX. Pontificis Maximi iussu Exquilino colli restituta est, atque in templo s. Alphonsi Mariae de Ligorio Episcopi ab eius alumnis, scilicet a Patribus Congregationis SSmi Redemptoris, summa solemnique pompa, die 19 Ianuarii huius anni M.DCCC.LXVI. publico cultui, magna populi romani affluentia, ibidem in ara maxima exposita est: ut hisce temporibus, quibus speciali Dei Providentia e latebris, ubi iamdiu delitescebat, denuo prodiisse videtur, Romani Pontificis et totius Ecclesiae calamitatibus iuxta suum nomen benigne, potenter, citoque ***succurrat.***

Sanctissimus autem D. N. clementer deferens supplicibus votis Rmi Patris Nicolai Mauron Superioris Generalis Congregationis laudatae, sequentes preces (quae latine ex italico exemplari vertimus) indulgentiis auxit, ut patebit ex Rescripto quod inferius post sequentes orationes adiicimus.

PRECES

IN HONOREM

B. VIRGINIS MARIAE A PERPETUO SUCCURSU

QUAE IN S. ALPHONSI AD EXQUILIAS COLITUR.

I. O mater, cui nomen a *perpetuo Succursu,* en miser peccator ad Te confugiens, in Teque confidens, coram Te numi pronus adsistit. O Mater Misericordiae Te mei miserescat : Tu peccatorum spes et refugium ab omnibus vocaris; ergo et mihi refugium et spes esto. Pro tuo in Iesum Christum amore roganti fer opem, ei qui misere corruit dexteram protende qui tuum praesidium efflagitat, tibique se in servum perpetuo mancipat Deo gratias ago, eumque laudo, quod

huius in Te confideutiae donum pro sua bonitate mihi largitus sit, quod tanquam aeternae meae salutis arrham teneo. Pridem, heu me miserum, quia ad Te confugere omiserim, concidi : tuo posthac praesidio munitum victurum me apprime confido: nec dubito quin, si te invocavero, me adiutura sis. At vero timeo, ne occasione data peccandi id negligam, atque ita heu miser peream. Quod igitur a Te vehementer exopto, et ut mihi concedas pro viribus postulo, hoc est, ut in omni tentatione et cum maligno hoste certamine, ad Te protinus confugiam, neque clamare desinam : *Maria adiuva me: O Mater a Perpetuo Succursu, ne permittas ut Deum meum derelinquam.*

Quinquies *Ave Maria.*

f. Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.

tf. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui ad succurrendum humano generi Beatam Virginem Mariam Unigeniti Filii tui matrem esse voluisti; da nobis, quaesumus , ut, ea intercedente, diabolica vitare contagia et sincera tibi mente servire valeamus. Per eumdem Christum etc.

II. O Mater a *Perpetuo Succursu,* mihi, rogo, concede ut potentissimum tuum nomen iugiter invocem, quod et viventium praesidium est et morientium salus. O Maria purissima atque dulcissima, fac ut tuum nomen sit posthac vitae meae respiratio JNe tardes, Domina, quotiescumque te invocavero, mihi opem ferre: in omnibus enim tentationibus ac uecessitatibus quibus affligar, nunquam me Te invocando destiturum statuo, saepius repetendo: Maria, Maria. Quod solatium, quam suavitatem, fiduciamque, quem tenerum sensum meus experitur animus cum Te tantum vel nominat vel cogitati Deo gratias ago quod Tibi mei gratia tam dulce, tam potens, tamque amabile dederit nomen. Sed sola tui nominis invocatione haud contentus sum, amore Tui ardens Te invocare volo, atque expeto ut tui amore ad te iugiter compellandum exciter; *o Mater a Perpetuo Succursu.*

Quinquies *Ave Maria,* etc. ut post primam Orationem.

III. O Mater *a Perpetuo Succursu,.* eorum donorum, quae nobis miseris Deus largitur, tu dispensatrix es, atque ideo Te tam potentem, tam divitem, tamque benignam condidit ut nobis in miseriis nostris subvenias. Tu reorum advocata, qui prae caeteris miserrimi sunt ac maxime derelicti, quique ad Te confugiunt: ergo et mihi subveni qui confugio ad Te.

In tuis manibus salutem meam aeternam colloco, Tibi animam meam committo. Servis tuis maxime familiaribus me accense, ac tuendum suscipe, idque mihi satis est. Si enim mihi opem feres nihil mihi metuendum erit: non quidem a culpis meis, quia tu earum mihi veniam impetrabis : non a diabolo, quia universo inferorum agmine tu potentior es; non denique ab ipso meo Iudice Christo Iesu, quia is Te vel semel rogante placatur.

Unum equidem timeo, ne Te invocare per summam ignaviam ego negligam, atque ita miser peream. Peccatorum igitur meorum, Domina mea, veniam mihi impetra, et ad finem usque perseverantiam, ac demum inaestimabile donum ut Iesum Christum diligam , et ad Te iugiter confugiam, *Mater a Perpetuo Succursu.*

Quinquies *Ave Maria,* etc. ut supra post primam orationem.

RESCRIPTUM. « *Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. clementer deferens supplicibus votis Rmi Patris Nicolai Mauron Superioris Generalis Congregationis Sanctissimi Redempto-*

ris, a sub&cripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario relatis, supra adnotatas Orationes in honorem Beatae Mariae Virginis de perpetuo succursu nuncupatae Apostolica Auctoritate sua benigne approbavit, concessitque utriusque sexus Fidelibus corde saltem contritis eas devote recitantibus pro unaquaque ex iis partialem Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam, indulsitque etiam ut praefatae Indulgentiae applicari valeant in levamen Animarum Fidelium in Purgatorii igne degentium. In contrarium quibuscumque disponentibus minime obstantibus. Die IT Maii 1866.»

*C. F**. Port. et S. Ruf. Card.* PATRIZI
S. R. C. Praefectus

L. t S.

D. BartoliniS. R. C. Secr.

Praesens Decretum S. R. C. diet Maii 1866 *quo conceduntur Indulgentiae recitantibus adnexas preces in honorem B. M. V., exhibitum fuit in Secretaria S. C. Indulgentiarum eiusque Exemplar delatum ad formam Decreti eiusdem S. C. diei 14 Aprilis* 1856. *Praedictae vero preces recitari possunt quocumque idiomate, dummodo constet de fidelitate versionis ex Declaratione Sanctissimi D. N. Pii PP. IX. diei* 29 *Decemb.* 1864.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria S.Congregationis Indulgentiarum die 4 Iulii 1866.

L.fS.

Filii. Can. Cossa Substit.

APPENDIX X.

CIRCA OFFICIUM IUDICIS ECCLESIASTICI IN EXSECUTIONE PIARUM VOLUNTATUM SEU PIARUM DISPOSITIONUM.

Indole piorum legatorum in se inspecta, utraque potestas cum civilis, tum ecclesiastica, unaquaeque pro sua ratione, in piarum voluntatum implementum ius dicere potest, prout etiam communior Interpretum fert sententia.

Quod ipsi romani ethnici, iuris quidem consultissimi, innuerunt. Namque Ulpianus, in *Libro* 4 *Quaestionum*, loquens de bonae fidei possessore haereditatis, <jui defuncto testatori extruxerat monumentum conditionis testamentariae implendae gratia: ablata ei postea haereditate sibi retinere posse ait, vel eidem reddendos fore sumptus rei gestae, hanc generalem rationem reddens : « *quamvis enim stricto iure* » *nulla teneantur actione haeredes ad* » *monumentum faciendam*, *tamen* * principali, *vel* pontificali *auctori-* » *tate compelluntur ad obsequium su-* » *premae voluntatis.* » *I.* 50 *ff. de haereditatis petitione.*

Ius enim dicere potest hac in re civilis potestas, quia ad ipsam generatim spectat testamenta noscere, et defunctorum voluntates exsecutioni mandare. Ad potestatem pariter ecclesiasticam pertinet piarum voluntatum defensionem suscipere, ac haeredes in earumdem voluntatum obsequium compellere. In iis enim omnibus quae pietatem propius spectant vindex debet esse Episcopus.

Adiunctis autem inspectis quae concomitari solent legata pia. Iudex ecclesiasticus admodum vigilantior esse oportet. Namque nulla saepe persona adest, quae uti par est legatarium repraesentet, aut insistat pro piae voluntatis implemento; neque raro contingit ut, haeredibus officii sui parum sollicitis, defunctorum voluntas in causae piae detrimentum negligatur.

Quin imo saepissime dantur testamenta avi causas pias super quibus magna saltem ex parte iudex civilis silere debet, sive ob personas haeredum quae exemptae sint a laica iurisdictione (1), sive ob modum quo testamentum fuit confectum (2), sive ob ma-

(l) Nemo praesumat Clericum apud Iudicem saecularem pulsare. *Ex can. Clericum caus.* Ii *q.* i.

(2) In Testamentis ad causas pias consideratur solummodo ius naturale et di* vinum, legales autem solemnitates non aestimantur, prout Auctores tradunt, et S. Rota *recent, par.* 8 *dec.* 166 *n.* 5; *et part. i tom I. decis.* 321 *n.* 2, ubi sub-

teriam peculiarem de qua agitur (1).

Quare tum leges canonicae, tum civiles piarum voluntatum exsecutores constituerunt Episcopos, seu locorum Ordinarios.

Et quoniam non fit satis defunctorum voluntati quae perpetua sit si tantum prima vice exsecutioni mandetur, Tridentinum Concilium sacros canones commemoratis statuit : « *Episcopi eliam, tamquam, Sedis Apostolicae delegati, in casibus a iure concessis omnium piarum dispositionum tam, in ultima voluntate quam inter vivos sint exsecutores ; habeant ius visitandi hospitalia, collegia quaecumque ac confraternitates laicorum, etiam, quas scholas, sive quocumque alio nomine vocant, (non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt sine eorum licentia), eleemosynas montis pietatis sive charitatis, et pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsi praedictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita; ac omnia quae ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu paupere.% sustentandos instituta sunt, ipsi c.& officio suo iuxta sacrorum canonum statuta cognoscant et exsequantur, non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto.* » *Sess.* 22 *cap.* S.

Et quoniam S. Concilium mentionem facit de casibus a iure concessis, deque ss. canonum statutis,, praestat sequentes iuris sanctiones ad maiorem declarationem heic proponere. Clemens V. in Concilio Viennensi, prout legitur in *Clementin. de Religios. domib. cap.* 2, statuit: « *Quia contingit interdum quod xenodochiorum, leprosariarum, eleemosinariarum, seu hospitalium Rectores, locorum ipsorum cura postposita^ bona, res, et iura ipsorum, interdum ab occupatorum, ei usurpatorum ma-- nibus excutere negligunt: quin ima ea collabi et deperdi, domos et aedificia ruinis deformari permittunt, et non attento quod loca ipsa ad hoc fundata et fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes in/"ediquelepra reciperentur inibi, et ex proven-*

ga, quod non potuerunt saeculares Imperatores, neque si potuissent praesumuntur voluisse sub generali dispositione testamentorum includere pias causas; et gravis est ratio quae datur, scilicet quia motivum pii legati, seu dispositionis ad pias causas est amor Dei, sive animae Testatoris suffragium pro solvendis debitis, peccatorum , et ob huiusmodi altissimos pietatis fines dispositiones Gdelium nullasolemnitate legali obligantur. Satis est ut naturalis earumdem voluntatum probatio detur. Non enim ratio, et iura pati possunt, ut ob defectum alicuius legalis solemnitatis eiusmodi iustissimae voluntates frustrentur. Maxime cum fraudum periculum in piis testamentis longe absit.

(i) Puta, si quaestio oriatur an legatum sit dicendum pium, vel non. Si cappella ex. gr. sit dicenda legatum jpium vel beneficium ecclesiasticum. Si leges et conditiones appositae in pio legato sint rationabiles, ita ut ab ecclesia possint ac debeant acceptari. Et pleraque huiusmodi.

tibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter facere, proventus eosdem in usus suos damnabilHer convertentes, cum tamen ea quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant non ad alium, (salva quidem Sedis Apostolicae auctoritate) converti. Nos incuriam et abusum huiusmodi detestantes, hoc sacro concilio adprobante sancimus, ut hi ad quos id de iure, vel statuto in ipsorum fundatione locorum apposito, aut ex consuetudine praescripta legitime, vel privilegio Sedis Apostolicae pertinet, loca ipsa studeant in praedictis omnibus salubriter reformare, ac occupata, deperdita, et alienata indebite, in statum reduci debitum faciant, et ad ipsarum miserabilium personarum receptionem et sustentationem debitam iuxta facultates . et proventus locorum ipsorum, Rectores praedictos compellere non omittant. In quo si forte commiserint negligentiam, vel defectum, Ordinariis locorum iniungimus, ut etiamsi pia loca praedicta exemptionis privilegio munita consistant, per seipsos $ vel alios impleant omnia praemissa et singula, et Rectores eosdem utique non exemptos propria, exemptos vero et alios privilegialos Apostolica ad id auctoritate compellant. Contradictores, cuiuscumque status aut conditionis existant, ac praebentes eisdem circa praemissa consilium auxilium vel favorem, per censuram ecclesiasticam et aliis iuris remediiscompescendo,nullumtamenper hoc exemptionibus seu privilegiis ipsis quoad alia praeiudicium generando. »

Haec autem Constitutio concilii Viennensis, nominatim innovata est in Concilio Trid. *cap.* **15** *sess.* **7 in quo legitur: «** *Curent Ordinarii, ut hospitalia quaecumque a suis Administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter et diligenter gubernentur, Constitutionis concilii Viennensis quae incipit:* **Quia contingit,** *forma servata. Quam quidem Constitutionem eadem Sancta Synodus innovandam duxit, et innovat cum derogationibus in ea contentis.»* **Cui affine est,** *caput* **8,** *sess.* **25** *de Reform.*

Et in Decretalibus Gregorii IX. habemus prae caeteris has quae sequuntur iuris canonici sanctiones.

In *cap.* **3** *de Relig, domibus,* **statuitur: «** *Xenodochiis, et aliis similibus locis, per solicitudinem Episcoporum, in quorum dioecesi existunt ad easdem utilitates, quibus constituta sunt, ordinentur.*

hi cap. **3** *de Testamentis,* **legitur:** *« Pervenit ad nos S., de hac luce migrasse et supremae voluntatis elogio monasterium praecepisse fundari: cuius desiderium a T., religiosa foemina eius haerede protrahitur. Quam - obrem te hortamur ut eam commoneas quatenus intra annum monasterium quod iussum est debeat ordinare, et cuncta secundum voluntatem defuncti sine alienatione construere. Quod si intra praedictum tempus, sive in loco, quo constitutum fuerat, seu si ibi non potest et alibi placet ordinari, tecum implere neglexerit: tunc per te aedificetur, et omnia per te loco-*

ipsi sine diminutione qualibet assignentur. Sic enim secundum piissimas Leges delatas defunctorum pias voluntates episcopali decens est studio adimpleri. »

Item in *cap.* 6 *de Testam,* refertur canonica sanctio concilii Moguntini, qua statuitur : « *Si haeredes iussa Testatoris non adimpleverint, ab Episcopo loci illius omnis res quae eis relicta -est, canonice interdicatur cum fructibus et caeteris emolumentis, ut vola defuncti adimpleantur.**

Ine. 17 *eod. tit. de Testam,* (quod caput celebre est et passim allegatur) Gregorius IX. haec scripsit Episcopo JXemon. * *Tua nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli tam Religiosi, quam Clerici saeculares et Laici, pecuniam, et alia bona, quae per manus eorum ex testamentis decedentium debent in usus pios expendi, non dubitant aliis usibus applicare. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet eliam* ta *Testatoribus id contingeret interdici; mandamus quatenus exsecutores testamentorum huiusmodi, ut bona ipsa fideliter et plenarie in usus praedictos expendant, monitione praemissa compellam.*

Item in *cap.* 9 *eiusdem tituli,* iiabetur: « *Ioannes clericus, et P. laicus exsecutores ultimae voluntatis O. clerici s. Crucis qui venerabilibus et piis locis de bonis suis in ultima voluntate legdvit, mandans insuper satisfieri creditoribus per eosdem: post mandatum susceptum per dioecesanum cogi debent Testatoris explere ultimam voluntatem.»*

Et iuxta veteres canones, illi qui non solvunt legata pia pro defunctis, vel tardantes solvere, uti infideles erant reiiciendi ab Ecclesia, *Concil. Vasens.* 2 c. 4. Excommunicati erant velut necatores pauperum quousque redderent, *Caus.* 23 *q. 1 c. Clerici, vel saeculares.* Item *Conc. paris.* 3 *c.* I.

Sed praeter canonicas sanctiones habentur piissimae Imperatorum Christianorum leges, quae veteres Ecclesiae canones imitatae sunt, Ecclesiae concedentes, quae proprio iure ad ipsam spectant. Satis est referre in re nostra partem capitis 11 *Novellae* 131.

Imperator Iustinianus in hac celebri *Novella* , sacros canones tamquam Imperii leges observari mandans, de legatis piis inter alia saluberrima, haec statuit: « *In omnibus enim eiusmodi piis voluntatibus, sanctissimos locorum Episcopos* (hac veneratione de Episcopis Christiani Imperatores loquebantur) *providere volumus, ut omnia secundum voluntatem defuncti procedant, licet vel maxime a testatoribus, vel donatoribus illis prohibitum sit ne quam ad haec communionem habeant. Si vero illi qui haec facere iussi sunt, semel aut bis a beatissimo locorum Episcopo eiusque oeconomis per publicas personas admoniti dispositionem implere differant, iubemus, eos omne lucrum amittere ab illo qui haec iussit iis*

relictum : sanctissimos vero locorum Episcopos universas res, quae omnibus piis causis, ut dictum est, assignatae sunt, cum fructibus et accessionibus medii temporis ei memorato lucro vindicare, quaeque testator disposuit implere; scientes quod si negligentes fuerint, de his omnibus Deo rationem reddituri sint. Si tamen sanctissimus locorum Episcopus aliquid eorum quae a nobis dicta suni, intermiserit, liceat etiam sanctissimo illius Metropolitano ea exigere et implere. Cuicumque vero etiam alii licentia sit quaestionem illam movendi, atque operam dandi, ut omnibus modis piae tales causae impleantur.»

Itaque ad effectum iugiter exsecutioni mandandi omnes pias fidelium dispositiones ex. Tridentino Concilio, Episcopo ius est visitandi hospitalia , collegia quaecumque, ac confraternitates laicorum , etiam quas scholas sive quocumque nomine vocant, eleemosynas montis pietatis, et charitatis, et generatim pia loca omnia quae in propria dioecesi sunt quomodocumque nuncupentur , exceptis iis dumtaxat quae sunt sub *immediata* Regum protectione. Eiusmodi autem ius pia loca visitandi, quod Tridentinum Episcopis expresse tribuit ad effectum de quo diximus iam ex iure iisdem competebat, ut eruitur ex *cap. de Xenodochiis* 3 *de Relig, domib.,* quae dispositio insuper fuit ampliata in concilio Viennensi iuxta *Clem. de Relig, domib. c. 2 Quia contingit,* in qua iniunctum fuit Ordinariis locorum, ut, etiamsi loca praedicta exemptionis privilegio munita consisterent eorum Rectores non exemptos propria auctoritate; exemptos vero et alios privilegiatos Apostolica auctoritate ad piarum dispositionum implementum compellerent. Concilium autem Tridentinum eiusmodi iura uberius declaravit. Quare Fagnanus in *citat. cap.* 3 *de Relig, domib. num.* 7, scripsit: « Conclude » igitur haec omnia esse sub manu » Episcopi, et ad illius dispositio- » nem pertinere: non quidem ut ad » Episcopum spectet dominium red- » dituum.... sed ut illorum reddi- » tus curet expendendos in usus ad » quos sunt deputati. »

Quamvis autem Fagnanus *loc. cit. n.* 10 *et seqq.* distinguat *loca pia religiosa seu ecclesiastica,* quae scilicet fundata sint Episcopi auctoritate iuxta *cap.* 4 *de Religios. domibus* (1), ab aliis locis, quae pia

(1) Vario nomine appellantur in iure loca ad divinum cultum destinata, et pro eorumdem natura diversis subiiciuntur legibus, aut fruuntur privilegiis. Loca *.sacra* ea dicuntur quae speciali ritu et benedictione publico Dei cultui perpetuo dicantur, vel fidelium cineribus condendis sacrantur. Caetera loca, quae non sacra sed pia dicuntur, alia sunt *religiosa seu ecclesiastica,* et ea sunt quae auctoritate Ecclesiae eriguntur, ex. gr. xenodochia, nosocomia, seminaria, coenobia, sodalitia: similia autem loca quae a laicis fundantur non interveniente Ecclesiae auctoritate, dicuntur loca simpliciter *pia* aut *pia laicalia* aut etiam *privata.* Eiusmodi pia loca laicalia non gaudent immunitate ecclesiastica, neque bona eorumdem, ecclesiastica

dumtaxat dicuntur ob finem quem sibi praestituunt Fundatores qui ea erigunt causa pietatis, quin interveniat auctoritas episcopalis in erectione; atque affirmet, de iure communi eiusmodi hospitalia ac loca pia non religiosa visitationi, ac iurisdictioni Episcopi non subesse , uti non suberant, ante Tridentinum Concilium: attamen cum agitur de exsecutioni mandanda Fundatorum dispositione , ea distinctio cessat. Quare in *cap. Ad haec.* 4 *de Relig, domib. n.* 55 *et seqq.* idem Auctor scripsit: « Fallit nunc haec secunda » conclusio pluribus modis. Et pri» mo fallit mortuo Patrono hospi» talis, quia licet locus non sit re» ligiosus, tamen cum fuerit causa » pietatis institutus, dicitur locus » pius, et ideo spectat ad solicitu» dinem Episcopi, ut pia fundato» ris voluntas exsecutioni deman» detur.... Fallit secundo si Episco» pus intendat visitare hospitale ad » hoc ut videat an impleatur mens » Testatoris, *cap. Tua nobis 4e Teli slamentis* , Federicus de Sen. » *cons.* 11 *num.* 3, ubi dicit - *si » dubium sit, an in constructione ho» spitalis intervenerit auctoritas Épi» scopi, necne, praesumi intervenisse y> si habeat signa loci ecclesiastici. Et » nihilominus etiamsi certum esset eam » non intervenisse, tamen cum ibi de» gentes sint personae miserabiles, cen» sentur esse sub protectione Ecclesiae, » ut* in cap. 1 de Eccles, aedific, » et ibi per Gloss, et Innoc, qui » dicit: collegium leprosorum vi» deri religiosum. *Unde ad solici» tudinem Episcopi pertinet videre, » inquirere, visitare ne bona illius, » deputata ad usum miserabilium con» summentur; maxime cum bonaprae» sumantur provenisse ex largitionis « bus et eleemosynis fidelium.* Haec » Feder. quem multoties *(prosequi» tur Fagnanus)* sequuta est Sacra » Congregatio Concilii. Et in spe» eie: Testator quidam Tervilii ius» sit, ut ex suis bonis hospitale eri» gerctur, in quo exerceretur Pau» perum hospitalitas a duobus ho« minibus ab Universitate Tervilii » huic administrationi praefiniendis. » Hospitali ita erecto absque ullo » Episcopi interventu vere vel prae-

censeri solent; ideoque neque subiecta rigore iuris Extravaganti: *Jmbitiosae,* Pauli II. anni 1468 prout fert communior Auctorum sententia; S. Rota *in recen.* p. 2 *dec.* 248 *n.* 18 *et seqq. et decis. Sii part.* 10 §. *siquidem* 9. De Luca de *Alien, disc,* i *n.* lo in quo dicit; «aliud est locum esse pium *(simpliciter),* aliud vero esse ec» clesiasticum, ideoque stant bene simul esse pium, atque pietatis opera exercere, » nec non visitationi, correctioni, et iurisdictioni Ordinarii vel alterius ecclesiastici » Superioris in aliquibus subiacere ; et tamen non esse locum ecclesiasticum ad «istum praesertim effectum, ut eius bona sub hac prohibitione non cadant.»

in *Bononien.* diei 2 Martii i83U, plenissima facta fuerat disponendi facultas Administratoribus loci pii a Testatore qui eumdem pium locum pingui haereditate fundaverat; proposito deinde dubio: « an iidem Administratores alienare possint » bona eiusdem haereditatis absque Apostolico Beneplacito in casu.» Sacra Congregatio C. respondit: *affirmative attento testamento.*

« sumptive, Administratores sunt » ab Universitate quotannis constituti, qui transacto administractionis tempore, aliis electis Administratoribus futuri anni, rationem » reddunt administrationis , nunquam adhibito Ordinario, qui * nec etiam hospitale ipsum visitavit. Cardinalis *Borromaeus* illud » visitare praetendens transmisit monitorium deputatis Administratoribus, ac recusantes et appellantes excommunicavit, et hospitalis » scripturas sequestravit. His omnibus in Sacra Congregatione deductis et propositis responsum » est : *hospitale hoc esse privatum ; » posse tamen ex Decreto Concilii* » sess. 22 *illud visitare, corrigere, » et reformare in iis tantum, quae » ad observandam voluntatem Funda- » (oris pertinent.* » Cui consonant aliae Resolutiones, inter quas ea , quam secundo loco refert Pignatellius *t.* 7 *consult.* 15 ». 6, quaeque ex mandato Sixti V. anno 1588 missa est ad Nuncium Neapolitanum, nempe S. Congregatio censuit: *Episcopum posse visitare omnia hospitalia, et pia loca quomodocumque nuncupentur etiamsi sint privata laicorum, et corrigere, et reformare in casibus a iure concessis, nempe ob negligentiam, vel dilapidationem bonorum, utque voluntas testatoris servetur iuxta d. cap.* 8.

Itaque si agatur de visitandis locis piis ad effectum corrigendi reformandi ob negligentiam vel dilapidationem honorum, ut voluntas Fundatorum servetur, penitus evanescit distinctio a Fagnano adducta inter pia loca ecclesiastica et laicalia. Quin imo saepenumero dantur piae fundationes laicales, in quibus licet bona iuxta Fundatorum mentem impendantur; nihilominus, sive ob opera quae exercentur, sive ob fundationum indolem (puta, si de scholis, aut conservatoriis mulierum agatur etc.) 'possunt ac debent subiici Ordinariorum visitationi, quemadmodum observat Cardinalis De Luca, *I.* 3 *de Iurisd. et Foro compet, disc.* 40 n. 14, in quo iuxta sensum *Capitis* 8 *sess.* 22 et interpretationem S. C. C, inquit: « ut » data etiam qualitate laicali adhuc » Ordinario competat ius visitandi » seu revidendi quaecumque opera » pietatis , seu loca in quibus ea » exerceantur, ne sub specie cha- » ritatis et pietatis, conventicula , » aliaque mala exerceantur ; quod » provenit etiam ex dispositione, » vel intentione iuris communis. » Item in *disc.* 45 *loc. cit.*

Nec huic alteri titulo visitandi loca pia opponitur exceptio quae indicata est a Fagnano, quatenus scilicet Ordinarius visitare non possit loca pia laicalia vivente Institulore. Quo casu licet Ordinarius visitare non possit eadem pia Instituta tamquam Executor piarum dispositionum, cum ipsemet Fundator vivat, qui sua bona in pia opera impendet; nihilominus eadem pia loca visitare potest, ne conventicula habeantur, aliaque mala patrentur sicut ipse

De Luca observat *loc cit. Disc,* 40 *n.* 14.

At vero quaeri potest quid iuris si eiusmodi loca et Instituta pia laicalia in fundationis limine expresse subducta fuerint ab Episcopi iurisdictione; poteritne Ordinarius eadem visitare, ut videat an Fundatorum voluntas exsecutioni mandetur? Ratio dubitandi ex eodem *capite* 8 *sess.* 22 petitur. Nam etsi Episcopus in eo capite tamquam Apostolicae Sedis delegatus constituatur Exsecutor omnium piarum dispositionum *non obstante quacumque consuetudine etiam immemorabili, privilegio aut statuto;* id tamen eidem tribuitur *iuxta ss. canonum statuta.* Notum porro est sacros canones facultatem piis Fundatoribus facere leges statuendi in limine fundationum, quae iuri communi etiam contrariae esse possunt: neque dubium est eosdem Fundatores posse eximere in lege fundationis pia Instituta ab Ordinariorum iurisdictione.

Ad ampliorem rei declarationem duplex distinguenda est piorum locorum exemptio; alia enim est quae ex privilegio S. Sedis sit iisdem locis concessa ; alia autem quae ex voluntate Fundatorum iii limine fundationis sit apposita. Prima non est aliud nisi privilegium; altera vero est lex, quae rationem habet conventionis, et contractus. Si de prima exemptione ex simplici privilegio orta agatur, dubitari non potest in facultate esse Episcopi eadem loca exempta visitandi, quandoquidem ad effectum exsecutioni mandandi pias dispositiones, Episcopus eadem visitat, aut jure proprio, *sublato privilegio,* aut iure delegato (1). At si de altera exem-

it) Absoluto Tridentino Concilio inter controversias statim exortas super visitationibus locorum piorum ab episcopali iurisdictione exemptorum , celebris repelitur quaedam causa *Papien.* Nicolaus V. anno 1449, magnum hospitale, quod nonnulli cives Papienses erexerunt, insignibus privilegiis auxerat, illudque subduxerit a visitatione Ordinarii et iurisdictione^ ac sub protectione Apostolicae Sedis receperat. Post Concilium Tridentinum ob laudatum Decretum Episcopus illud visitare tamquam S. Sedis delegatus contendit; re ad S. Congregationem relata , favore Episcopi Resolutio capta est anno 1575, eamque refert Fagnanus in *cap. de Xenod. de Relig. dom. n.* 5. Sed iterum controversia exorta anno 1651, impugnabatur veritas, dictae Resolutionis ob rationem quam narrat Cardinalis De Luca *de Iurisdict, et for. am. disc.* 41 *n.* 1. Sacra autem Congregatio die 26 Aprilis 16;>3 mandavit, onnibus suspensis, proponi ex integro dubium: et die 16 Maii 10Ò4 prodiit Resolutio favore Episcopi. At quaestio non cessavit; sed vehementius exarsit , et pluries proposita causa demum mense Iulii 1666 mandatum fuit, ut stricte infortnaretur, uti ait Cardinalis De Luca *loc. cit., super fundatione et dotatione.* Quamvis autem exitum huius controversiae ignoremus, tamen idei» De Luca defensionem ex parte Episcopi suscipiens, quaestionem ad hos terminos reduxit: an exemptio concessa rationem haberet conventionis et contractus ex lege rundationis, vel esset simplex privilegium. Ad quos terminos reduxisse etiam videtur S. Congregatio, quae rigorosam informationem quaesivit *super fundatione, et dotatione.*

pilone agatur, cum huic exemptioni non facile soleat derogari (non enim tolleretur quod S. Sedes tribuit , sed iuri tertii praeiudicium quodammodo afferretur); neque fuerit hoc in capite derogatum ut magis patet ex *capite* 9 *eiusdem sess.*, non videtur Ordinarius visitare posse pia loca hac altera exemptione donata.

Quae quidera conclusio confirmatur pluribus Resolutionibus quas affert Pignatellius *t.* 7 *consult.* 15, quae sunt eiusmodi tenoris:

In *Licien.* die 11 Martii 1604 *« S. Congr. etc. auditis partibus censuit huiusmodi hospitale ex privilegio Sedis Apostolicae* in limine fundationis *exemptum ab Ordinarii iurisdictione nequaquam posse a dioecesano Episcopo visitari. »*

In eadem *Licien.* die 12 Augusti eiusdem anni « *S. Congr. censuit privilegium* in limine fundationis *hospitali concessum ut ab Ordinario visitari non possit, nequaquam esse derogatum per cap.* 8 *sess. de Reform.*

In *Abuten.* die 6 Aprilis 1608, *« S. Congr. inhaerens decisioni a se alias editae, quod Concilium Decreto cap.* 8 *sess.* 22 *tribuit Episcopis facultatem visitandi hospitale, et alia loca pia non sustulit* fundationes excludentes, *Episcopum a iurisdictione visitandi.* »

Quamvis autem Pignatellius in ea Consultatione videatur simul confundere utramque exemptionem ; tamen eiusmodi Resolutiones satis clare de ea exemptione agunt, quae tamquam lex posita sit in fundationum lumine.

Sed forsan dices: quomodo erg» cum Fagnano asseruisti omnia pia loca esse sub manu Episcopi in eo quod spectat ad exsecutionem voluntatis Fundatorum ; quandoquidem non raro contingat, ut pii Fundatores suis piis Institutis alia ratione prospiciant, eaque subducant ab Ordinariorum iurisdictione ? Huic interrogationi non est difficilis responsio. Aut quaeris de visitatione facienda in iis piis locis, ita ut eius occasione cura tibi etiam sit observandi an pia Fundatorum voluntas exsecutioni mandetur: aut quaeris de voluntate Fundatorum exsecutioni mandanda ad quam necessaria sit visitatio. Si de primo cast quaeras tibi non licebit visitationem instituere, stante lege fundationis , quae visitationem Ordinarii excludit; si de altero quaeras, non obstante lege fundationis potes, dummodo tamquam visitandi titulus prostet argumentum violatae legis Fundatorum: quod est ccsus a iure concessus.

Et sane ex iuris capitibus superius adductis satis constat quanta sohcitudine ss. canones Ordinariis locorum commendaverint ut Fundatorum voluntates exsecutioni demandentur. Et ad rem nostram maxime facit *cap. Tua nobis de Testam.* in quo generale principium traditur: *cum in omnibus piis voluntatibus sit per locorum Episcopos providendum, u', secundum Defuncti voluntatem ani-*

versa procedant, licet etiam a Testatoribus id contineret interdici. » Cui consonat civilis dispositio supra allegata in *Novella* 131.

Quare, Fagliano enarrante in *hoc -Cap. n.* 15: « Catharina de Mendoza » Hispalensis in sua ultima volun- » tate disposuit ex bonis suis instrui *> quasdam cappellanias perpetuas » pro aliquibus presbyteris, et re- « liquit quasdam dotes pro aliqui- » bus puellis nupjui tradendis, et » certos administratores elegit, qui- » bus curam omnimodam dictarum » cappellaniarum, dotiumque com- » misit, expresse prohibens ne Or- » dinarius, aut Superior aliquis in » dictis operibus piis se intromitte- » ret, etiam ex causa visitationis, » aut alia quacumque. Et cum du- » bitatum fuisset, an dictae dispo- » sitioni obstaret Concilium Trideu- » tinum *cap. S et d sess.* 22. Sacra » Congregatio censuit, *si hae dispo- » sitiones Testalricis cum huiusmodi » conditionibus in fundatione apposi- » Us fuerunt adprobalae a Sede Apo- » stolica, non esse sublatas* a Decreto » Conc. *sess.* 22 *cap.* 8, *et ideo Or- <• dinarium loci nullo modo posse se » immiscere administrationi, visita- ri tioni, correclionive dictarum cap- » pellaniarum., nisi in casu negli- » genliae Administratorum ab ipsa » Testatrice deputatorum iuxta dìspo- » sitionem* cap. Tua nobis de Te- » sta m en t is. »

Neque tibi difficultatem faciant adversus ea quae supra dixi, verba *si fuerint adprobalae a Sede Apostolicat* namque S. Congregationis verba solent referri dumtaxat ad casum eidem propositum. Et in praesenti casu forsan dispositioni Testatricis Apostolica adprobatio accesserat ; et ideo ea verba sunt adiecta, manente tamen iliaesa quaestione talis dispositionis a S. Sede non adprobatae. Quin imo ex hac Resolutione fortius habes argumentum: nam si Ordinarius potest sese immiscere administrationi, visitationi vel correctioni in casu negligentiae Administratorum, quamvis dispositio Testatricis Ordinarium excludens sita S. Sede adprobata: multo magis id poterit Ordinarius in eodem negligentiae casu alterius similis dispositionis, quae adprobata non sit ab Apostolica Sede.

« Et rursus *(prosequitur Fagna- » nus num.* 16) cum quaesitum esto set, an Episcopus in fundatione » exclusus a visitatione sit cautum » ne se administrationi, visitationi, » aut correctioni immisceat, possit » se immiscere in casu negligen- » tiae Administratorum: S. Congre- » gatio censuit *posse* iuxta cap. Tua » nobis de Testam. »

Et ratio harum Resolutionum petitur ab ipso *cap.* 8 *session.* 22 Concilii, in quo Episcopi declarantur Exsecutores omnium piarum voluntatum *in casibus a iure concessis:* concessum autem id est a iure in *cit. cap. Tua nobis,* in quo Pontifex mandat ut exsecutores testamentorum huiusmodi, *ut bona ipsa fideliter pJ. plenarie in usus prae-*

dictos expendant, monitione praemissa <:ornpeIlantur.

Neque dicas hoc pacto violari ab Ecclesia pias Fundatorum voluntates , quae sancte ac fideliter servandae sunt. Nam licet Fundatores pro lubito disponere de suis bonis, eaque, dum vivunt, in mare etiam proiicere possint: tamen piis legatis relictis, aut piis locis institutis, exclusio ecclesiasticae potestatis non potest praesumi facta ne exsecutioni mandetur eorum institutrix voluntas. Quod si hoc aliquo modo in fundatione exprimeretur, eiusmodi lex aut conditio, enumeranda esset inter conditiones turpes et impossibiles; quibus positis subintrant leges quae de legatis et quibusvis testamentis sunt rationabiliter in iure statutae, quae scilicet eiusmodi conditiones turpes et impossibiles tamquam non adiectas, aut animo iocandi appositas aestimant et habent.

Haec quae diximus respiciunt caput 8 sess. 22 Concilii Tridentini, quo facultas Ordinariorum declarata est cognoscendi et exsequendi omnia quae ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt: huic capiti subsequitur alterum qu^d ad eamdem materiam refertur ac peculiariter statuit: *Administratores tam ecclesiastici, •quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynae montis pietatis et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario; consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis, nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine aut privilegio aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc eam iis adhibeatur eliam Ordinarius, et aliter factae liberationes dictis Administratoribus minime suffragentur.*

Inter veteres Declarationes huius Decreti, sequentes indicantur a Fagnano *in cap. Ad haec* 4 *de Relig. dom. n.* 57 « Cardinalis s. Pra- » xedis petiit declarari, an per *cap.* » *sess.* 22 *Conc. Trident,* liceat Or- » dinariis exigere rationem ab Ad- » ministratoribus piorum locorum » mere laicorum et privatorum; et » licet ex mente dicti Decreti quod » absolute et sine ulla distinctione » loquitur, pro Ordinariis crederet » respondendum ; tamen cautius » agendo declarationem S. Congre- » gationis expectare voluit. Sacra » Congreg, censuit: *cap.* 9 *sess.* 22 » *intelligi etiam in casibus a iure non* » *expressis.* Et alias generaliter de- » claravit dictum *cap.* 9 habere lo- » cum etiam extra visitationem, et » in casibus a iure non expressis, et » licere Episcopis exigere rationem » ab Administratoribus de omnibus » locis piis etiam locorum mere » laicorum, et privatorum vel pu- » blicorum generaliter, sive eccle- » siastica sint, sive profana sine ulla » distinctione. »

Plures veteres Resolutiones refert Pignatellius *tom. 7. Consul.* 15 ». 29 *et seqq. In Mediolanen,* die 9 Augusti 1569: *Ab Ordinariis potest ordinari, quod Administratores singulis annis rationem reddere teneantur. Item Administratores locorum piorum privatorum, qui secundum iuris communis dispositionem visitari non possunt, ad redditionem rationis per Ordinarium iuxta terminos dicti cap.* 9 *quod loquitur absolute, et absolute debet intelligi cogi possunt nulla habita ratione iuris communis.*

Sed quoniam de re agitur quae vix iuris controversias admittit, omissis veteribus Resolutionibus, unam Recentiorem adducam, quae casum respicit in ipso capite 9, exceptum.

Ditissimum quod Rononiae extat pium opus a laicis Curatoribus perpetuo moderatum, nec ulla ecclesiastica auctoritate erectum cui praecipua cura est pauperibus verecundis opem suppeditare haereditate sua instituit pius Testator Franciscus Pisarri. Cautum autem expresse (quod est casus exceptus in allegato *cap.* 9) voluit ut Curatores Deputati nulli reddere deberent Administrationis rationem. Quin imo si quaevis Auctoritas sive saecularis sive ecclesiastica in haereditatis administratione sese ingereret sive directe sive indirecte, eo ipso instituit haeredes ipsos deputatos Administratores.

Archiepiscopus dubius haerens,, an hac lege posita sibi ius inesset quod in *cap.* 9 *sess.* 22 Episcopi* tribuitur; S. Congregationi Concilii proposuit dirimendum dubium: « An » et quomodo Administratores pii » operis *Verecundorum* teneantur ra- » tionem reddere haereditatis Pisar- » ri, Bononiensi Archiepiscopo in » casu.» Quibus S. Congregatio die 2 Martii 1839 respondere censuit: *negative, salvo iure Emi A rchiepiscopi in casu negligentiae Administratorum in adimplenda Testatoris voluntate.*

Quare in casu negligentiae nulla lex est, quae Ordinariis impediat quominus sese ingerant in piis Fundatorum voluntatibus implendis. Si plures quaeras Resolutiones circa hoc Tridentini Concilii caput 9 vid. Ferraris*Bibliolh. m. V. Administratio.* Item si Resolutiones recentiores quaeras circa caput 8, vid. Lucidi in saepe laudato opere *de VV. SS. LL* p. /. v. II. pag.* 479 *et seqq.*

APPENDIX XI.

CIRCA. PRAXIM S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE SUPER IMPEDIMENTO PUBLICAE HONESTATIS.

Prosequentes ea quae de exprimenda impedimentorum provenientia attigimus in Appendice V. et VII., nonnulla dicemus circa publicae honestatis impedimentum.

Cuique notum est huiusmodi impedimentum oriri tum ex sponsalibus validis, (1) tum ex matrimonio rato non consummato etiam invalido, dummodo invalidum non sit ex defectu consensus. Et quidem huiusmodi honestatis impedimentum, si oriatur ex sponsalibus primum gradum non excedit, si vero •ex matrimonio rato non consummato, etiam invalido, usque ad quartum gradum inclusive matrimonium -dirimit. Haec autem certa sunt.

Verum non defuerunt qui existimaverint impedimentum non oriri ex sponsalibus privatis, seu occultis. Ad hanc opinionem reiiciendam, omissis caeteris argumentis, quae inveniuntur apud Auctores, nos id conficimus ex sensu ac praxi S. Poenitentiariae. Scimus enim S. Poenitentiariam quando agitur de aliqua supplicatione super occulto impedimento publicae honestatis ex sponsalibus, solere dispensationem committere Confessario pro foro conscientiae tantum, cum clausula dummodo praefatum impedimentum occultum remaneat.

Quae quidem dispensatio locum non haberet si ex sponsalibus occultis impedimentum non oriretur. Et magis magisque confirmatur ex Rescripto, quod eadem S. Poenitentiaria concedere solet quando cum huiusmodi impedimento matrimonium iam contractum fuit. Nam per tale Rescriptum conceditur Confessario tantum facultas dispensandi et convalidandi Matrimonium cum praefata clausula: dummodo impedimentum ex sponsalibus occultum sit, et nullitas contracti matrimonii exinde proveniens pariter occulta remaneat. Quae quidem praxis cla-

(1) Si quaeras quaenam sint sponsalia, quae ad effectum producendi eiusmodi impedimentum valida dicuntur, ea concione et erudite exposita reperies in opere iaude dignissimo , quod nuperrime scripsit *De dispensationibus matrimonialibus* Illmus et Rmus Petrus Giovine Vicarius Generalis Beneventanus, *Tom. I. par.* 2 §. 284 *et seqq.* Hoc opus quod duobus voluminibus constat satis iam cognitum et diffusum in pluribus Italiae dioecesibus, prostat Neapoli in typographia Vincenti Marchese in planitie *Donnaregina n.* 20 *et* 21.

re demonstrat Matrimonium contractum cum impedimento publicae honestatis ex sponsalibus occultis invalidum censeri. Nam si secus res se haberet huiusmodi instantiis respondendum esset, coniuges non indigere dispensatione, vel si saltem res dubia esset, rescribendum foret non pro absoluta dispensatione et convalidatione, sed pro dispensatione, et convalidatione ad cautelam, prout rescribi solet quando agitur de aliquo incerto impedimento.

Hinc extra omne dubium tenendum est ex sponsalibus quantumvis occultis, ac destitutis formis a quacumque civili lege statutis oriri impedimentum publicae honestatis, quod dirimit matrimonium usque ad primum gradum.

Ex his autem noscitur quanam norma uti debeant Confessarii, Parochi, et Ordinarii qui ad 8. Poenitentiariam super huiusmodi impedimento, preces admovere debent.

Erit namque, uti patet, explicandum clare ac distincte utrum impedimentum oriatur ex sponsalibus aut ex matrimonio rato non consummato.

Insuper erit explicandum , ex quibusnam personis oriatur ; nam pro diversitate personarum diversa etiam est concedendae dispensationis difficultas. Ex. gr. si agatur de publica honestate proveniente ex sponsalibus a sponso initis cum matre desponsatae, difficultas maior est, <juam si ageretur de sponsalibus iuitis CUIB sorore desponsatae. Nam in primo casu impedimentum est in linea recta, in altero casu in linea obliqua; et maior inhonestas in familia christiana esse censetur, ut qui matrimonium promisit matri inde eius ducat filiam.

Pariter explicandum est, hlcum impedimentum sit occultum ; nam si revera occultum sit, dispensatio obtineri potest per litteras Confessarii, eaque, nulla imposita taxa, expeditur et committitur Confessario pro solo foro conscientiae: sin vero occultum non sit, committi' solet Ordinario. Imo si agatur de matrimonio contrahendo supplicandum est cum litteris ipsius Ordinarii , et quidem pro pauperibus ad S. Poenitentiariam, et pro non pauperibus ad Datariam Apostolicam dumtaxat. Quod si agatur de* matrimonio iam contracto supplicar» quidem potest etiam per Confessarium, verum dispensatio impedimenti, et convalidatio matrimonii committi solet vel Ordinario vel Parocho cum clausulis specialibus et opportunis ad hoc, ut gratia etiam in foro externo coniugibus suffragari possit.

Quae quidem si minus explicata sint efficere possunt ut gratia vel non concedatur, vel concedatur non congrue, aut cum magna dilatione ; praehabitis scilicet necessariis explicationibus; quod plerumque fieri nequit absque aliquo supplicandum damno , et animarum praeiudicio.

Cavendum etiam ne impedimentum, quod occultum sit imprudentia Confessarii, aut Parochi , aut Contrahentium fiat publicum, et sic augeatur impetrandae gratiae difficultas, et ipsi contrahentes adigantur adexpensas,quae locum non habent cum impedimentum remanel occultum,

MONITUM AD LECTOREM,

Expositio Actorum Russiam et Poloniam respicientium documenti* munita, typis edita est, prout innuit SSmus Dominus Noster in altera consistoriali Allocutione diei 29 Octobris 1866 §. *Quae omnia,* qua legitur: « *Quae omnia* (mala) *manifestius apparent ex accurata rerum omnium expositione, quam opportunis documentis munitam., ac typis editam, Vobis quamprimum tradendam iussimus. Atque ita universus catholicus Orbis ut quam diuturnum sit bellum a Russico Gubernio Sanctissimae nostrae Religioni illatum, ut ipsa in Poloniae Regno, et Russiarum imperio penitus deleatur.* »

Desiderium inserendi nostris ephemeridibus pretiosum hoc opus (quod licet publicum sit, extra commercium est) coercuit prima fronte eius moles; animo tamen non deiecti hanc viam terere cogitavimus; in quolibet fasciculo octo prostabunt paginae ad editionem huius *Expositionis* et successive *Documentorum* destinatae, donec Operis editio expliciat.

Cum *Expositio* italico idiomate sit exarata , nec non plura Documenta sive Italica sive Gallica lingua sint conscripta, ne defraudentur Ecclesiastici, qui utramque linguam non calleant, textui Documentorum adiiciemus versionem latinam, omissis, aut tantum indicatis documentis illis, quae sine ullo detrimento rei omitti possunt. Minusculis typis utemur ne haec editio nimis producatur.

Ne autem Lectores hoc opus disruptum in ephemeridibus habeant,, numerationem aliam paginis illis octo inscribemus, ac ita rem ducere

«urabimus, «t benevoli Lectores possint tandem habere volumen disiunctum ab Ephemeridibus, dummodo ex quovis fasciculo decerpant et •segregent dictas paginas, quae novam sequuntur numerationem simulque accurate colligant. Ita parvo Lectorum incommodo praeter ephemeridum volumen, aliud distinctum ac pretiosum documentoru-m volumen habebunt, quae, dum ostendunt prudentissima»! constantemque solitudinem S. Sedis erga electam illam Dominici Gregis partem quae in dictis Regionibus malis gravissimis divexatur: ostendunt pariter S. Sedis firmitatem in pluribus canonicae doctrinae capitibus. Quod magnum lumen affundit in diuturno bello, et in praesenti quae intentatur clade Ecclesiae libertati, et insitis eiusdem Ecclesiae iuribus.

Brevem autem Praefationem volumini praemittendam, dabimus Ultimo loco.

EX S. COIGfilGATIOl CONCILII.

MATRIMONII.

3)ie **16** ***Iunii, et*** **28** ***Iulii*** **1866.** ***Sess.*** **24** ***c. I de Refor. Matrim.***

Compendium facti. Honesti divitesque iuvenes Laurentius <et Agnes natione dispares, e loco demigrantes ubi lex Tridentina publicata est, in Angliam profecti sunt, ut in fraudem non quidem ecclesiasticae legis sed civilis, matrimonium contraherent. Sed ab initio est ordiendum.

Laurentius nobilis natione Gallus in urbe A. Gallici imperii suum habebat domicilium. Puella Agnes natione Hiberua in eadem urbe a quatuor annis simul cum matre degebat, dum puellae pater in Hibernia munere publico fungebatur, suaque bona administrabat.

Ex honestissima amicitiae consuetudine, mutuo inter iuvenes excitato deinde amore, Laurentius in uxorem Agnetem petiit.

Quamvis in nuptiis conciliandis initio gravis saltem difficultas obstare familiae Agnetis non videretur; nihilominus hisce nuptiis dissensus parentum Laurentii paullatim innotuit, ita ut ipsi Laurentio insuperabilem difficultatem parere visus sit.

Notum enim est ea sub lege Gallicos vivere, quae filiorumfamilias libertatem adeo coercet, ut quamvis matrimonium validum contraherent coram Ecclesia, ratum non habeatur coram civili lege, nisi parentum consensus, quibusdam civilibus formis servatis, intercesserit.

Laurentius itaque spem animo nutriebat se cum Agnete matrimonium esse contracturum hac nationis lege neglecta, si in Angliam cum sponsa proficiscere tur, ibique, lege Anglicana servata, matrimonium celebraretur. Huic consilio Agnetis parentes non restiterunt.

Quare sponsi profecti sunt in Angliam etLaurentius vix et ne vix quidem decem dies, Agnes autem vix quatuor dies in quodam Anglicano territorio manserunt, obtentaque a Magistratu loci gratia seu

dispensatione a denunciationibus matrimonialibus (quae facien-dae erant iuxta praescriptum Anglicanae legis post quindecim? morae dies) coram eodem civili magistratu matrimonium cele-bratum est.

His gestis illico in urbem A. redierunt a qua demigraverant

Laurentius interea animo persentire visus est frustra haec omnia gesta fuisse: coniuges seiuncti iugiter vixerunt curas suas impendentes ut benedictionem ab Ecclesia obtinere possent. Id autem noscentes Laurentii parentes, obstinatiores effecti senten-tiam nullitatis matrimonii a laico Iudice postularunt, et obti-nuerunt.

Rebus hoc in statu manentibus Laurentius altiora cogitans Religionem ingressus est, et tyrocinio expleto vota simplicia emisit iuxta providum Decretum: ***Neminem latet,*** diei 19 Mar-tii 1857. At cum assuetus non esset durioris vitae disciplinae, suae valetudini consulere coactus et venia a SSmo habita sta-tui Religioso valedixit.

Quatuor exinde annis elapsis, matrimonialis quaestio quae-sopita videbatur, vehementer revixit. Laurentius enim cum alia puella matrimonium contrahere cogitavit. Id noscens Agnetis pa-ter, non omisit litteras in Galliam mittere ad Episcopum N., ei Archiepiscopum, nec non ad quosdam Parochos earumdem dioece-sium, ne matrimonium celebraretur, cum Laurentius liber non* esset. Quod fuit praesentis controversiae exordium.

Archiepiscopus enim prae caeteris negotium agere coepit „. remque breviter enarrans S. Congregationi Concilii, petiit, ut quaestionem de validitate vel invaliditate matrimonii dirimere dignaretur.

Quibus acceptis litteris, ex Audientia SSmi S. C. rescripsit^ ***ut Archiepiscopus processum conficeret, servata saltem in substan* tialibus forma Constit. Benedicti XIV.*** Dei miseratione, ***ac suam ferret in primo gradu definitivam sententiam, sin minus transmit-teret ad S. Congreg, exemplar authenticum omnium actorum, ut ad ulteriora procedi posset.*** Eidem praeterea Archiepiscopo-communicata fuit Resolutio S. C. C., quae emissa est in quadam huius generis causa ***Gratianopolitana Matrimonii*** die S Apri-lis 1841 (1).

(I) Vid. Appendicem XII., in qua haec causa integre refertur.

His acceptis mandatis, cum archiepiscopalis Curia intelligeret tempore initi matrimonii Laurentium et Agnetem degisse in dioecesi Episcopi N., ubi adhuc degebat Laurentius, illuc negotium remisit ut Ordinarius in primo gradu processum institueret, causamque definiret.

Itaque in Curia episcopali processu confecto, q«"^«edom tamen defectibus scatente pro nullitate matrimonii sententiam Vicarius generalis emisit. Ab eiusmodi sententia appellavit Matrimonii Defensor ex officio iuxta Constitutionem Benedictinam ad Curiam Archiepiscopalem, quae plene primam nullitatis sententiam confirmavit. Denique matrimonii Defensor a Curia Archiepiscopali appellavit ad S. C. C.

Monitae itaque, prout moris est penes b. **J.** fuerunt Partes de nova causae propositione ut, quatenus velint, ulteriora iura coram S. C. C. deducerent. Pater Agnetis literas misit quibus factum exponens vehementer querebatur de neglecta ss. canonum forma in processu conficiendo, deque incompetentia Iudicum: ac postulabat ut causa, stante nullitate processus, in Curia Dublinensi denuo inciperetur, vel ex integro eamdem causam S. Congregatio cognoscendam susciperet.

Favorabilem autem pro Agnete sententiam implorans , subiungebat, ut si fortasse nullum iudicaretur matrimonium, obstrictus declararetur Laurentius vi saltem sponsalium ad Agnetem sibi matrimonio iungendam, quae coram Anglicana lege, vivente Laurentio, alias nuptias contrahere non poterat.

Laurentius autem suae causae Patrocinatorem in Urbe constituit (1).

Disceptatio synoptiea.

DEFENSIO LAURENTII PRO MATRIMONII NULLITATE. — Laurentii Patrocinator in copiosa eruditaque defensione duo praesertim sibi ostendenda proposuit: **1°,** quod iuvenes Angliam petierunt non ut ibi domicilium aliquod figerent, sed dumtaxat ut matrimonium contraherent: 2°, quod e loco erant profecti ubi Tridentinum viget Decretum.

Ad primum quod attinet non multum institit Defensor; quandoquidem partes in hac re non erant discordes. Namque ipsc-

(1) **Causam Laurentii defendendam suscepit** cl. **Salvator Martini Advocatus.**

met Agnetis pater affirmabat, Laurentium facile nimis filiae suae suasisse, ut in Angliam proficiscentur ad matrimonium contrahendum in fraudem Gallicae legis.

Ad secundum quod spectat observabat Defensor Laurentium ante Brittanicum iter domicilium habuisse in Gallia in urbe **A.,** Agnetem autem in eadem urbe domicilium habuisse, aut in Hibernia. Verum tum in Gallia, tum in Hibernia Tridentinum Decretum ***Tametsi, sess.*** 24 ***de Ref. Matrim,*** publicatum est. Et ad Galliam quod spectat, res est notissima ceu etiam docuit Pius VI. fel. rec. in Instruct, ad Episcopum Lucionen, die 28 Maii 1793, scilicet: « ***Cum certo certius constet in ecclesiis Gal-*** ***» Harum iam*** *MSU* ***receptum esse, ut matrimonia celebrentur coram*** ***» Parocho et duobus vel tribus testibus tamquam in exsecutionem*** ***y> Decreti Concilii Tridentini, hoc profecto satis debet esse ut prae-*** ***» sumatur facta eiusdem Decreti publicatio, sicut aperte legitur*** ***» in Resolutione edita a S. C. Concilii*** die 19 ***Septem, an.*** 1602, ***» quae refertur in lib.*** 10 ***Decretorum pag.*** 47 - Publicationem » praesumi, ubi Decretum fuerit aliquo tempore in parochia » tanquam Decretum Concilii observatum - ***Idemque statutum*** ***» legitur in alia Resolutione die*** 30 ***Martii*** 1669. »

Notum pariter est idem Decretum nunc vigere in tota Hibernia. Videsis. cl. P. Perrone in opere ***de matrim, christ. lib.*** 2 ***sect.*** 2 c. 6 ***art.*** 4 ***edition. Leodiensis anni*** 1861 ***in adnotatione*** 98. Ac praeterea adducebatur testimonium Archiepiscopi Dublinensis et Hiberniae Primatis, (qui inter Patres purpuratos die 22 Iunii 1866 est cooptatus) id ipsum testantis (1).

(1) Testimonium Archiepiscopi Dublinensis, prout in *Summario* a Defensore Laurentii concinnato referebatur, huius est tenoris : « Paulus Cullen Dei, et Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Dublinensis Primas Hiberniae etc. Nos infrascripti fidem facimus Decreti Sessionis 24 Concilii Tridentini caput primum, in quo matrimonia sine praesentia Parochi et duorum testium attentata, nulla esse et irrita declarantur, pluribus abhinc annis per totam Hiberniam publicatum fuisse, et nunc plene ubique vigere, et observari, quando agitur de matrimoniis catholicorum. Etenim Decretum istud vel a tempore Elisabethae reginae, labente saeculo xvi. in pluribus partibus provinciarum Armacanae, et Tuamensis; anno autem 1775 per integram provinciam Coscheliensem ; et denique anno 1827 per totam provinciam Dublinensem et per eas partes Armacanae, et Tuamensis provinciarum, in quibus antea non fuerat receptum, rite promulgatum in singulis paroeciis , et in usum deductum fuisse constat. Quod ad dioecesim Dublinensem, et ad dioecesim Hartfordien-

His autem in facto positis subdebat Defensor, cum illi omnes, qui de loco, ubi Tridentinum Decretum viget, domicilio non relicto, discedentes, ut contrahant in loco ubi illud Decretum non viget, nullo domicilio ibi statuto, in fraudem Tridentinae legis contrahere censeantur, nullum matrimonium de quo agimus esse declarandum.

Ad hoc iuris principium ostendendum plures Resolutiones S. C. C. adducebat, et primo loco eam, quae sequitur, editam die 22 Februarii 1631, quamque refert Benedictus XIV. Inst. 33, nempe: « ***Sacra etc. censuit dandam esse declarationem in abstra-* » *cto in forma sequenti. Vir et mulier a loco suae habitationis* » *absque animo illam relinquendi discedentes, et ad locum alte-* » *rius parochiae solo animo illic matrimonium celebrandi, non* » *aliud domicilium contrahendi se transferentes , ibi coram Paro-* » *cho illius loci matrimonium inter se contraxerunt. Supplicatio* » *per Sacram Congregationem declarari an huiusmodi malrimonium sit nullum vel validum.*** Die 22 Februarii 1631, Sacra etc. » ***Secundum ea quae proponuntur censuit esse nullum.***

Idipsum iam pluries fuerat a S. C. definitum, ac confirmatum ab Urbano VIII. per Litteras Apostolicas: ***Exponi Nobis,*** diei **14** Augusti 1621, quarum hic est tenor: «Exponi nobis fecit » venerabilis frater Archiepiscopus Coloniensis, quod habito nu- » per per eum ad Venerabiles Fratres Nostros recursu super » infrascriptis dubiis, videlicet primo. An incolae tam masculi » quam foeminae loci in quo Concilium Tridentinum in puncto » matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum, in quo » dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem do- » micilium, sine Parocho et testibus contrahere valide dicendi » sint? ***Secundo*** - Quid si eo praedicti incolae tam masculi quam » foeminae, solo animo sine Parocho et testibus contrahendi se

sem spectat, **in** utraque, Tridentina ista lex de matrimoniis clandestinis plenam vim obtinet. Observandum tamen est Summum Pontificem Pium VI. fel. rec. per Rescriptum S. Congregationis de Propaganda Fide datum **die** 19 Martii an**ni** 1785 decrevisse matrimonia mixta in Hibernia contracta, aut contrabenda non **gervata forma Concilii** Tridentini, quamvis illicita, habenda tamen esse uti valida, nisi aliud impedimentum canonicum obstet.

» In quorum fidem haec omnia manu propria subscribimus et sigillo nostro obsignamus. Datum Dublini die 8 Martii 18CG.»

PAULUS CULLEN Arch. Dublinensis.
Primas Hiberniae.

» transferant, habitationem non mutantes? ***Tertio*** - Quid si iidem
» incolae tam masculi, quam foeminae eo transferant habitatio-
» nem illo solo animo ut absque Parocho et testibus contrahant?

«Iidem Cardinales ad primum et secundum: ***non esse legiti-
mi mum matrimonium inter sic se transferentes cum fraude;*** ad ter-
» tium vero dubiorum huiusmodi: ***si domicilium vere transfera-
» tur, matrimonium esse validum responderunt et resolverunt*** prout
» in Decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem,
» sicut eadem expositio subiungebat, dictus Archiepiscopus re-
» sponsum seu dubiorum praedictorum resolutionem huiusmodi
» pro sua subsistentia firmiori, Apostolicae Nostrae confirma-
» tionis robore- communire summopere desideret, Nos etc. reso-
» lutionem huiusmodi Auctoritate Apostolica tenore praesentium
» adprobamus et confirmamus etc. Datum die 14 Augusti 1627.»

Quae Apostolicae litterae in forma Brevis expeditae confirmatae denuo fuerunt a Benedicto XIV. in Litteris Apostolicis ***Paucis ab hinc hebdomadis*** diei 19 Martii 1758 ad Archiepiscopum Goanum in quibus inter alia haec leguntur: ***Mittimus interea Fraternitati tuae Urbani VIII. Breve, tibique propterea, tuisque successoribus mandamus observantiam et implementum eiusmodi Brevis... atque hoc facto satisfecisse Nos arbitramur petitioni, quam proposuisti in epistola diei*** 18 ***Decembris*** 1755, ***ubi normam quam sequereris commostrari tibi cupiebas, si contingant, uti paulo ante dicebamus, matrimonia eorum qui ad evitandas difficultates in quas vel offenderant vel offensuri erant si matrimonium in tua dioecesi celebravissent, transeunt ad finitimum locum, in quo coram aliquo Missionario matrinionium contrahunt, deinde vero ad eam regionem ubi verum domicilium habent revertuntur.***

Fraudem vero de qua mentio fit in Litteris Urbani VIII., animadvertebat Defensor, intervenisse censeri, quoties sponsi e proprio domicilio discedentes Tridentinae legi subiecto, eoque non relicto, in alterum locum transeant eidem legi non subiectum, ibique, nullo domicilio, aut quasi domicilio constituto, matrimonium contrahunt. Undecumque enim consilium sive intentio originem ducat, matrimonium sic celebratum in fraudem cedit Tridentinae legis.

Atqui in praesenti themate (subiungebat Orator) sive Laurentius sive Agnes neque domicilium, neque quasi domici-

lium in Anglia constituerunt. Namque ex S. C. Concilii sententia ad adipiscendum quasi domicilium, pro effectu de quo agimus, requiri habitationis perdurationem spatio unius saltem mensis tradidit Benedictus XIV. in dictis Litteris ***Paucis ab hinc.***

Porro Agnes triduo circiter in Anglia degit: Laurentius autem decem dierum et quidem partim in Anglia, partim etiam in Gallia eosdem dies itineribus absumpsit: uterque autem eadem matrimonii die in Galliam reversi sunt, unde profecti erant.

Ad disiiciendas difficultates quae ex adverso videbantur opponi, Orator ostendere incoepit, Agnetem censeri non posse vagam id est domicilio quolibet carentem. A qua quaestione abstineamus, quae ad abundantiam videtur a Patrocinatoribus instituta.

DEFENSIO MATRIMONII. — Matrimonii Defensor pro suo officio sub duplici respectu causam consideravit, primo quoad extrinseca, secundum quoad intrinsecum causae meritum, atque implorant ut dubio proposito S. C. responderet - ***Circumscriptis omnibus gestis coram Curia episcopali N. cum omnibus inde sequutis ex defectu iurisdictionis etc.*** - vel ***-Dilata et compleantur acta processus*** - vel - ***Negative.***

Contendebat autem Matrimonii Defensor episcopalem Curiam N. ubi in primo gradu causa iudicata fuit, destitutam esse iurisdictione ad iudicandum; quia (ipse aiebat) per Rescriptum S. Sedis, quod supra adduximus, delegata fuerat facultas conficiendi processum Archiepiscopi personae: proindeque neque ipse Archiepiscopus poterat committere causam alteri Iudici : neque causam dictam Curiam N. iudicare potuisse iure ordinario, cum specialiter commissa fuisset Archiepiscopo (1).

Sed plura insuper numerabat vitia processus quae substantiam afficiunt. Aiebat enim defuisse formalem citationem , ut saltem Agnes sisteret se in Iudicio: defuit litis contestatio: defuerunt probationes: quorum defectus substantiam cuiuslibet processus afficiunt.

(1) Responsio, quae data est Archiepiscopo, non fuit delegatio, multoque minus delegatio specialis, quae fit, quando persona aliqua seligitur ob peculiarem suam idoneitatem: sed simplex fuit responsio, ut Archiepiscopus, qui rem enarraverat, ageret ad normam iuris, servata in substantialibus Constitutione Benedicti XIV. prout in similibus adiunctis alias iactum est. De qua re vide Resolutionem causae *Gratianopolitanae*, quae refertur in Appendice XII.

Quod si respicias ad Constitutionem Benedictinam, quae io substantialibus observari saltem debuerat, eamdem pessumda— tam esse Defensor inquiebat. Ad normam enim ss. canonum,, et eiusdem Constitutionis normam exigitur iurata utriusque coniugis responsio; formale testium examen: iubet praeterea eadem* Constitutio, vinculi matrimonialis Defensorem in iudicium venire- quotiescumque contigerit: eum in quolibet actu iudiciali citari: adesse examini testium : voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere,, quae ad matrimonium sustinendum necessaria censebit. Quae observata non fuisse noster Defensor contendebat.

Praescribit pariter eadem Constitutio 7. ***Et demum Defensoris huiusmodi persona tamquam pars necessaria ad iudicii validitatem et integritatem censeatur, semperque adsit in iudicio sive unus ex coniugibus, qui pro nullitate matrimonii agit, sive ambo, quorum alter pro nullitate, aher vero pro validitate in iudicium veniant. Defensor autem, cum ei munus huiusmodi committetur , iuramentum praestabit fideliter officium suum obeundi; et quotiescumque contigerit, ut in iudicio adesse debeat pro alicuius matrimonii validitate tuenda, rursus- idem iuramentum praestabit: quaecumque vero, eo non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla, irrita, cassa, declaramus... ac si citata et intimata non esset ea pars cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari, aut intimari omnino necessarium erat.***

Porro subiungebat Defensor, vinculi matrimonialis Adsertorem- in processu conficiendo iuramentum non praestitisse, neque citatum in quolibet actu iudiciali fuisse: neque interrogatoria exhibuisse. His defectibus adnotatis concludebat processum nullitate omnimoda laborare, qui neque iudicialis processus figuram- praeseferret.

Post haec gradum faciens Orator ad intrinsecum causae meritum, innitebatur doctrinae, quam tuetur doctissimus Sanchez de ***Matrim, lib.*** 3 ***disp.*** 18 ***n.*** 27. Hic enim Auctor quaestionem nostram in puncto iuris pertractans sibi quaerit: «An si incolae » locorum, in quibus Decretum Tridentini obligat, confluant eo, » ubi non obligat, possint iuxta illius loci legem absque Paro- » cho et testibus contrahere ?. » Cui quaesito respondet : « Si

» animo ibi constituendi domicilium tendant, certum est posse-**di** ibi absque Parocho et testibus contrahere: quia fiunt illius-» loci incolae, et subinde iam non adstringuntur legibus prioris » domicilii. Tota autem difficultas est quando solum confluant » per modum transitus. »

Hic autem Sanchez, priusquam suam sententiam aperiat, refert aliorum Auctorum sententiam et rationes adductas, quas, cum quaestionem iuris determinent, ad rei plenitudinem nolumus silentio praeterire. Prosequitur itaque Auctor hoc pacto.

« Petrus de Ledesma ***de Matrim, q.*** 45 ***ar.*** 5 ***punct. ult....*** » censet, iuxta sententiam illorum quos retuli ***n.*** 17 tenentium » peregrinos dum absunt a proprio domicilio obligari legibus » illius, dicendum esse matrimoinum hoc absque Parocho et te-» stibus initum esse invalidum. Et videntur tenere Henriquez ***» lib.*** 11 ***de Matr. c.*** 3. ***n.*** 8, et Manuel 1 ***Tom. summae*** 2 ***edi-» tione c.*** 219 ***n.*** 2 ***in fine:*** dicunt enim semel publicatum Tri-» dentini Decretum in aliquorum parochia, afticere Parochianos » quocumque migrent ; solum excusari videntur proficiscentes » animo ibi constituendi domicilium. Et probatur, quia adve-» nientes ex locis ubi Tridentinum obligat iam contraxere obli-» gationem servandi id Decretum: ergo quocumque adeant per » modum transitus, tenentur id servare. Et confirmatur, quia » Tridentinum irritat clandestina matrimonia, redditque ipsas » personas inhabiles ad ita contrahendum: sed inhabilitas per-w sonam afficiens, cum sit quid personale, comitatur personam » quocumque euntem: ergo semel propter legitimam Tridentini » publicationem redditus inhabilis ad clam contrahendum, nuk » libi terrarum poterit ita contrahere.

» Secundo, quia iam persona illa Decreto Tridentini adstricta » fuit in sua patria: ergo loci mutatione non cessat obligatio : » sicut semel applicato combustibili intra ignis sphaeram, con-» servatur calor receptus, ad alium locum extra illius sphae-» ram traducti.

» Tandem, quia ille peregrinus, ubicumque sit, est membrum » Ecclesiae, ipsique subditur: ergo post legitimam promulgatio-» nem ligatur ubicumque terrarum praedicta Ecclesiae lege.»

Hac sententia cum rationibus exposita, suam patefacit Sanchez his verbis:

« Probabilius tamen est non teneri coram Parocho et testibus » contrahere. Probatur primo ex dictis ***num.*** 18, ubi tamquam » verius defendimus peregrinos a domicilio absentes non teneri » legibus illius. Secundo, quia, esto sentiremus obligari legibus » domicilii, at (ut diximus n. 10) quoad solemnitatem adhiben- » dam in contractibus, solae leges loci, in quo contractus celebra - » tur, inspiciuntur: locus autem, ubi hoc matrimonium initur, » non petit eam Parochi et testium solemnitatem ad matrimo- » nii valorem, cum ibi Decretum Tridentinum non obliget: » ergo etc.

» Limitant aliqui hanc sententiam, nisi adirent ea loca, in » fraudem Dee-reti Tridentini, ut ibi possent libere absque Pa- » rocho et testibus matrimonio copulari: tunc enim aiunt esse » invalidum: primo, quia fraus nemini patrocinati debet, ***Cap. » Sedes. Cap. Ex tenore de Rescript,*** at patrocinantur si hoc ma- » trimonium validum esset ....

» Caeterum displicet mihi haec limitatio; et credo, licet adi- » rent eo fine, ut possent libere absque Parocho et testibus con- » trahere, esse ratum matrimonium. Primo: nam qui iure suo » utitur non potest dici fraudem committere, ut ea ratione ef- » fectus impediatur, ***Regula, Nullus videtur*** 55 ***ff. de Reg. iuris;*** » Leg. 3 ***vers. Is tamen ff. de Libero homin. exhib.*** - ibi - ***dolo » malo non videtur habere qui iure suo utitur*** - Quare ratione » cum multis DD. per eos citatis defendunt Covami v. 4 ***De-)) cret. 'i par. cap.*** 8. 2 ***num.*** 10, et Sarmiento ***lib. i select.*** » c. 6. ***n.*** 8, matrimonium contractum in articulo mortis efficere » filios legitimos in fraudem substituti : est enim fraus licita , «cum contrahentes utantur iure suo: ergo cum adeuntes lo- » cum, ubi non viget Tridentinum, animo contrahendi absque » Parocho et testibus, utantur iure suo, habent enim ius sic j ibi contrahendi, erit fraus licita , nec ea ratione effectus ac » valor matrimonii impedietur. Secundo, quia bona vel mala » intentio conferre potest ad committendum, vel non commit- •» tendum peccatum, non tamen ad annullandum actum, cum » intentio maneat in mente; nec effectum influat in opus exter- » num : ergo si matrimonium illud , seclusa prava intentione » esset validum , id minime impediet ea intentio : sicut de re- D stituendi obligatione docent multi, et inter illos optime Na-

» varr. ***lib.*** 3 ***de Restit. c.*** 5 - si opus, seclusa prava intentione, » non inducat restituendi obligationem, ex intentione illa obli— » gationem non consurgere -....»

Laudatus autem Auctor exposita sua sententia , sic reiicit rationes oppositas Petri de Ledesma.

« Ad argumenta prioris sententiae proposita ***num.*** 27 respon- » detur. Ad primum dico advenas contraxisse obligationem ser- y> vandi id Tridentini Decretum, quandiu his partibus, in qui- » bus id obligat, sunt: secus dum ad alias ubi non obligat, *D* pervenere. Ad conformationem dico, quando inhabilitas est con- » stituta absolute et simpliciter, sequi personam quocumque » euntem, secus quando est constituta per modum legis; sicut » enim lex illa non obligat in illis locis, ita inhabilitas et annul- » latio actus non obligat ibi, nec sequitur personam, nisi dum » est in locis, in quibus ea lex vim obligandi habet.

» Ad secundum nego consequentiam, quia obligatio orta ex » vi huius Decreti est ex his effectibus, qui in fieri et conser- » vari pendent a suis causis: obligatio enim a lege orta durat, » manente lege, et ea cessante, cessat: unde, sicut lumen a lu- » cerna productum in aere extinguitur remoto aere extra lu- » cernae sphaeram; ita haec obligatio expirat, migrante persona » extra territorium in quo viget hoc Decretum.

)) Ad ultimum negatur consequentia: non enim ligatur lege » ecclesiastica in loco, ubi ex voluntate ac dispositione Eccle- » siae non habet robur eadem lex, ut contingit in locis, ubi » aut non recepta, aut non publicata fuit. »

Adducta hac Sanchesii sententia, quam Orator laudibus ex- tollebat, cum tamen S. Congregatio priorem sententiam sequuta sit ex adductis ex adverso pluribus Resolutionibus; nihilque grave (haberet Orator quod opponere t, eas reiicere conabatur, perinde ac si ad rem non facerent, innuens in praesenti themate frau- dem quamlibet adversus Ecclesiae legem abfuisse, cum matri- monium in Anglia fuerit contractum ad declinandam dumtaxat operationem civilis Gallicae legis.

Denique aliam quaestionem pertractare incoepit Orator, A gn e- tem considerans uti vagam et domicilio destitutam, a qua quae- stione uti diximus abstinemus.

Dubium.

«An constet de nullitate matrimonii. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii causa discussa ***di&*** 16 Iunii 1866 respondere censuit: ***Praevia habilitatione utendi actis de quibus agitur facto verbo cum SSmo, affirmative.***

CAUSAE PROSECUTIO. — Iterum appellante Defensore vinculi matrimonialis, S. Congregatio rogavit Emum Archiepiscopum Dublinensem, qui id temporis Romae aderat, ut notificaret Agneti editam Resolutionem, ac simul eamdem moneret de nova causae propositione, ut quatenus vellet ulteriora iura sua coram S. Congreg, deduceret. Tum Emus Praesul, tum Agnetis parens nomine filiae suae scripta dedit S. Congregationi in quibus praeter gravissimas querimonfas quibus Agnetis pater conquerebatur circa modum agendi Laurentii eiusdemque familiae, nihil ulterius deducebatur quod ad validitatem matrimonii posset referri. Monebat tamen Agnetis pater, audito iurisconsulti voto, iuxta iVnglicanas leges matrimonium suo robore consistere, nullaque ratione posse iudicialiter infringi, ideoque filiam suam cogi innuptam manere vivente Laurentio. Quaerebat autem ad detrimentum familiae gravissimum declinandum et ob promissiones sponsalium, ut cogeretur Laurentius ad nuptias cum Agnete celebrandas.

Hinc, quamvis extra rem de qua quaestio erat, non omittebatur haec nova controversia a Patrocinatoribus; rationes autem utrinque adductae ad sequentes revocantur.

Defensor vinculi matrimonialis, qui et Agnetis Defensor erat, fretus textu ***cap. unic. §. Idem quoque de Despons. impuberum in*** 6°, in quo sponsalia impuberum de praesenti, ob defectum aetatis nulla, resolvi dicuntur in ***sponsalia de futuro;*** idem dici posse Oratori videbatur, si matrimonium sit nullum ratione clandestinitatis, eam potissimum ob causam quod scilicet, si actus valere non possit eo modo quo agitur, valere saltem debeat, eo modo quo potest.

Porro in contractu matrimonii includi aiebat contractum sponsalium de futuro, quia cum matrimonium vinculum perpetuum inducat, eo ipso quo aliqui consentiunt in matrimonium volunt ***tum et futuro tempore iungi;*** ideoque haec verba: ***accipio te in uxorem,*** continent etiam hanc alteram sententiam: ***accipio» te in futurum.***

Exorabat denique Defensor Emos Patres, ut aequitatis canonicae saltem rationem haberent, quae non patitur ut honestae puellae tanto detrimento deserantur.

E contra Defensor Laurentii, animadvertens, quaestionem hanc ad praesentem quaestionem non pertinere; adducebat tamen S. Congregationis doctrinam, quam refert Coscius ***de separat, tori lib.*** 1 ***cap.*** 14 ***n.*** IIS ***et seqq.*** - ibi -« Prae caeteris clarissima est illius ***(S. Congregationis Concilii)*** Resolutio in ***Nullius,*** 8 Iunii 1595, in qua censuit: - ***Matrimonium sine praesentia Parochi per verba de praesenti contractum , etiam copula subsecuta, et irritum et nullum esse, et in sponsalia de futuro minime resolvi*** ut habetur in ***Lib.*** 8 ***Decret, pag.*** 130.... Eorum ergo Doctorum opinio, qui tenent matrimonium clandestinum primae vel secundae speciei resolvi in sponsalia de futuro, ita ut sic nulliter contrahentes ad iterum valide contrahendum obligentur, est omnino reiicienda; tum quia... plures numero sunt Doctores contrarium affirmantes... tum quia Doctorum opinioni praevalet iudicium Sacrae Congregationis Concilii, quae hanc controversiam, ut supra, diremit ; nec non pariter in ***Granaten.,*** in qua sequentibus sibi propositis dubiis, videlicet:

I. » An contrahens, non servata Concilii solemnitate, obligatus sit saltem obligatione naturali, cuius vigore aliquo ecclesiastico remedio compelli possit ad observanda promissa.

« Ad L censuit: ***non esse obligatum etiam obligatione naturali.***

IL » Quid si in huiusmodi contractu interpositum sit iuramentum ?

» Ad II. respondit: ***idem, etiamsi contrahens iurasset.***

III. » An talis contractus valeat saltem ut sponsalia de futuro ?

» Ad III. respondit: ***non valere.***

IV. » An sic contrahens peccet mortaliter non adimplendo suam promissionem.

» Ad IV. ***non peccare*** censuit. Cuius Conciliaris Resolutionis originale videri potest in ***tom..*** 72 ***Positionum Sacr. Congregationis Concilii*** signat, foris ***sess.*** 24 ***de Refor. cap.*** 1 ***pag.*** 108 ***et*** 169.» Hactenus Coscius.

Quibus addebat Defensor S. Rotae auctoritatem, quae fideliter sequitur ac veneratur S. Congregationis Concilii sententias:

namque in ***Romana Matrimonii,*** 11 ***Decembris*** 1719 ***coram Coric n.*** 20, haec habentur: « Iamvero, recurrente secunda confirmatae » resolutionis parte quoad exclusionem coactionis ad iterum du » cendum sive dotandum , ea breviter constabiliebatur ob eam » ***irrefragabilem sententiam,*** quae, quidquid dixerint perpauci » per Defensores Ioannae allegati, communiter invaluit apud Do-[1] » ctores et Tribunalia, quod scilicet matrimonium contra for- » mam Concilii initum , etiam subsecuta copula, in sponsalia » non resolvatur, nullamque pariat, neque naturalem obligatio- » nem, ut saepissime resolvit S. Cong. Concilii ex late conge^ » stis in praeced. decis. etc. »

His aliisque per Defensores adductis iterum propositum est dirimendum -

Dubium.

« An sit standum vel recedendum a decisis in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio causa in examen "revocata die 28 Iunii 1866 respondit: ***in decisis, et quoad praetensa damna*** Par- ***tes utantur iuribus suis prout et quatenus de iure.***

Ex HIS COLLIGES :

1. Qui domicilium habent ubi Tridentinum Decretum viget transeuntes in alterum locum ut ineant liberius matrimonium, non ibi contracto prius aliquo domicilio ad normam iurisprudentiae canonicae, invalide matrimonium contrahere , quamvis Tridentinum Decretum ibi non vigeat (1).

(1) Si Sanchez, animum intendisset ad sententiam Decreti *capitis i sess.* 24 *de Befor.*, quod tanta sapientia a Patribus Tridentinis tuit emissum ad arcendas et delendus nuptias ciandestinas, illud non explicasset iuxta comunes regulas quae legibus localibus applicantur: neque suam sententiam probabiliorem appellavisset. Inspecta enim Decreti sententia, oppositam opinionem quam firmavit Sacra Congregatio suadet i ratio publicationis: nam licet sancta Synodus noluerit per Decretum illud obligare contrahentes nisi in singulis paroeciis publicantur, ad plura mala evitanda: nihilominus *Ordinariis omnibus praecepit, ut, cum primum potuerint, curarent hoc Decretum populo publicari, ac explicari in singulis dioecesum parochialibus ecclesiis, idque in primo anna quam saepissime fieret, deinde vero quoties expedire viderint.* Ex intentione ergo Patrum Tridentinorum Decretum hoc ad omnes Ecclesiae subditos obligandum efficaciter tendit, ita ut loca illa, in quibus non adhuc viget, considerari debeant anormalia quae ad normam tridentinam tandem debeant revo-

lì. Neque interesse an sponsi bona fide ducti id faciant ut ab aliquo minus aequo impedimento sese liberent. Non enim propter fraudem animo intentam irritum est matrimonium, sed propter factum quod facile frustraneam redderet Tridentinam legem.

III. Quare Decretum de quo agimus non solum ligat personas propter locum ; sed etiam aliquatenus personas ipsas immediate afficit, quousque novum ius non acquirant in altero territorio contrahendi nuptias ad normam veteris iuris.

IV. Novum hoc ius illud esse quod ex domicilio oritur, quo sponsi evadunt incolae alterius loci (1).

V. Colliges praeterea , matrimonium quod clandestine contractum censeatur, nec vim sponsalium obtinere: quin imo celebratione talis matrimonii sponsalium obligatio cessat quae celebrationi praecesserint (2).

Vi. Quare uterque praesumptus coniux plene liber evadit, nisi ex alio titulo ad aliquid obligatus existat (3).

cari. Facultas enim illa contrahendi matrimonium in eiusmodi locis iuxta veteres canones, non est aliud quam benigna tolerantia , quae opportunitate adveniente deleri debet Ergo non eodem modo posse applicari videntur illae regulae, quae de aliarum legum localium observantia circa peregrinos traduntur, quae pari iure in diversis locis vigent. 2. Id suadent gravissima Tridentina verba: *Qui aliter... con Ira her e attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et eiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti Decreto irritos facit et annullat.* Inhabilitas enim, qua s. Synodus afiicit incolas ubi publicatum Decretum est ad aliter con. trahendum,summa facilitate in cassum cederet, si per simplicem territorii egressum babiles immediate sponsi evaderent, suo domicilio non relicto, ad diversimode contrahendum: quod aperte contra Decreti sententiam procedere videtur.

(i) Vid.ea quae^adnotavimus *pag.l'òS. primi Votum.*

(2) Principium illud quod in secunda causae propositione adducebat vinculi matrimonialis Defensor, quo dicitur: *si actus valere non possit eo modo quo agitur, valere saltem debeat eo modo quo potest;* locum non habet, quando actus est nullus ex defectu formae, quae, ut dici solet, dat esse rei ; Abbas Panormitanus *in cap. Cum super, de Officio et potes. iud. Delegati..*

Cessat sponsalium obligatio, quia sponsalia, sicut caeteri contractus, propriam habent determinatam naturam, eaque ordinantur ad matrimonii celebrationem, qua peracta nil aliud horum natura exigere videtur. Quare si matrimonium celebratum detegatur nullum,sponsalia non reviviscunt.

(3) In secunda causae propositione uti dictum est, S. Congregatio respondit: *in decisis, et quoad praetensa damna Partes utantur iuribus suis prout et quatenus de iure.*

Agnes affirmabat iuxta Anglicanas leges matrimonium in suo robore consistere ; potuisset ad damna reparanda

VII. Denique colliges, distingui omnino debere acta processus, quae ad ferendam iudicialem sententiam fieri debent, ab actis illis, quae, non servata substantiali saltem canonica forma, fiunt.

VIII. Acta enim processus Ordinarius tamquam Iudex iurisdictione praeditus orditur ad sententiam ex iisdem actis et probatis emittendam, qua emissa plures iuridicos parit effectus.

IX. E contra acta secundi generis idonea ex sese non esse ad constituendam iudicii telam cui sententia iudicialis innitatur: parere enim possunt dumtaxat privatam rei cognitionem, iuxta quam si sententia iudicialis feratur, ex ss- canonum censura, irrita est (1). --

iudicialiter agere, ni fallor, duplici ratione; primo penes civilia tribunalia Galliae , .quando sententiam sibi infensain protulerunt. Si enim iuxta Anglicanas leges matrimonium coram iisdem legibus validum erat, non apparet ratio, cur leges civiles Galliae illud ratum non habuerint. Ex iure enim quod internationale appellant, firmi haberi solent contractus in quibusvis locis initi, dummodo •observatae fuerint solemnitates in iisdem locis praescriptae. Ideoque maiori probabilitate felicis exitus, potuisset Agnes impedire Laurentio apud eadem tribunalia civilia quominus aliam uxorem duceret, eumdemque cogere ad damnorum reparationem. Secundo posset apud Anglicana tribunalia intentare iudicium divortii, ex culpa Laurentii, qui matrimonio ibi contracto non stetit. Haec inquam videntur fuisse opportuniora media ad damna reparanda stante aperta nullitate matrimonii coram Ecclesia, ex clandestinitatis impedimento: praescindimus autem a iure quo id civilis potestas sibi arroget.

(i) Saepe contingit ut Curiae ecclesiasticae processus conficiant non regulares, nec secus possint: nam ecclesiastica iurisdictio a Guberniis vel non recognoscitur vel non sustinetur; hinc si Vicarii generales citationem mittant sive partibus sive testibus ut coram se sistant stato tempore, saepe frustra agunt, quia personae citatae non parent, nec expedit ut censuris cogantur, quia sperni possent. Quin imo cogere interdum non possunt testes ad iurandum id quod ad Iudicis interrogationem testantur, vel quia impune renuunt, vel quia obstat lex Gubernii. In eiusmodi ac similibus adiunctis S. Congregatio inspecta tantum rei veritate si ex actis iudiciali ritu non servato confectis satis appareat, SSmum consulit pro facultate ferendi sententiam non obstante irregulari forma actorum; vel identidem rescribit, ut acta processus compleantur, vel suppleantur, data simul peculiari instructione. De qua re passim habentur exempla; neque in nostris ephemeridibus desunt in causis matrimonialibus hactenus adductis.

Contingit etiam non raro, ut pars aut testis qui examini iudiciali sitsubiiciendus longe absit, tunc praxis viget, ut Iudex, qui parat processum, ne alienam iurisdictionem invadere videatur, litteras mittat ad alium ecclesiasticum Iudicem, sub cuius iurisdictione persona examinanda degit, illum exorans, ut velit examini iudiciali coram se subiicere personam illam iuxta *interrogatoria,* quae con-

SEPARATIONIS TORI.

Die 27 *Ianuarii* 1866. *Sess.* 24 *c.* 4 *de Re for. Matr.*

Compendium facti. Post pacificam duodecim annorum vitae coniugalis consuetudinem, quinque susceptis filiis, perturbari coepit domestica quies inter coniuges Livium et Caiam. Vir enim Livius Parochum adiit uxorem Caiam insimulans adulterii crimine, torique separationem postulans. Summo studio Parochus, ut par erat, pacem et concordiam fovere conatus est; «um autem neque per se neque per alios quidquam proficeret, rem detulit ad ecclesiasticam Curiam.

Hinc institui coeperunt ad normam iuris acta processualia, et coram Iudice se sistens vir fassus est: ab uno ciroiter anno se in uxoris agendi ratione detegisse notabilem mutationem: se in officina inter alios operarios quemdam Titium habere sexdecim abhinc annk, qui molitus est relationem inhonestam cum Caia sua uxore: quam relationem hoc facto se cognovisse enarravit: « Ho- » ris vespertinis cuiusdam diei ego ingressus domum fenestram ***t)*** quamdam aperui, ac vidi Titium fugientem iuxta murum.... ***y>*** regressus sum, ac meam uxorem offendi, quae ne verbum ***v*** quidem mihi dixit. E domo egressus ad uxorem rescripsi in » hanc sententiam : ***discede e domo si vis ut aliquando faculta- ti tem tibi faciam osculandi filios tuos.*** Post duas horas domum » ductus in meam uxorem haec verba protuli : ***nefanda mu- ri Her....*** Ipsa nihil respondit et surgens e domo fugit. Postridie » mane dimisi ex oMcina Titiatra, qai tantum haec verba pro- » tulit: ***Id praevidebam. »***

cinnantur (si de causa matrimoniali agatur) a Defensore matrimonii. Vid. etiam *Instructionem* S. C. Concilii quam adduximus *Votum. I. pag.* 439, ad normam ss. canonum, et Benedictinae Constitutionis confectam.

In praesenti autem causa inter defectus qui a Defensore matrimonii exaggerabantur, perperam a patre Agnetis reeensebatur Iudicis incompetentia: nam, caeteris omissis, ante sententiam matrimonium aut praesumendum erat validum, aut nullum: si validum, notum est in iurisprudentia canonica uxorem sortiri forum mariti, prout etiam adnotavimusin *pag. XAinadnot.* 2. Si praesumendum erat nullum, Agnes, quae Laurentio novas nuptias impediebat, actoris partes gerebat, qui sequi debet ex notissima regula forum rei.

Vocata in iudicium uxor, Iudici interroganti respondit: « adeode mea innocentia in causa honestatis certa sum, ut optem quam maxime causam omni iuris rigore ventilati, ut mea innocentia comprobetur. »

Ad factum vero quod vir enarra rat coram Iudice respondi t r « animadverto, Titium domum meam quotidie quam saepissime frequentare , et solitum fuisse e scrinio ephemerides tollere ac egere, quemadmodum ea die fecerat... »

Ad probandam uxoris infidelitatem vir primo quatuor, deinde octo alios testes designavit, qui, exceptis duobus quorum ignotum erat domicilium, sub iuramento examinati fuerunt. Attamen eorum testimonia simul collecta in has sententias conveniebant: mulierem esse domi assiduam, educationi filiorum et negotiis domqsticis sedulo intentam: se quidem vidisse Titium domum saepe intrantem praesente vel absente viro; sed nihil inde mali suspicatos esse, quia Titius inter praedilectos viri operarios ita recensebatur, ut eiusdem frater esse videretur: nunquam vero vel signum aequivocum, vel factum indecens se conspexisse , aut aliquid audivisse quod minus honestum reputari posset.

Unica testis a caeteris dissentiens nonnulla enarravit, qui nimiam innuere videbantur familiaritatem uxoris cum Titio; haec tamen testis ex Parochi testimonio, concubina erat cuiusdam militis.

Dum haec acta processualia conficerentur Livius alimenta,, pendente lite, uxori assignata denegavit, donec muliebria quaedam ornamenta, quae e domo fugiens mulier secum tulerat, redderret; ac idem vir sub specioso titulo educatricis filiorum, saltatricem quamdam mulierculam domum introduxit; quod tam ingens scandalum vicinis creavit, ut ipsa civilis auctoritas mulierculam expulerit : sed vigilantiam magistratus Livius eludens eamdem apud se iterum advocavit.

Praeterea cum suis amicis gloriari Livius non erubuit de sua turpi cum ea muliercula consuetudine; idque Iudici interroganti negare ausus non est.

Huc usque perductis actis, vir actor petiit ulterius, ut alii testes super infidelitate uxoris sub iuramento in iudicio examinarentur: at Curia, reiecta eiusmodi viri instantia, sequentem

edidit sententiam: «Viso, quod unica accusatio, qua actor impeti t uxorem, est, adserta coniugalis fides a Caia violata cum Titio: quod factum, cui innititur accusatio, est deprehensio Titii in remoto quodam cubiculo domus, dum tamen in altero reperietur Caia :

)) Considerato, quod actor factum admittit, quo usque ad illam diem, tutus de uxoris honore fuerat : quod iniuria suspiciones de Titio haberentur, qui a multis annis sibi subiectus suam frequentaverit familiam, se praesente , quin unquam ex boc in mentem actoris subierit suspicio verae relationis amoris cum uxore:

)> Considerato, quod adiuncta loci et temporis , quibus Titius deprehensus est, nullum praebeant motivum suspicandi adversus eum, qui a multis annis actoris domum iugiter frequentabat ipso actore sciente : eo vel magis, quod actor his in adiunctis ea ipsa die et occasione qua Titium domi deprehendi plene tranquillus, ut ipse fatebatur, mansit, tum de illo, tum de uxore sua: quin imo paullo post per tractum quemdam viae Titium comitem habuit, eumdemque ut antea excepit:

» Considerato, quod testes ab actore adducti ad probandam praehabita») amoris consuetudinem nullimode actorem iuvant; quin imo ex quatuor testium depositionibus resultat, rationem agendi uxoris erga Titium ne indicium quidem eiusdem consuetudinis praeseferre : quod unica testis, quae non suffragatur uxori, factum adducit, quod impar est ad rationabilem suspicionem inducendam; quod factum cum hac vi destituatur, opus non est ut iudicetur an haec testis possit in iudicio admitti ob suam rationem vivendi:

» Viso e contrario, quod actor fassus est, qua relatione se ha* beat cum muliercula saltatrice: quod tandem ex habitis notitiis resultat, rationem vivendi actoris cum dicta muliercula praeseferre caracterem adulterae consuetudinis:

» Hoc tribunal ***decrevit et pronunciavit, sicut decernit et pronunciat , reiiciendam esse, quemadmodum reiicit, tamquam fundamento destitutam instantiam viri N. N., contra propriam uxorem N. N., ipsumque eam recipere teneri; salvo iure uxoris par» tes actoris agendi in casu contumaciae viri, adversus virum ipsum in causa separationis legalis ex titxdo malitiosae desertionis.***

Hac edita sententia querebatur Livius ob neglectum aliorum testium examen, quos nominaverat; ideoque nullitatem latae sententiae declarari postulavit. Causa devenienle per appellationem ad S. v.., transmissa sunt acta processualia. Facta autem facultate partibus deducendi quatenus velint ulteriora iura sua coram S. C, Livius uxorem insimulabat, quod coram Parocho culpam fassa esset, quodque nunc apud malae vitae foeminam commoraretur; adducebat praeterea quasdam testium extraiudicialium depositiones: uxor e contra nihil ulterius deduxit, monens dumtaxat, modo mulierculam saltatricem dimissam fuisse, ne Livius eam in sua domo parientem haberet. Audito itaque de more iterum Ordinario, causa disceptata est sub dubiis, quae infra habentur/.

Disceptatio syiiofitica.

EA QUAE SUNT ADDUCTA CIRCA INCIDENTALEM QUAESTIONEM. — Favore Livii dicebatur ***ex officio,*** super productione novorum testium , ipsum, licet una alteraque vice testes in causa produxerit, tamen ex iure non prohiberi tertiam facere testium productionem iuxta ***cap. In causis,*** 15 ***de Testibus, et cap. Ultra*** 55 ***eod. tit.,*** ex quibus admittitur etiam quarta testium productio si praescriptae solemnitates adhibeantur: sic enim legitur in dicto capite ***Ultra: « Ultra tertiam productionem non debent testes ulterius produci in causa, nisi praestito ab eo qui hoc postulat iuramento, quod neque per se neque per alium testificata subtraxerit , vel fuerit percunctatus, neque per dolum, aut artem aliquam, quartam productionem èxposcat: sed quia quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit. »***

At contra observabatur novum non esse in iure ut denegantur ulteriores testium productiones quae necessariae non sint, tum quia efffaenata testium multitudo cohibenda est, tum ne sub optatae probationis praetextu lites nimium protrahantur, ***cap. Significaverunt*** 36 ***eod. tit.,*** in quo capite quartam productionem testium Pontifex litigantibus permittens adhibita solemnitate legali, hanc limitationem adiecit: ***nisi forte Iudices quartam productionem negaverint pro eo quod voluerint effraenatam multitudinem testium refraenare;*** ubi Glossa, adductis iuribus, ait: «ex i> eadem causa posset Iudex denegare tertiam, et etiam seciin-

v (Iam.... ex quo eadem subest causa in secunda, sive in tertia » ut quarta. » Cui consonat ius civile ***Lege*** 1 ***ff. 'de Testibus <§. Quamquam:*** ibi enim statuitur: ***Quamquam quibusdam legibus amplissimus numerus testium definitus est, tamen ex Constitutionibus Principum, haec licentia ad sufficientem numerum testium coarctatur, ut Iudices moderentur, et eum solum numerum testium, quem necessarium esse putaverint, evocari patiantur, ne effraenala potestate ad vexandos homines, superflua multitudo testium protrahatur.***

EA QUAE ADNOTATA SUNT CIRCA CAUSAE MERITUM. — Considerata in merito causa, Livius dicebatur actionem suam seu instantiam non probasse : ideoque planum esse principium : ***actore non probante reus absolvitur.***

Sed hypothesi facta, qua potuisset Livius suam sustentare actionem, haec ad rem observabantur. Licet adulterium unius coniugis praebeat alteri divortii perpetui ius, hoc tamen ius amittitur si alter coniux eiusdem criminis sit reus, cap. ***Significasti,*** 4 ***de Divortiis,*** in quo Alexander III. rescripsisse legitur: ***« quod si notorium est mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.*** » Cuius dispositionis rationem addit Innocentius III. in ***cap.*** 6 ***et*** 7 ***de Adidteriis,*** scilicet: ***paria crimina mutua compensatione delentur.***, cui consonat ***Lex Viro et uxor.*** 39 ***ff. Soluto matr.***

Neque interest, an unus prius, aut saepius, aut gravius quam alter deliquerit, Sanchez ***lib.*** 10 ***disp.*** 6, Pirhing in ***lib.*** 6 ***tit.*** 19 ***n.*** 8, Reiffenstuel ***ibidem nn i*** 80, 59. Imo delictum post rem iudicatam superveniens praeiudicare illi coniugi cuius favore lata est sententia docet Fagnanus in ***c. Ex Uter.*** 5 ***de Divori, n.*** 9.

Quare concludebatur, si igitur coniux qui innocens iudicatur, et cui facultas fit separatam vitam agendi, ad cohabitandum tamen compellitur propter adulterium quod deinde committat; multo magis in praesenti themate iuri conformem videri debere sententiam curiae de qua agimus, quae Livio, indulgenti adulterinis amoribus, prospera, ex defectu probationis, non accidit.

liuti i u.

I. « An sit locus examini novorum testium in casu.
» seu potius

II. » An sententia Curiae——sit confirmanda vel infirmanda » in casu.»

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii causa cognita die 27 Ianuarii 1866 respondit:

Ad I. ***negative.***

Ad II. ***Affirmative ad primam partem, negative ad secundam; et amplius.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Productionem multorum testium in iudiciali processu posse a Iudice reiioi, si ea productio effraenata videatur„ vel ad causam definiendam prorsus inutilis.

II. Neque "interesse, an id accidat in tertia, vel etiam secunda testium productione : sufficit enim earum rationum existentia, ut prudens Iudicis arbitrium nimiam productionem repellat.

III. In praesenti casu tertiam novorum testium productionem ad probandam divortii instantiam rite fuisse reiectam tanquam inutilem.

IV. Plures enim testes ab ipso actore primo et secundo loco producti, non solum de uxoris adulterio non testabantur, sed ipsas actoris suspiciones fundamento destitutas comprobabant.

V. Maxime cum ex notorio facto ostenderetur potius, pendente lite, actoris adulterium; quo extante, si ipsa uxor adulterii rea comprobata esset, cogendi erant coniuges ad individuam vitae consuetudinem.

VI. Paria enim crimina mutua compensatione delentur (1).

(i) Eiusmodi principium aures quorumdam Auctorum offendere videtur, inter quos reperitur eruditus iurisconsultus Carolus Berardi, qui in *Comm. ad ius eccles, vol.* 2 *disser.* 7 *de dissociatione coniugum c.* 2 scripsit: « Exce- » ptio est, si uterque coniux simili de- » ficto inquinatus fuerit *can. i et* 2 » *caus.* 32 *g.* 6, *c. 4 et* 3 *de divor. c.* 6 » *et* 7 *de adult,* non quidem quod , ut » nonnulli perperam scripsere, paria de- » lieta mutua compensatione abolita cen- » seantur, sed quod non mereatur audiri »in iudicio accusator illius criminis, quo » et accusator ipse inquinatur, quemad- » modum habetur in rescripto Iniperа- » toris Antonini apud s. Augustinum in » *lib.* 2 *de adulterinis coniugiis cap.* 18.»

Sed si hoc principium est verum, illud non videtur esse falsum dummodo rite intelligatur. FJaec duo enim principia non modo opposita non sunt- *it>d* ciuadam mu-

Die 8 *Iulii* 1865. *Sess.* 24 *de Ref. cap.* 12.

Compendium facti. Tres Canonici germani fratres quorum duo munus etiam parochiale gerebant, e propria sede inique et violenter fuerunt expulsi ab Italiae demagogis, ad quam sine carceris aut vitae discrimine redire non poterant. Toto absentiae tempore a caeteris Canonicis privati sunt emolumentis,

tua relatione ad invicem consociantur. •Quod scriptum repetitur in *Leg.* 39 *ff. Soluto matr.* - ibi - *Viro atque uxore mores invicem accusantibus causam repudii dedisse utrumque pronuntiatum est: ita accipi debet, ut ea lege quam ambo contempserunt neuter vindicetur: paria enim delicta mutua pensatione dissolvuntur.* »

Paria autem delicta ad invicem facta mutua compensatione dissolvi aut aboleri non dicuntur, quia publicae legis lindictae sive humauae sive diviuae subiacere non debeant; sed quia censetur *« iniquum esse, communem malitiam petitori quidem praemio esse, ei vero, cum quo agalut, poenae esse, cum longe aequius sit, ex eo quod perfide gestum est, adorem nihil consequi.» leg.* 10 *ff. de Compensai.* Neuter itaque ex sua petitione quidquam consequi debet; compensari enim censentur ad invicem ex malitia communi et iniuriae et detrimenta.

Quod principium videtur ortum ex compensatione quam fieri contingit inter debitum et creditum: namque ex *L.* 1 *ff. de Comp. « Compensatio est debiti et crediti inter se contributio.»* Quae compensatio ad negligentiam facile protensa est, unde legitur in *Leg.* IO *ff de Compens. « Si ambo socii parem negligentiam societati adhibuimus, dicendum est desinere nos invicem esse obligatos, ipso iure compensatione negligentiae faata Simili modo probatur, si alter ex re communi aliquid perceperit, alter tantam negligentiam exhibuerit, quae eadem quantitate aestimetur, compensationem factam videri, et ipso iure invicem liberationem.»* Quod principium in usu est penes Theologiae moralis Auctores.

Protensa insuper est haec de compensatione doctrina ad facta dolosa; in *Lege* 36 *ff. de Dolo* legitur: « *Si duo dolo malo fecerint, invicem de dolo non agent:* » atque ideo ad mutua delicta, seu potius ad iniurias mutuas mutuaque detrimenta , ex paribus delictis : unde principium: *paria delicta mutua pensatione dissolvuntur :* adeo sapientia et aequitate praestabant veteres romanae leges !

Compensari ergo dicebantur mutua delicta spectato delictorum effectu: et ideo veteres romanae leges actionem denegabant. Ex altera praeterea causa actio denegabatur, ex contemptu scilicet legis; quia aequum esse videbatur, ut ea lege, quam ambo contempsissent, neuter vindicantur. Quibus principiis, quadam altiori ratione usus est tum Apostolus *ad Rom. II.* 1: *in quo iudicas alterum, te ipsum condemnas; eadem enim agis quae iudicas;* tum Magister Divinus, Ioan. *c. VIII.* 3, adversus accusantes mulierem in adulterio deprehensam, legem invocantem, dicens : *qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.*

quae ***adventitia*** dicuntur, quae scilicet ex mortuorum associationibus, anniversariis, publicis supplicationibus, aliisque sacris functionibus proveniunt : quae quidem emolumenta ob mortem duorum Canonicorum quatuor tantum qui supererant Canonici sibi dividebant.

Tres itaque violentia absentes germani fratres Canonici sibi ius esse existimantes ad ea emolumenta, duo dubia S, Congregationi Concilii proposuerunt quae io calce habentur.

Vicarius capitularis rogatus, a sua sententia exprimenda abstinuit. Canonici autem qui adventitia emolumenta denegabant, inniti videbantur constitutionibus capitularibus, in quibus tamen de absentiae...coactae casu mentio non fiebat, quamvis alios quosdam legitimae absentiae casus considerarent, in quibus Canonici adventitia emolumenta percipiebant.

Disceptatio syuoptiea.

Plura ***ex officio*** adducebantur, quae eiusmodi controversias respiciunt: propius autem ad rem observabatur, omnia choralia emolumenta alia provenire a praebenda, alia vero ab adscititiis legatis piis pro Missis, aliisque sacris functionibus peragendis circa huius secundi generis emolumenta quaestionem versari, quae quidem emolumenta duplicis pariter speciei sunt; alia enim sunt fixa ex perpetuitate legatorum: alia vero incerta et manualia, quae ex eleemosynis, vel transeuntibus legatis aliisque modis fidelium pietate obveniunt.

Ob quasdam autem peculiares absentiae causas S. Congregatio saepe declaravit, emolumenta, quae proveniunt ex obventionibus fixis, dummodo non obstet Testatorum voluntas, non vero emolumenta quae ex obventionibus non fixis proveniunt, absentibus Canonicis deberi. Sic ex. gr. in ***Romana iurium canonicalium*** diei 5 Maii 1703 ***Lib. Decret.*** 53 ***pag.*** 186, ad dubium propositum: «An canonico Stradae, cui ex causa infir-
» mitatis fuit concessum indultum vacandi a choro aliisque di-
» vinis officiis, illud etiam suffragari valeat pro laudemiis quin-
» denniis, capitulis, actibusque capitularibus, anniversariis, fe-
» stivitatibus, processionibus, ac pro quibusvis functionibus in
» ecclesia peragendis, ita ut lucrari debeat omnia emolumenta
» cuiusvis generis et speciei, communia nuncupata, ac etiam vi-

)) ctualia et candelas: » responsum fuit: ***affirmative etiam quoad laudemia, exceptis anniversariis aliisque obventionibus non fixis ? et in quibus diversimode fuerit a Testatoribus dispositum.***

In ***Tranen.*** die 13 Ianuarii 1703 cum quaesitum fuisset, «an » Archipresbytero oratori tempore infirmitatis debeantur omnes » et quaecumque distributiones quotidianae, et signanter mor- » tuaria et anniversaria : responsum prodiit : ***affirmative iuxta consuetudinem ecclesiae.***

Item contigit in declarationibus Indulti ***Iubilationis*** causa concessi; sic in ***Aquipendien. Indulti*** diei 1 Aprilis 1719 ad dubium: « An idem ***(iubilatus)*** participare debeat de emolumentis adven- **it** titiis anniversarium, associationum cadaverum , si functioni- » bus non intersit in casu:» responsum est: ***affirmative ad pri- » mam partem, dummodo non obstet voluntas Testatoris vel dan- » t is; ad secundam partem negative.***

Porro non erat in genere dubitandum, inter legitimas absentiae causas recenseri causam inimicitiarum, seditionis, iniustaeque deportationis. Sacra namque Congregatio pluries rogata, utrum deportati vel profugi sub Gallica invasione ut semet subtraherent vel vetito iuramento, vel exilio, fructus suarum Praebendarum et distributiones absentiae tempore lucrati fuissent, affirmativum Rescriptum constanter edidit.

Et sane eiusmodi absentiae causae reducuntur ad causam corporalis necessitatis, ut ponderat Fagnanus in ***cap. Licet de Prae* ben.;*** Ioann. Andr. in ***cap. unic. de Cler. non resid. in*** 6. Causa autem corporalis necessitatis ius tribuit etiam ad ea emolumenta, quae ex anniversariis proveniunt, ut iuxta ***cap. unic. de Cler^ non resid. in*** 6 plures tradunt Doctores. Bonifacius enim VIII. in eo capite, postquam edixit distributiones quotidianas tradendas esse iis tantum qui divinis Officiis adfuerint, haec subiunxit: «Qui vero aliter de distributionibus ipsis quidquam re- » ceperit (exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta et rationabi- » lis corporalis necessitas, ... excusaret), rerum sic receptarum » dominium non acquirat... ***De distributionibus etiam pro defun- » ctorum Anniversariis*** largiendis idem decernimus observandum.»

Unde in ***Fundana distributionum*** diei 3 Iulii 1734, cum quidam Canonicus ex causa inimicitiarum, vulnere recepto, absens deinde manens a loco Beneficii, distributiones quaereret, dubita-

tum est T. « An debeantur distributiones quotidianae in casu: » II. «An et qui fructus debeantur in casu:» responsum est: ad I. ***affirmative, usque ad praesens, quod vero ad futurum per duos menses tantum.*** Ad II. ***affirmative ad normam absentium ex causa infirmitatis.***

His aliisque adductis proposita sunt resolvenda

Dubia

I. « An Oratores absentiae tempore lucrentur distributiones ***m*** obvenientes ex mortuorum associationibus, anniversariis, pro- ***y*** > cessionibus, missis votivis, aliisque adventitiis functionibus » in casu.

» Et quatenus ***affirmative***

II. » An et a quo tempore Canonici residentes restituere de- » beant Oratoribus praeteritas distributiones in casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii die 8 Iulii 1865 rescripsit:

Ad L ***affirmative quoad omnes obventiones fixas tantum , in quibus non obstet specialis Testatoris vel dantis dispositio durante necessitate absentiae.***

Ad II. ***provisum in primo.***

Ex ns COLLIGES:

I. Dari causas legitimae absentiae a choro, quae non solum ius tribuunt percipiendi fructus et distributiones quotidianas ; sed etiam caeteras extraordinarias et omnia emolumenta quae ex fixis obventionibus derivant, si non obstet specialis Testatoris vel dantis voluntas (1).

II. Huiusmodi causis accenseri Canonicorum absentiam a Demagogis coactam durante eiusdem absentiae necessitate.

III. Canonicos praesentes, qui eadem absentium emolumenta indebite perceperunt, ad eorumdem restitutionem teneri.

(i) Vid. quae diximus in *Vol. L pag.* 289 *in adnot.*

Die 6 *Maii* 1885.

Summaria precum. Pia testatrix sui testamenti exsecutorem constituit concivem suum Titium, eique legavit quasdam aedes, cum obligatione adimplendi onera quae iam Titius habebat, et ea quae ulterius eidem imposuit, quae sunt sequentia: 1° Missa quotidiana cum solutione determinatae eleemosynae: 2° legatum annuum favore ancillae Testatricis quoad illa viveret: 3° quaedam determinata annua eleemosyna persolvenda cuidam Monialium conventui.

Haec quidem onera Titius legatarius usque ad haec tempora implevit, sed in reficiendis aedibus legatis, se de suis bonis amisisse ait, unde coactus est Missarum onus suspendere a die prima Iunii elapsi anni ut suas recuperaret pecunias: quia si ea onera in hac reddituum deficientia implevisset, ille aiebat, nec ipsi menti testatricis fecisset satis, quae certe non intendit ut legatum ipsum oneri Titio esset futurum. Monebat autem ipsas aedes in statu deterrimo adhuc esse.

Exposita autem notula reddituum et expensarum, SSmo supplicabat ut coarctare dignaretur Missarum numerum.

Remissis de more precibus ad eius Ordinarium, qui Emus est Archiepiscopus, hic rescripsit: «Ex supputatione ab Oratore » peracta eruitur aedes conductas 522 scutata annuatim red» dere, eisque deductis oneribus nonnisi 48 remanere, quod pa» rum sibi videtur, et legatarii conditioni minus consonum. » Aliunde extraordinariae expensae, quas ad aedes reiiciendas » nuper facere coactus fuit, ad nihilum pene redegerunt proven» tum, quem ex legato sperare sibi licebat. Quod quidem ex » parte credo, tum ob Oratoris probitatem, tum quia aedes in » peiorem conditionem reddunt. Haec sunt quae S. Congrega» tioni a me referenda erant, ut Oratoris preces perpendat, ac » pro bono et aequo iudicet. »

QUAE CONTRA ORATOREM EX OFFICIO OBSERVABANTUR.—Supremas morientium voluntates ad normam iuris sollicita cura S. Congregatio constanter servandas esse rescripsit; praesertim si aga-

tur de Missarum suffragiis. Quod si interdum rationabili urgente tjausa alicui reductioni fiat locus, in praesenti casu eiusmodi causam adesse non videri. Ex ipso enim proposito Oratoris-calculo, si plena fides eidem adhibeatur, detractis omnibus oneribus et expensis, supererant scutata 48, ob quae legatum inutile aut exitiosum dicendum non esset. Sed insuper inter impensas computatas, recensuit Orator quamdam summam tanquam annuum administrationis praemium. Nec praetermittebatur observatio vitalitiae praestationis erga ancillam, quae praestatio erat temporanea; ideoque habita ratione perpetuitatis legati in eiusdem legati utilitatem erat referenda.

QUAE FAVORE ORATORIS CONSIDERABANTUR. — At contra si extraordinariae expensae, quas ad aedes reiiciendas nuper facere coactus fuit Orator, ad nihilum pene proventum redegerint, ipsaeque aedes indesinenter in peiorem conditionem -reddant, aequum videri, ut onera reducerentur, ad prospicendum testatricis menti sive circa onerum satisfactionem, sive circa legatarii utilitatem: nemo enim censetur oneratus nisi fuerit honoratus. Porro, iusta et rationabili causa interveniente, non raro Missarum reductioni S. C. indulgendum esse censuit.

RESCRIPTUM. — S. Congregatio Concilii, precibus perpensis die 6 Maii 1865» rescripsit: ***lectum, et notificetur Emo Archiepiscopo.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Legatario, cui cum bonis legatis onus Missarum est impositum, non licere ad Missarum celebrandarum suspensionem propria auctoritate devenire.

II. Neque locum esse gratiae reductionis Missarum, si legati redditus satis superque sint ad eiusmodi onus implendum.

HI. Minor enim legati fruitio, maxime si temporanea sit, esse non potest causa reductionis perpetuae.

IX I CONGREGATIO!! EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

SUPER EXPENSIS.

Die **24** *Augusti* **1866.**

Compendium laeti. Etiam inter sanctos viros contentiones identidem intercedunt. Duo Ordinum mendicantium Conventus A. <et B , quaestionem inter se exortam ***Super iure quaestuandi*** detulerunt definiendam S. Congregationi Epis. et Reg. prout moris -est. Conventus A. favorabile obtinuit Rescriptum, praesertim ob preces Municipii, in quo ipse Conventus A. ius quaestuandi sibi •esse praetendebat. Cum liberum cuique sit eleemosynas dare cui vult, huic principio inniti S. Congregatio visa est, ac respondit die 1 Septembris 1865: « ***annuendum precibus Municipii*** (N. N.)»

Idem autem Conventus A., qui quadam animi anxietate quaestionem agens forenses patrocinatores adhibuit, eo obtento Rescripto, institit pro eius exsecutione coram ecclesiastico Tribunali, a quo petiit ut conventus alter B. qui in causa succubuerat cogeretur ad omnes reiiciendas expensas litis, etiam extraiudiciales.

Tribunal ecclesiasticum, iuxta morem visis videndos, et consideratis considerandis, sententiam emisit, quae in favorem cecidit eiusdem Conventus A., contra Conventum B.

Pro exsecutione autem huius sententiae in eo quod ad refectionem omnium expensarum attinebat, sequestro fuit coercita quaedam annua praestatio Conventui B. solvenda a quadam nobili familia.

Conventus B., qui Rescripto S. Congregationis contra se lato requieverat ; aegre tulit sententiam ecclesiastici Tribunalis, ac statim per viam recursus ad S. C. confugit, contendens ex more SS. Congregationum locum non dari expensarum refectioni, ac postulabat ut amoveretur sequestranti, quod Conventus A. praestationi annuae sibi debitae apposuerat.

Disceptatio synoptica.

Rationes, quae adducebantur ex parte Conventus A., qui'?!» cerat, erant, tum gravis difficultas satisfaciendi expensis litis ex. paupertate qua detinebatur; tum altera iuridica, quam titulum legitimum constituere existimabat exigendi dictas expensas **a** Conventu B., qui in causa succubuit.

Dicebatur enim causa fuisse agitata non quidem oeconomice uti solet, sed iuris ordine servato; neque aliter tractari potuisse quaestio, quae a multis annis frustra conciliari inter partes curatum fuerat. Proindeque eum ope legalium patrocinatorum quaestio indiguerit; expensas in gravamen eius cedere debere, qui in causa succubuit.

At contra ex parte Conventus B., hoc non esse in more SS. Congregationum affirmabatur; neque exempla huius rei posse afferri.

EA QUAE EX OFFICIO ADNOTABANTUR. — Quoniam tota quaestio» pendebat a notitia praxis quae penes SS. CC. viget, haec animadversa sunt.

Quamvis ille qui causam damno dat, damni teneatur; et « ***Eum quem temere adversarium suum in iudicium advocasse constiterit, vialica, litisque sumptus adversario reddere oporteat*** » ut sancitum est in ***Lege*** 79 ***ff. de Iudiciis et ubi etc. et Leg. finaL Cod. de Ordin, cognit:*** eiusmodi tamen disciplina quae in tribunalibus est communis , non potest applicari SS. Congregationibus, quae quamvis tribunalium speciem gerant, sunt tamen administrativas et tutrices rerum et personarum ***nomine Papae:*** et nominatim in eo quod spectat ad S. Congregationem Epis. et Regul. ex dispositione Sixti V., ipsa ***summarie et in forma extraiudiciali audit subditorum recursus et querelas etc.*** ut exponit Card. De Luca ***in relat. Curiae rom. de*** S. ***Congr. Ep. et Pieg.*** %. 7. Maxime autem si agatur de causis inter Regulares in quibus paullo maiori libertate agit, ut tradit idem Cardinalis De Luca ***loc. citat, numer.*** 17 his verbis: « Quoniam causas Re-
» gularium non solum publicas super regimine Religionis in uni-
» versum, sive inter unam Religionem et alteram, sed etiam
» privatas inter ipsos Religiosos, super electionibus. . . . . . cae-
» terisque occurrentes, generaliter haec S. Congregatio ***cognoscit****
» ei determinat, summarie, et de plano, sola facti veritate insge~

*» età, quandoque cum extraiudicialibus probationibus, vel cum suf-
^ facientibus iustificationibus, per scripturas, nullo tamen adhibito
» formali processu, cum Notario, et cum tela iudiciaria, quoniam
» Secretarius vel Cardinalis Ponens, conservat scripturas, et reci-
» pii informationes, ita quodammodo faciendo etiam paries Notarii.'»*

Hinc contingit ut necessarium non sit forenses patrocinatores assumere ac typis tradere processus, allegationes ac caetera huiusmodi quae fiunt in caeteris tribunalibus. Quare si partes in rem hanc sumptus impendant, cum sponte id faciant, non possunt refectionem expensarum a parte quae in causa succumbit iure exigere.

Ex hoc repetenda est praxis, quae penes SS. Congregationes universim viget, iuxta quam controversiarum sumptus generatim non sunt a succumbente reficiendi.

Id autem viget etiamsi causae instituantur ***iuris ordine servato;*** unde in eo quod spectat ad praxim S. C. Ep. et Reg., si causae fuerint institutae iuxta Decretum emissum anno 1834, in articulo 16 dumtaxat circa hanc rem statuitur: ***Victor instat coram A. C, qui ut merus exsecutor Resolutionem S. C exsequendam decernit*** (1), ac praeterea nihil. De re autem, de qua in praesenti erat quaestio, ne ***iuris*** quidem ***ordine servato*** actum fuerat, sed dumtaxat ***oeconomice,*** quamvis Conventus A. allegationem typis traditam per patrocinatores confectam, cui titulus ***Votum pro veritate,*** S. Congregationi exhibuerit.

Confirmabatur huius generis praxis speciali exemplo, quod contigit in causa ***Civitatis Castellante, Expensarum,*** diei 14 Decembris 1855 agitata penes S. C. Epis. et Reg., cuius quaedam synopsis haec est.

Mulier quaedam vidua suam dotem aliaque bona ab haereditate defuncti viri repetebat. Cum autem ad causam piam suus vir testatus esset, et curia ipsa ecclesiastica causam hanc piam repraesentaret, eius tribunal Mulier declinavit, ac directe confugit ad S. C. Epis. et Reg. Sacra Congregatio causam suscepit, ut ***iuris ordine servalo*** definiretur. Bis causa proposita fuit adductis utrinque Causidicorum allegationibus. Intervenerunt etiam quaedam iudicialia acta, quae definita sunt per Iudicem ordinarium.

(I) Vid. Appendicem XIII. in qua integrum Decretum referimus.

Mulier, post victoriam obtentam, sese vertit ad Iudicem ecclesiasticum pro sententiae exsecutione, et redintegratione expensarum litis. Iudex ecclesiasticus, quamvis nosceret penes SS. CC. locum non habere hanc expensarum refectionem; tamen ob peculiares circumstantias, quae m ea causa intervenerant, a iudicio ferendo super hac re abstinuit.

Rediit Mulier ad S. Congregationem: et quidem non denegabat vigentem S. C. praxim, sed in eo praesertim insistebat, quod ipsa coacta fuerat declinare iudicium suae Curiae, quae in causa ut pars interveniebat, et interim se debuit subiicere expensis, quas ea lis secumferebat. Adiungebat insuper dictas expensas exhaurire omne id propter quod disputaverat.

Sacra autem Congregatio re in examen revocata ad dubium: « an sit locus expensarum refectioni in casu: » censuit respondere: ***attentis peculiaribus circumstantiis esse locum refectioni expensarum pro medietate.*** Quae aequa exceptio, et quidem ***pro medietate,*** regulam firmat.

Neque alia est praxis S. C. Concilii, si quaedam dumtaxat causae excipiantur: ét ad rem quoddam exemplum desumebatur ex causa penes eamdem agitata ***Romana Legati pii, super expensis,*** diei 16 Iunii ***1817.***

His animadversis propositum est resolvendum

Dubium,

« An et quomodo sint attendendae querimoniae Rmi P. ***fconventus B.)*** adversus sententiam.... et subsequens appositum » sequestrum. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Episc, et Reg. die 24 Augusti 1866 rescripsit: ***affirmative in omnibus revocato sequestro, et amplius.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Sacras Congregationes, quamvis tribunalium speciem praeferant, non tamen sequi eamdem iudicialem praxim, quam sequuntur ac sequi debent caetera tribunalia

II. Ipsae enim, tamquam administratrices et tutrices rerum et personarum, agunt nomine Summi Pontificis speciali modo, iuxta speciales facultates eisdem a RR. Pontificibus tributas (1).

III. Controversias, quae apud eas dirimuntur, alias dici ***iuris ordine servato*** ventilari, alias ***oeconomice*** pertractari (2).

(1) Ex quo fit, ut SS. Congregationes, rationem non reddant suarum Resolutionum , quam articulàtim reddere debent caetera tribunalia, atque ostendere motiva ex praestituto processu deprompta, quae iudicialis sententiae veluti formam constituunt. Namque SS. Congregat, sive decernant super iuris observantia, sive ius interpretentur, id nomine Romani Pontificis, qui supra canones est, faciunt: ideoque in causis iudicandis, et •quaestionibus dirimendis quamvis ad trutinam easdem revocent per causae cognitionem et discussionem, quae saepe brevis non est-, easdem tamen non decet, et saepe neque esset opportunum ad pertinaciam litigantium coercendam, vel ad molestas petitiones reprimendas, articulatam reddere rationem , quemadmodum reddere debent quae ut mera tribunalia iudicant.

(2) Inter controversias quae SS. Congregationibus dirimendae deferuntur , •quaedam, vel ex causae indole, seu potius ex Partium litigantium contentione, oiaiori procedendi rigore et forensi strepitu ventilantur; quando scilicet Partes litigantes curiales Procuratores statuunt, «qui tamquam domini litis agunt, et per •electos Causidicos causa disceptatur. Tum praemittitur formalis ctoatio Procuratorum ad dubium vel dubia concinnanda, super quibus deinde disputari debeat. Non raro autem contingit, ut in ipsis statuendis dubiorum formulis Procuratores inter se disputem, et non conveniant; tum huiusmodi formulae ex officio componuntur, habita huius dissensus ratione in propositione causae coram quafibet S. C. Post haec determinatur tempus, quo causa disceptanda coram S. C. proponatur. Interim statuti Causidici allegationes suas cum summariis quae documenta, vel acta processus continent, parant, ac typis tradunt; ac plura alia observantur, quae longissimam exigerent expositionem, si omnia heic articulatim referri deberent.

Contra causae, quae sine hoc ordinis rigore ventilantur, dicuntur pertractari ***oeconomice,*** noti quatenus ordo non servetur; namque unaquaeque Sacra Congregatio proprium procedendi ordinem habet, quem fidelissime servat, sed quia siue iudiciali strepitu, sine Partium expensis causa procedit, omnibus ex officio peractis. Quibus in casibus SS. Congregationes rogant Ordinarios, ut processum conficiant, si de re agatur, quae formali processu indigeat, vel ut referant, et certiores faciant ipsas SS. CC. super iis, quae Partes exponunt: votum eorumdem Ordinariorum, aliorumve Superiorum exquirunt, et alia huiusmodi, ut ad sufficientem rei cognitionem possint devenire: ac deinde, si opus sit, vota etiam suorum.Consultorum audiunt; secus ex officio in facto exponendo observationes facti et iuris breviter exponuntur. Deinde Sacrae Congregationes rei veritate inspecta causaque disceptata iudicant; vel secundum iustitiae et aequitatis rationem, pro rei de qua agitur natura, disponunt, prout iuxta eius iosti Ultionem frequentius usuvenit in **S. C.** Episc, et Reg.

IV. Quacumque procedendi ratione controversiae definiantur penes SS. Congregationes universim uno vel altero causarum genere dumtaxat excepto, Partem succumbentem ad refectionem expensarum litis alterius Partis quae vicit, non teneri (i).

SUPER ACCEPTATIONE OBLATIONIS VULGO SUPRA SEXTAM.

Die 24 Augustam.

Couili«ii(iiuiii facti. Moniales monasterii N. vendere cupientes quamdam suam domunculam, invitarunt quotquot vellent ut intra mensis terminum traderent scriptas obsignatasque oblationes, quo termino elapso, eiusmodi oblationum literae aperientur, et m ***consideratione*** haberentur. Unum tandem habuerunt oblatorem. Philippum, qui obtulit scut. 382. Implorata facultate a S. C. EE. et RR., Moniales eam obtinuerunt, Rescripto: ***favore Philippi.... pretio scut. non minus*** SS2, ***salvo iure vicesimae ac sextae***, ***facta facultate reducendi terminos ad decem dies pro vicesima totidemque pro sexta.***

Ad formam huius Rescripti affixa publice de more fuerunt programmata seu edicta primo pro ***vicesima,*** quibus edictis, Moniales clausulam iterum adiecerunt, ***oblationes in consideratione habitum iri.*** Plures adfuerunt oblatores, quorum maior obtulit scut. 412, quae oblatio cum denunciata fuisset Philippo, eam in acceptis habuit.

Item post edicta ***vicesimam*** alia affixa sunt edicta pro ***sextae*** oblatione intra decem dierum spatium, adiecta eodem modo dicta clausula. Aliae item oblationes porrectae sunt quarum maior, quae fuit Thomae, ascendit ad scut 600, quae pariter per Moniales denunciata fuit Philippo, ea lege expressa, ***ut***

(1) Dixi uno vel altero causarum genere excepto, quia penes S. C. Concilii tu causis matrimonialibus, quae *oeconomice* non pertractentur, fit locus expensarum refectioni, sicut etiam in causis spolii, alimentorum, et attentatorum.

oblatio in consideratione haberetur, monasterio interim in sua libertate manente procedendi ad quod sibi magis expedire videretur. Huic novae oblationi renuit Philippus, ac liber evasit. Quare victor sextarius mansit Thomas.

Paucos post dies, elapso nempe dicto decendio, alii oblatores adfuerunt, quorum maior nempe Fructuosus obtulit scutata 720. Hoc sciens Thomas adversus monasterium protestationem emisit, contendens, elapso utili termino, se esse deliberatarium definitivum, nec potuisse monasterium ad ulteriora acta procedere contra ius quod ipse iam acquisiverat.

Rebus omnibus in suspenso manentibus Moniales a S. **ex**-postularunt quid in casu agere deberent.

Rogato de more Ordinario pro informatione et voto, auditisque iis quorum id intererat, dubium infrascriptum S. C. est propositum.

Disceptatio syiioptica.

IURA QUAE THOMAS ADDUCEBAT sui FAVORE. — Conquerebatur initio Thomas, Notarium, qui oblationes recipiebat, proprio marte, elapso utili termino in edictis praefixo, novae contentioni causam dedisse. Aiebat autem ipsam gestorum enarrationem esse dissertam sui quaesiti iuris defensionem. Iustum enim est, ut in contractibus de rebus Ecclesiae eiusdem Ecclesiae utilitas quaeratur, sed intra legis limites et honestatis: quod tunc eveniet, quando omnia experimenta oblationum iuxta regulas in hac re vigentes exhausta fuerint.

Ad rem confirmandam adducebat auctoritatem cl. Aloysii Trombetta, qui in recenti opusculo saepe a nobis laudato (1), cui titulus ***Praxeos regulae circa contractus rer. eccles, c.*** 4 §. 15 ***p.*** 120, scripsit: «Restat nunc ut videatur, an praeter experi-
» menta ***vicesimae*** et ***sextae,*** detur aliquod ulterius ordinarium ex-
» perimentum, ut vulgo dicitur ***di soprasesta?*** Negandum omnino.
» Quamquam enim experimenta ***vicesimae et sextae,*** quandoquidem
» irregulariter facta, ex mandato SS. Congregationum renovata ex
» integro fuerint; attamen ubi legitime sunt facta omnino firma
* manent, nec amplius programmata sunt publice affigenda pro-
cul teriori additamento, vulgo ***di soprasesta,*** ne contractus cum

(lj Vid. ***Votum. I.*** harum ephemeridum ***pag.*** 502 ***et seqq.***

*

?» Ecclesiae et oblatorum praeiudicio in infinitum protrahantur. » In casu dumtaxat enormis laesionis consuetum remedium sup- » petit agendi pro contractus rescissione prout et quatenus de » iure. Idque sancitum extat in praelaudata Benedictina Con- » stitutione sub *n. 7* **(1).»**

EA QUAE EX OFFICIO PRO ET CONTRA OBSERVABANTUR.——Favore eiusdem Thomae militare videbatur quaedam Resolutio S. ***C.*** Episc, et Reg. diei 5 Novembris 1832. In ea agebatur de quadam domo nosocomii in emphiteusim tradenda : completis actis ***vicesimae*** et ***sextae,*** et in acceptis habita oblatione ***sextae*** a vigesimario Paulo Felice, quidam Iosephus qui victus inter oblatores manserat, maiorem deinde obtulit summam, quae oblatam a Paulo sextam superabat. Quaesitum itaque fuit, cuinam esset ex duobus adiudicanda domus, et cum quo stipulandum esset instrumentum, an cum primo sextario, vel Iosepho: S. C. respondit: ***cum post vicesimam et sextam nulla ulterior optio detur contractui ad formam Benedictinae Constitutionis stipuletur favore Pauli Felicis.***

At contra favore loci pii, ac proinde favore Fructuosi ***supra - sextarii,*** observabatur, sibi monasterium cavisse in singulis invitatoriis edictis per clausulam qua se in consideratione habiturum inquiebat oblationes, prout sibi magis expedire videretur.

Neque id interdictum existimari debere, quandoquidem dominus rei suae moderator est et arbiter, et conditiones potest apponere, quae suae utilitati magis expedire cognoscat: in emptoris autem facultate positum esse sub iis conditionibus ab oblatione abstinendi.

Quod etiam animadvertit citatus Auctor ***Praxeos regni. pag.*** 77, qui distinguens edicta ***invitatoria*** ab edictis ***deliberatoriis,*** generatim monet, in edictis invitatoriis dominum, qui edicta proponit ad habendas oblationes in consideratione, id facere praesumi po-

(I) **Verba huius *n. 7* latine sonant: « ut transactis ipsis tribus mensibus *fnem- » pe pro* sexta, *quod tempus ex obtenta » facultate in praesenti casu coarctatum » fuerat ad decendium),* deliberata lo- » catione , contractus rescissioni locus «amplius non sit *(titulo experimenti),* » sed firmus stet atque irrevocabilis toto » ipso tempore constituto, iuxta formam » et conditiones in deliberatione expres- » sas. Dumtaxat ius remaneat Camerae » contractum impugnandi iu casu *laesio- » nis ultra dimidiam, quatenus de iure, » et prout de iure* et iuxta Apostolicas » Constitutiones: » Vid si placet integrala Constit., quam cum relativo Decreto Sacrae Congregationis dedimus in *Vol. /. pag.* 251 *et seqq.***

tius ad rei valorem investigandum, quam praecise ad contrahendum. Hanc quippe distinctionem in casu voluntariae subhastationis, ut idem Auctor observat, retinet Card. De Luca, ***de Emp. et vend. lib.*** *7* ***disc.*** 3 ***n.*** 5, inquiens: « In altero autem » casu voluntario ***(subhastationis)*** fit distinctio, an in edicto seu » praeconis proclamate exprimitur ***quod bona dabuntur plus of-*** ***» ferenti, an non:*** si enim exprimitur, adhuc venditorem sine iu- » sta causa poenitere non potest.... secus autem si non expri- ***y)*** mitur, cum tunc dici possit, quod ille qui proponit, edicta , » seu curat fieri proclamata, id fecerit potius animo ***exploranda*** ***» rei pretium quam vendendi;*** ita ut non adsit illa obligatio, » quam contraxisse censetur cum futuris licitatoribus quam- » vis incertis, quoties accedit declaratio quod bona dabuntur » maiori, vel minori oblatori. » Qua m distinctionem passim adhibuit S. Rota ut in ***Romana affictus*** 22 ***Iunii*** 1761 ***num.*** 4 ***coram Herreros.***

Neque in casu obstare videbatur responsio, quae prima fronte sese offert ; quod scilicet monasterium processit vi Rescripti S. C; ideoque conformare se debuerit Constitutioni Benedictinae et Decretis generalibus S. C. Epis. et Reg., quae determinant normam sequendam in eiusmodi bonorum alienationibus. Huic enim difficultati respondebatur, Rescriptum S. C, quo tribuitur facultas alienandi salvo iure vicesimae et sextae, non impedire quominus maiores adhibeantur cautelae ad loci pii utilitatem. Et re quidem vera etiam Exsecutor Apostolicus talium Rescriptorum, qui ***ad unguem*** observare Rescripti formam tenetur, non potest quidem laesivas conditiones in exsecutione Rescripti apponere contra eiusdem Rescripti formam; non tamen prohibetur alias adiicere conditiones, quae in maiorem ecclesiae utilitatem cedant.

Quin imo clausula illa, quam monasterium singulis actis apposuit, si expressa non esset, subintelligenda videbatur. Namque donec perfectus non sit contractus per Beneplacitum Apostolicum exsecutioni mandatum, ius quod primus oblator acquirit non aliud est nisi ius praelationis; praefertur enim quoties ipse novas supervenientes oblationes exaequare cupiat, quin tamen locus pius suam libertatem amittat, cum privilegiis gaudeat minorum: citatus Auctor ***pag.*** 33 ***n.*** 4 ***et*** 5, Card. Petra ***in Com. ad Const. Apost. t.*** 1 ***sect.*** 3 ***n.*** 41.

In praesenti autem themate nulla ratione perfectus erat contractus, nemini enim ex oblatoribus adiudicata fuerat domus, sed omnibus in suspenso manentibus, declaratio a S. Congregatione quaerebatur; quare res favore monasterii integra erat.

His aliisque animadversis propositum est resolvendum

Dubium»

« An, quomodo, et cuius favore deliberanda est domus in » casu. »

RESPONSIO. — S. Congregatio Episc, et Regular, re cognita die 24 Augusti 18GG rescripsit: ***Nemini ex oblatoribus ius inesse ad deliberationem obtinendam: attentis vero particidaribus circumstantiis, quatenus Thomas*** (N.) ***infra decem dies a denunciatione acceptam habeat oblationem sent.*** 720, ***eidem venumdetur ; alias Fructuoso*** (N.), ***et amplius.***

Ex HIS COLLIGES:

I. In alienandis rebus Ecclesiae ad perficiendum alienationis actum post obtentum Apostolicum Beneplacitum non esse deveniendum, quin temporis intervalla praecurrerint, quae. ***vicesimae*** et ***sextae*** dicuntur ad normam Benedictinae Constitutionis, et Decretorum generalium S. C. Epis. et Reg. (1).

II. Ecclesiae enim seu loco pio contrarienti qui tamquam pupillus consideratur competit ius ***addictionis in diem,*** et beneficium ***restitutionis in integrum.***

III. Tempus expectandum pro ***vicesimae*** experimento, naturam habere ***addictionis in diem,*** sicut experimentum ***sextae*** speciem quamdam habet ***restitutionis in integrum,*** ac si in prioribus alienationis actibus ecclesia fuisset laesa (2).

(i) Tum dictam Constitutionem, seu Motum-proprium Benedicti XIV., tum decreta generalia S. C. EE. et RR., retulimus in *Volumine I. pag.* 251. *et seqq.* Uaec Constitutio et Decreta normam figuntin ratione tenenda in eiusmodi alienationibus faciendis, post impetratum Apostolicum Beneplacitum; cum antea methodus in hac re sequenda determinata accurate non esset, et captionibus in Ecclesiae detrimentum facilius locus aperiretur.

(2) In diem addictio ita describitur in *lege* 1 *ff. de in diem. ad.* « In diem addi» ctio ita (it: *ille fundus centum esto tibi » emptus nisi si quis intra Kalendas » Ianuarias proximas meliorem condi- li tionem fecerit, quo res a domino » abeat.* » Fundus aliquis addici potest in diem duplici modo iuxta */. 2 ff. h. t.*

IV. Licitatorem , qui in oblationibus vicit, ius non habere ad contractum perficiendum, nisi, omnibus regulariter exhaustis experimentis, eidem res, quae in deliberatione est, fuerit adiudicata.

V. Neque videri eumdem licitatorem, cui saltem primo adiudicata res non fuerit, ius habere ad dictam adiudicationem deinde habendam, quoties Ecclesia a re adiudicanda abstineat. Habet enim dumtaxat quoddam praelationis ius, quoties rem Ecclesia ipsa adiudicapdam alicui censeat.

IV. In praesenti vero themate habita adiunctorum ratione , novas oblationes post utile tempus factas, S. Congregationem, -quin nova fierent experimenta, in acceptis habendas esse censuisse **(1).**

aut per venditionem quae pura sit, ita tamen ut venditio rescindatur copiosior oblatione adveniente intra constitutum tempus; aut per venditionem conditionatam , quae tum pura evadat si melior oblatio intra constitutum tempus ab alio emptore non fiat: sic enim in «lieta lege 2 statuitur: « ***Quoties fundus in diem addicitur utrum pura emptio $st, sed sub conditione resolvitur, an nero conditionalis sit magis emptio, quaestionis est. Et mihi videtur verius interesse, quid actum sit: nam si quidem hoc actum est, ut meliore allata conditione discedatur ab emptione erit pura emptic, juae sub conditione, resolvitur: sin autem hoc actum est, ut perficiatur emptio, nisi melior conditio offeratur, erit emptio conditionalis.»***

In contractibus autem rerum Ecclesiae, addictio in diem reddit contractum (qui post Beneplacitum Apostolicum fuerit incoeptus, aut forte etiam completus) dumtaxat conditioualem, ut statuitur in ***§ Z dicti Motus-proprii*** **Benedicti XIV., ita ut illi cui ab initio deliberatus sit fundus, ius quodvis in illum fundum vi dictae deliberationis cesset, quoties viginti dierum intervallo alius superveniat, qui illius oblationis saltem vicesimam partem .adiiciat.**

Experimentum autem ***sextae,*** **speciem quamdam habet** ***restitutionis in inttgrum,qmsi*** **vero locus pius, qui contrahit, per praecedentes actus fuisset laesus in sexta saltem parte pretii; ideoque in pristinum statum propemodum restituitur, ut saltem in eo io quo fuerit laesus quaerere videatur qui suam laesionem velit redintegrare. Ex quo apparet, superfluam fuisse clausulam, quam monasterium apposuit, oblationes porrigendas fore dumtaxat considerandas, cum huic clausulae per legem iam consultum esse videatur.**

Eiusmodi praescriptas cautelas aliquis prima fronte non aequo animo fortasse sustinebit; at quotidiana experientia docet vix eiusmodi cautelas esse sufficientes.

(i) In praxi Sacrae Congregationis positum est ut, utili tempore ***sextae*** **transacto, nemo sub eodem titulo augmentum offerre valeat. Sed si novam oblationis schedam, quae notabiliter pretium augeat, quis exhibeat, «** ***tum oblationes omnes ad S. Congr. mittendae erunt: S. autem Congregatio, re adhuc integra, poterit pro suo prudenti arbitrio novas oblationes vel reticere, vel mandare ut denuo edicta proponantur »*** **prout statuitur in §. 4** ***Decretorum generalium S. C.*** **quae citaùmus. Reiicere**

CAPPELLANIAE.

Die ii Aug. 1863, 16 *Sept.* 1864, *et 7 Sept.* 1866.

Compendium facti. Sacerdos quidam oppidi N. suis bonis? cappellaniam laicalem fundavit in quodam designato altari; ius quidem patronatus activum, scilicet ius nominandi Cappellanum,, quibusdam suis parentibus reliquit, passivo autem nominationis iure donavit ***Presbyteros Sacerdotes*** sui oppidi: officium Cappellano imposuit quasdam Missas ***celebrandi aut celebrare faciendi.*** Voluit praeterea ut Cappellanus esset amovibilis ad nutum Patroni sive cum causa, sive sine causa.

Gravis orta fuerat controversia super iure patronatus tum passivo tum activo , quae ventilata est in S. Rotae tribunali die 14 Decem. 1860. Propositum nempe fuit dubium: «an ct » cuius favore constet de iure nominandi ad cappellaniam ......)) ita ut et cui danda sit institutio et immissio in casu: » cui S. Eota respondit: ***«affirmative favore*** (Francisci) ***et immissionem dandam esse Sacerdoti*** (Ignatio). » Haec sententia transiit in rem iudicatam, cum sine ulla appellatione causa fuerit deserta.

Franciscus, qui ex hac sententia Patronus fuit declaratus seu confirmatus, iam perpetuo nominaverat ad cappellaniam Sacerdotem Ignatium, qui post dictam sententiam in possessionem

solet S. Congregatio eiusmodi novas oblationes si, omnibus actis rite exhaustis, eae in pretio habendae esse non videantur, sicut etiam si res adhuc integra non sit: contra si res adhuc integra maneat, et notabiliter maiores sint oblationes, maxime si actus licitationis qui praecesserint, rite gesti non fuerint, mandat denuo edicta affigi. In praesenti autem casu pretii emolumentum ex novis oblationibus propositum favore monasterii spernendum non erat: neque ius alicuius laedebatur, praesertim cum Philippus deliberatarius, cui domus adiudicanda fuisset, in acceptis habere noluerit sextam ab aliis oblatam: contra nova edictorum affixio rebus sic stantibus vix utilis visa est, si Fructuoso, qui sextarius erat, facultas fieret exaequandi novam oblationem.

Caeterum inter rei adiuncta mihi non videtur recensenda ratio agendi monasterii per clausulam appositam, quae aut in id recidit, quod iam per legem cautum est; aut si quid amplius clausula ilia operari intelligatur, pessumdare videtur rationem in Ecclesiae rerum alienatione statutam procedendi: namque conceptus *addictionis in diem,* et *restitutionis in integrum* evanesceret.

immissus est; sed in eodem actu nominationis ius conditionata idem Patronus tribuerat etiam cuidam iuveni Aloysio, qui ex. agnatione fundatoris ortum habuit, ut ***si habilis fieri posset,*** ipso iure, Ignatio remoto, in possessionem cappellaniae subintraret.

Itaque Aloysius, qui iam sese opposuerat Ignatio in iudicio coram S. Rotae tribunali, accepta deinde sacra Tonsura, viam ecclesiasticae militiae est ingressus, et a S. Congregatione postulavit, ut sibi cappellania conferretur, quia habilis per receptam tousuram evassisset ad eam possidendam. Plures insuper commiserationis causas interserebat, praesertim familiae suae paupertatem, qua, adversante fortuna, nunc premebatur.

Ter causa haec ex repetitis precibus Aloysii, qui indole et moribus commendabilis undequaque erat, proposita est coram S. Congregatione sub dubio: « an et quomodo sit locus dimis-
» sioni cappellaniae ex parte ***f Ignatii),*** et immissioni in posses-
» sionem eiusdem favore Clerici Oratoris in casu. » Cui S. C. die 14 Augusti respondit: ***negative in omnibus.*** Proposita denuo die 16 Septem. 1864, respondit: ***in decisis.*** Tertio denique anno mox elapso denuo proposita est.

Disceptatio syiioptica.

EA QUAE MILITABANT FAVORE ALOYSII. — Plures rationes congerebat Aloysius ut ostenderet eam sibi cappellaniam esse tradendam: inter quas, ea ultima non erat, "qua ab Ignatio Sacerdote cappellaniam retineri diceret contra legem testatoris ; quin in hac re Aloysius animadverteret, sententiam Tribunalis S. Rotae favore Ignatii emissam , transiisse in rem iudicatam , quae pro veritate habetur; ideoque adversus legitimam possessionem Ignatii non potuisse modo disputari. Rationes autem quae Aloysium iuvare poterant ad has reducuntur.

Cum ius Aloysio tributum esset a Patrono subintrandi in cappellaniae possessionem statim ac habilis fieret, quaestio instituta est, an habilitas illa quam per susceptionem sacrae Tonsurae consecutus fuerat sufficiens esset ad eam cappellaniam possidendam.

Favore itaque Aloysii dicebatur, laicalem cappellaniam in praesenti themate esse sacerdotalem non quidem ***actu*** sed ***habitu,*** ita ut satis pro ea esset ut per alium Missa celebraretur. Quod ostendeba-

tur verbis testatoris, quibus Cappellano onus perpetuum quasdam Missas ***celebrandi*** addixit, ***aut celebrare faciendi.*** Qui enim his verbis cappellaniam instituit, non exigit ut Cappellanus ***actu*** sit Sacerdos.

Quod si Aloysius ex iure habilis non censeretur, obstante fundationis lege, habilis fieri poterat ex gratia R. Pontificis. Haec enim gratia iuri quodammodo innititur. Namque cum agitur de Clerico, qui cum Fundatore agnatione est coniunctus, praeferendus est extraneo Sacerdoti, ut ad rem scribit Pitonius ***de Contr. Patr. alleg.*** 33 ***n.*** 18: « Lex fundationis requirens Sacer-
« dotem sine dubio est servanda ubi non agitur inter Clericum
» de sanguine, et Sacerdotem extraneum. »

Neque deerant aliae causae tum ex paupertate desumptae in quam ceciderat Oratoris familia, quae non poterat Aloysium alere ad studiorum prosecutionem; tum ex optimis eiusdem moribus et servitio ecclesiae praestito, ob quae maxime erat commendabilis.

EA QUAE MILITABANT FAVORE IGNATII. — Ignatius qui in possessionem cappellaniae missus erat post iudicialem sententiam, denegabat Aloysium habilem evasisse per receptam tonsuram, quandoquidem in lege fundationis statutum erat nominandos esse ad cappellaniam ***Presbyteros Sacerdotes;*** quae verba satis patefaciunt cappellaniam esse ***actu*** sacerdotalem.

Neque ex gratia poterat Aloysius habilis fieri in praeiudicium Ignatii; namque R. Pontifex laedere non solet ius tertii.

His aliisque adductis propositum est resolvendum

Dubium.

» An, et quomodo sit recedendum a captis Resolutionibus...
» in casu »

RESOLUTIO. — Re iterum S. Congregationi proposita die **7** Septembris 1866, rescriptum prodiit: ***in decisis, et amplius.***

Ex ius COLLIGES.

1. Cappellaniam laicalem, quae ***actu*** qualitatem exigit sacerdotalem, possideri non posse, sine S. Sedis dispensatione, a simplici Clerico.

II. Eamdem dispensationem a S. Sede non concedi in alterius praeiudicium, quamvis causae canonicae habeantur ad eam impertiendam.

EX S, CONGREG. IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE-

IMMUNITATIS.

***Die* 28 *februarii* 1837 *et* 28 *Maii* 1838.**

Compendium facti. In ditione Romani Pontificis homicidium proditorium explosione igneae ballistae contigit prope Parochi cuiusdam domum. Parochus audita explosione accurrit , ac Sacramentis munivit iacentem iam iam moriturum. Factae sunt inquisitiones a civili potestate, ac tandem Titius et eius filius Caius reperti sunt homicidii proditorii rei.

Verum in conficiendo criminali processu ipsimet rei inquisiti nominarunt Parochum tamquam correum, et alii quidam testes eumdem Parochum nominarunt, quasi vero ipse huic homicidio proditorio antea consensisset.

Iudex non statim videtur abstinuisse a prosecutione processus, sed deinde curavit exsecutioni mandare id quod his in casibus faciendum praescribitur iuxta ss. canones in Constitutione: ***Post diuturnas,*** Pii VII. et in codice criminali vigente s. m. Gregorii XVI. vulgo ***Regolamento organico, art.*** 610.

Remisit partem processus ad Praesidem tribunalis, qui pariter a supremo suo Moderatore quaesivit, an rebus sic stantibus posset ad ulteriora progredi, vel potius processus confectio remittenda esset curiae ecclesiasticae.

Re autem omni accurato examini subiecta, cum nulla rationabilis suspicio ex depositionibus testium adversus dictum Pa-

rochum oriri videretur, facto de hac re verbo cum SSmo, mandatum est a supremo tribunalium Moderatore, ut Iudex criminalem processum prosequeretur.

Processu confecto,, et causa in tribunali criminali discussa, ad sententiam mortis Titii et Caii proferendam deventum est. At, appellatione a sententia interposita, Defensor reorum acriter institit pro nullitate omnium actorum processus; quod violata fuerit ecclesiastica immunitas.

Causa itaque super eiusmodi articulo deducta est coram **S.** Congregatione Immunitatis, et gravi contentione disputatum est inter supremum tribunalium civilium Moderatorem, et reorum Defensorem.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE FAVORE CONFECTI PROCESSUS DISPUTABANTUR. — Praecipua tantum indicamus quae disputata sunt. Recte se gessisse Iudex criminalis in processu conficiendo dicebatur, quia exclusa qualibet suspicione adversus Parochum, non processare adversus ipsum. Notum porro est Tabellionem scribere debere ea omnia quae examinati testes coram Iudice proferant. Testes quidam in presenti casu Parochum nominarunt ac si correus eiusdem criminis esset, Iudex laicus depositiones quidem ampie excepit, sed inde dici non posse processisse adversus Clericum. Maxime cum super hac re Rescriptum ex audientia Romani Pontificis intercesserit.

Observatus saltem ex parte fuit articulus 610 codicis ***Regolamento organico,*** in quo his in casibus statuitur, ut Iudex qui processum orditur, examine confecto, depositionem adversus Clericum factam referat Praesidi tribunalis, qui certiorem faciet Iudicem ecclesiasticum. Quod si admonitus non est Iudex ecclesiasticus non inde concludi posse videbatur nullitas processus: namque cum adversus Clericum processum non fuerit, neque codex mentionem ullam de nullitate faciat, non videbatur ex simplici hoc defectu argui posse processus nullitas.

Praeterea dici non poterat Iudicem ecclesiasticum non fuisse admonitum, quando res delata fuerat ipsi Summo Pontifici.

Neque erat in contrarium alleganda dispositio quae legitur in ***cap. Si Iudex laicus de Sent. Excom. in*** 6, cuius sententia est:

«(pendente discussione super articulo immunitatis ecclesiasticae suspenditur exercitium iurisdictionis saecularis » Nam Iudex non sibi arrogavit facultatem ius dicendi super Clericum; quin imo contrarium in facto est: ergo suspendi non debuerat exercitium iurisdictionis saecularis.

Et quoniam reorum Defensor in dubio quodammodo ponere videretur Rescriptum a Romano Pontifice obtentum, per Supremum Moderatorem tribunalium , hisce verbis respondebatur: « praesumendum est ordines ab eo ***(Moderatore)*** emissos ab ipso Sacratissimo Principe proficisci, eiusque supremum Oraculum fuisse consultum. Indecorum enim et importunum omnino est investigare , quo iure, qua auctoritate praecipiat, sed quisquis ipsius iussa venerari, et incunctanter implere tenetur, ut respondit suprema Signatura iustitiae in quadam celebri causa ***Lauretanae Circumscriptionis*** diei 16 Iunii 1834 §. 4 ***coram Emo Falzacappa Praefecto.***

Sed opus non esse subiungebatur praesumptionibus inniti , cum authentici Rescripti documentum asservare tu r.

EA QUAE A REORUM DEFENSORE DISPUTABATUR. — Defensor in secunda sua allegatone, praemisso articulo 610 codicis criminalis ***tit.*** 2 ***de Immunit.*** de quo supra mentionem fecimus, et in quo statuitur : « si quis testis aut si qua persona inquisita nominet in tractu examinis personam ecclesiasticam sub adspectu rei aut complicis delicti, Iudex qui processum orditur, examen complet... et completo examine rem defert Praesidi tribunalis a quo pendet iudicium, et ipse tribunal ecclesiasticum admonet. »

Aiebat autem Defensor ecclesiasticum tribunal admonitum non fuisse: quin imo tribunalis Praesidem testimoniis receptis, quibus Parochus crimine implicitus renunciabatur, iudicium tulisse : Parochum in crimine minime implicitum apparere, nisi alia forsan per testes examinandos in medium ad rem deducerentur, «quo casu, admonendum esse ecclesiasticum tribunal, et interim in conficiendo processu progrediendum esse.

Atqui hoc interlocutoriam, decretum , inquiebat Defensor, emittere Iudex laicus non poterat, quin aperte violaretur citatus articulus, et pessumdarentur ss. canones, qui prohibent omnino laicos ius dicere super ecclesiasticis personis.

Accedit, hoc decreto emisso, Iudicem per aliorum testium? examen in conditione se constituisse iudicandi, an Parochus reus criminis an innocens deprehenderetur: quod aliud non est quam sese constituere iudicem super ecclesiastica persona.

Nec obstabat quod e contrario dicebatur; scilicet, processum non fuisse reapse adversus personam ecclesiasticam. Iudex enim, qui processum conficit, non aliud quaerit, quam depositiones testium aut documenta pro veritate detegenda: nec Iudicis- interest an Livius vel Sempronius detegatur reus vel innocens. Quare recta non est vulgaris expressio, ***processum est contra JLivium vel processum est favore Livii.*** Intentio enim Iudicis in processu conficiendo est omnino indifferens. Favor enim vel damnatio sua sponte oritur non quidem ex Iudicis intentione, sed ex depositionibus testium. Quod si Parochus reus non fuerit repertus, Iudex in sua ratione agendi in processu conficiendo non excusabatur.

Quod si aliqua difficultas super intellectu legis haberetur, notum est principium : ***in dubio super articulo legis pro immunitate esse pronuntiandum,*** Pigliateli, ***t.*** 9 ***cons*** 9 §. 14.

Ad Rescriptum quod attinet Romani Pontificis, quo facultas- factu fuerat Iudici laico prosequendi processus telam, plura observabat Defensor, inter quae aiebat, illud Rescriptum no» fuisse communicatum Reis inquisitis, et dumtaxat post annum innotuisse. Neque in hac re, quae tota ecclesiastica est, locum dari contendebat Defensor illi praesumptioni de qua supra dixi. Nam supremi Moderatores saecularium causarum praesumuntur quidem iudicium in re sua ferre cum Principis adprobatione ; at in re immunitatis adest S. Congregatio huius nominis, quae super hac materia privative agit, ac per eam eiusmodi facultates a Romano Pontifice tribui solent.

Animadvertebat denique Defensor, Rescriptum obtentum fuisse a Romano Pontifice, postquam fuisset interlocutoriam decretum emissum, ac proinde post violatam immunitatem.

Dubia.

I. « An laesa fuerit Immunitas ecclesiastica in confectione » processus tribunalis saecularis ***(N.)*** in casu. »

» Et quatenus ***Affirmative***

II. » An acta, quae laesionem sequuta sunt, sint nulla in casu:

» Et quatenus ***Affirmative.***

III. » An et quomodo providendum in casu. »

RESOLUTIO — Sacra Congregatio Immunitatis die 28 Februarii 1837 distulit Resolutionem, denuo causa disceptata die 29 Maii 1838 respondit :

Ad I. et IL ***Negative.***

Ad III. ***provisum in praecedentibus.***

Ex IUS COLLIGES:

L In causis criminalibus, quibus forte vir aliquis ecclesiasticus implicitus reperiatur, Iudicem laicum, iuxta ss. canones, procedere non posse ad iudicium super eo ferendum.

IS. Neque eundem posse procederò in contexenda tela processus, quoties testes crimine implicitum fuisse Ecclesiasticum deponant, nisi servatis servandis.

III. Processus enim, qui ex iurisdictione et modo quo fit publicam facit fidem , quodammodo se habet ad iudicialem sententiam, veluti materia se habet ad formam.

IV. Quare, qui iurisdictione est destitutus ad ferendam sententiam super ecclesiastica persona, neque ius habet materiam parandi, actusque iudiciales contexendi, qui ad illam personam et sententiam directe et immediate referuntur.

V. In praesenti autem casu violatam non fuisse immunitatem in processu conficiendo, ob Rescriptum Romani Pontificis, qui, actis incoepti processus consideratis, facultatem Iudici fecerat procedendi.

ex s. c o r a n i INDICIS.

DECRETUM. Feria II. die 17 Decembris 1866.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX. *sanctaque Sede Apostolica Indici Librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat Opera, quae sequuntur:*

Duecento anni dopo, ossia il secolo decimo nono giudicalo dalla posterità, di Eugenio de la Bruyére. Firenze 1866..- ***Opus praedarnnalum ex II. regula Indicis.***

Le Confesseur par l'Abbé*** Auctor du Maudit. Bruxelles 1866.

La revolution, par Edgard Quinet. Paris 1866.

Defeza do Razionalismo ou analyse da Fé, por Pedro Amorift. Vianna. Porto 1866.

Estudios sobre o Casamento civii por occasiao do opuscolo do S. R. Visconde de Seabra sobre est assumpto, por A. Herculano. Lisboa 1866.

Saggio di preghiere per la Chiesa cattolica italiana, a cura delia società nazionale emancipatrice e di mutuo soccorso del sacerdozio italiano. Napoli, Stabilimento tipografico Perotti, strada Mezzocannone n.* 104, 1866. ***Decr. S. Officii Feria*** *IV.* ***die*** 29 ***Augusti*** 1866.

itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat: sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum' vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTBO PIO PAPAE IX. *per me infrascriptum S. I.C.. a seretis relatis,* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

Datum Romae die 21 Decembris 1866.

ANTONINUS Card. DE LUCA Praefectus.

Loco ^ Sigilli

Fr. ANGELUS VINCENTIUS MODENA Ord. Praed.
S. Ind. Congr. a Secretis.

Die 22 Decembris 1866 *supradictum Decretum affixum et publicatum fuit ad S. Mariae super Minervam, ad Basilicae Principis Apostolorum, Palatii S. Officii, et Curiae Innocentianae valvas, et in aliis consuetis Urbis locis per me Aloysium Serafini Apost. Curs.*

Philippus Ossani Mai. Curs.

APPENDIX XII.

CAUSAE EXPOSITIO ET RESOLUTIO QUAE TAMQUAM NORMA AD IUDICEM ECCLESIASTICUM MISSA EST PRO IUDICIO FERENDO SUPER CAUSA MATRIMONII QUAM SUPERIUS RETULIMUS.

« GRATIANOPOLITANA MATRIMONII. Vicarius generalis Gratianopolitani Episcopi, et suo et Antistitis nomine quaestionem per Sacrum hunc Ordinem definiendam proponit, quam *summi momenti esse, multorumque interesse* denunciai.

« Sempronius (ita Vicarius) Vir « nobilis huius civitatis inaequale «matrimonium cumBertha, con» ditionis longe inferioris puella , » quam male deperibat, ante annos » quatuor contrahere voluit, cum» que timeret, ne per leges civiles, « obsistente, ac renitente familia, » cuius consensus erat necessarius, » id sibi non liceret, Londinum in » Angliam insciis omnibus profectus » est, ibique post octo, aut decem » dierum commorationem , die 29 » Septembris anni 1836 coram Mis» sionario Apostolico in cappella » quadam catholica matrimonium » iniit, benedictionemque sacerdo» talem suscepit.

» In Patriam redux, secreto sed » vero Matrimonio coniunctum se » bona fide existimans, cum Bertha » cohabitavit, ex eaque plures su» scepit liberos. Cum vero matri» monium Londini celebratum ab » omnibus ignoraretur, integro qua» driennio ut concubinarius in opi» nione vulgi cum summa omnium » offensione, et scandalo traductus » est. Tandem ab uno tantum mense » res percrebrescere coepit, Matri» moniique testimonium scriptum «palam ostendunt, ac divulgant, » et ambo ut vero connubio con» iunctos sese palam gerere inci» piunt. ExscandescitinSempronium » familia, vultque, invocato etiam » iure canonico, et Galliarum usu, » matrimonium istud esse nullum, « irritum, ac invalidum, proindeque » cooiugum separationem obtinere » nititur. At vero Reverendissimo » Dominò Episcopo Gratianopoli» tano, iisque qui sunt ab eius » consiliis,suboritur dubium aliquod » de validitate istius matrimonii, eo » quod non videatur initum fuisse «secundum Concilii Trid. legem; » scilicet, non fuit initum coram » Parocho domicilii, nec coram » Parocho quasi-domicilii, ut iura » volunt, sed tantum coram Paro» cho habitationis brevissimae et » octo tantum, vel decem dierum. » Quaeritur itaque utrum habitatio » adeo brevis sufficiens fuerit, ut » Sempronius coram Missionario » Apostolico veluti coram vero, et » proprio Parocho contrabere po» tuerit valide, et licite. Suspica-

» mar Missionario Apostolico spe-
» cialem fuisse concessam a Sancta
» Sede facultatem, vi cuius potuit
» huic Matrimonio, tamquam Paro-
» chus assistere ; facile cooiicitur
» nullibi fuisse proclamata banna ,
» nullam fuisse petitam aut obten-
tam ab Episcopo dispensationem.

» Definiendum idcirco, quo ci-
» tius possit, proponitur, utrum, et
» qua de causa valeat aut non va-
ie leat istud sic contractum, ita ut
» responsum exinde ferendum aliis
» similibus quoque casibus facile
» possit applicari.»

« Haec ex litteris Gralianopolitani Vicarii. Ut vero tutior ad pronuntiandum sternatur via, inquirendum illico visum est de Missionariorum Apostolicorum Londinensium facultatibus, ut nimirum pateat, an peculiaribus ipsi a S. Sede aucti sint facultatibus ad catholicorum matrimoniis benedicendum, licet hi illis minime subiecti sint ratione domicilii, seu quasi - domicilii reque collata cum R. P. D. S. Congregatio^ de Propaganda Fide Secretario , et Officialibus, uno ore responsum est, eos huiusmodi facultate omnino carere. Hisce praeiactis decernendum est, an matrimonium, de quo quaeritur, validum sit an potius nullum , et irritum. IVon hic disputandum est de impedimentis per civiles leges decretis; sat quippe est ea referre, quae anno 1804 ex instructione per Sacram Inquisitionem transmissa respondit Sacra haec Congregatio Episcopo Brixiae de relatione status Ecclesiae scribenti in occasio:?.? Visitationis SS. IX. « *Matrimoniis fidelium coram Ecclesia contractis, quibus nullum obstat canonicum impedimentum suam quoad maritalem nexum inesse vim, et valorem, eorumque vinculum indissolubile manere qualiacumque tandem fuerint impedimenta a saeculari Potestate, Ecclesia minime consulta, nec probante, perperam, ac nulliter lata.* » Neque quidquam negotii in themate facessere videtur obsistentia familiae *« cuius consensus erat necessarius, »* ut ait Vicarius generalis. Etenim quoad cousensuin parentum i;» matrimoniis filiorumfamilias Regni Galliarum , quae probibita primum fuerunt a Cbristianissimo 'Rege Henrico III. per edictum in Comitiis Blesensibus anno 1579 art. 40 promulgatum, atque a Ludovico XIII anno 1629 et 1639 renovatum, quo nulla, et invalida declarantur matrimonia a filiisfamilias contracta sine consensu parentum , plane constat haec praescripta fines poenarum civilium haud praetergredi. Etenim verbum illud *invalida, non 'sse aliter explicandum quam per solam relationem ad contractum civilem,* eiusdem Ludovici nomine responderunt Regii Commissarii Clero Gallicano , uti habetur *Tom. III. Rerum et Dec. Cleri Frane,* et late disserit Bened. XIV. *lib.* 9 *cap.* 11 *de Synod. Dioec.* §. 5 plures allegans super hac re Gallicos Doctores. Hoc ipsum probe novit Gratiani)—

politana ipsa Curia, quae totam dubitandi rationem ponit in lege minime servata S. Conc. Trid., *scilicet quia non fuit initum coram Parocho domicilii, nec coram Parocho quasi-domicilii,* sed tantum coram Parocho *habitationis brevissimae, et octo vel decem, dierum.*

» Iam vero quamvis Sancbez , quem plures magni nominis sequuntur Auctores, in suo opere *de mat. lib.* 3 *disput.* 17 *et seq.* praesertim *sub. num.* 29 defendat validitatem matrimonii initi in loco, ubi promulgatum non fuerit Conc. Trid., licet ille qui contrahit, domicilium habeat in loco, in quo Concilium receptum est, ab eoque discesserit fugiendi causa difficultates, in quas incidisset, si in loco domicilii contraxisset, quin obstare sentiat fraudem, quae ad summum redderet illicitum non autem nullum matrimonium sic contractum, et quamvis contrarium tueantur summi aeque nominis Doctores, atque Theologi ; quaestionem tamen diremit S. H. Congreg, sedente s.m. Urbano VIII, cui tria haec proposita fuerunt dubia ab Archiep. Electore Coloniensi.

«Quaeritur humilVer a S. Congregatione *an incolae tam masculi, quam, foeminae loci, in quo Conc. Trid. in puncto matrimonii est .promulgatum, et acceptum , transeuntes per locum., in quo dictum. Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine Parocho, ei testibus contrahere.*

» Secundo quid, si eo praedicti incolae iam masculi, quam foeminae, solo animo sine Parocho, et testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes.

» Tertio quid si iidem incolae tam masculi, quam. foeminae, eo transferant habitationem illo solo animo, ut absque Parocho, et testibus contrahant.

» Hoc autem S. Congregatio dedit responsum die 5 Septembris 1(526 « *S. C. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum ad primum, et secundum respondit, non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes, et transeuntes cum frande. Ad tertium respondit, nisi domicilium vere. transferatur, matrim, non esse validum.* Huiusmodi vero resolutiones confirmatae fuerunt a s. m. Urbani VIII. suis literis in forma Brevis anni 1627 expéditis ad instantiam Procuratorum eiusdem Archiepiscopi, quodque Breve deinceps confirmavit sanet. mem. Benedictus XIV. in suis literis datis sub die 19 Martii 1758 ad Antonium Archiepisc. Goanum. Qui Pontifex haec circa superius relatas resolutiones habet. « *Huius vero definitionis contextu bene perpenso, facile intelligitur matrimonia primo, et secundo loco exposita, irrita, ac nulla ab eadem Congregatione decerni, eo quia fraus intercessit, validum autem censeri matrimonium tertio loco positum, in quo licet fraus intercesserit, nihilominus is, qui matrimonium, contrahit, antequam illud iniret, domicilium, seu quasi domicilium, adeptus erat in loco,*

ubi matrimonium inivit. Et. inferius tiaec habet idem Pontifex. *Ex sententia communiter hodie recepta, atque observata, nullum, atque irritum habendum sit matrimonium, in fraudem proprii Parochi, coram Parocho alterius loci contractum, dummodo tamen ille, qui contrahit, antequam matrimonio iungatur, legitimum domicilium, vel quasi-domicilium revera in hoc altero loco adeptus non fuisset, utque inibi fortassis post matrimonium, contractum ad aliquod tempus commoratus non esset.*

Alia nunc occurrit iuris disquisito, quidnam nimirum requiratur ad quasi - domicilium adipiscendum. *Verum* (verba sunt s. m. Benedici XIV. in enunciatis literis ad Archiepiscopum Goanum) *hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur spatio saltem, unius mensis ille, qui contrahit, habitaverit in loco ubi matrimonium celebratui. Definitiones Sacrae Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in* Cap. significavit de Parochis, *ubi earumdem, contextu perpenso haec habet sub num.* 39 - *Vir et mulier Traieclenses timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morali matrimonium contraxisset, Sacra Congregatio, consulla super validitate, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae .manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis dandam esse decisionem pro validitate. Natalis Alexander in Theologia dogmatica, et morali lib.* 2. *de Sacramento Matrim, cap.* 2. *art.* 2. *regul. Q. animadvertit, ad acquirendum quasi — domicilium oportere, ut contrahentes antequam matrimonium celebrent, tanto tempore eo in loco, ubi copulantur, fuerint commorati, ut ibidem cogniti iam sint, atque perspecti. Dubitari autem posset num ad quasi - domicilium acquirendum matrimonii causa, uti diximus, non solum requiratur praecedens habitatio, verum etiam subsequens ad aliquod temporis spatium: verum cum animadverterunt, subsequentem habitationem ab iis Auctoribus, qui de hac quaestione disseruerunt, tamquam magni momenti adminiculum reputari, ut novum domicilium quaesitum dicatur, nihil vero de illa praescriptum fuisse a Concilii Congregatione in adducta paulo ante definitione penes Fagnanum, nolumus hac de re quidquam decernere. —*

« Hisce in iure praemissis EE. PP. sapientiae erit responsum quod petitur edere, quodque aliis similibus casibus facile possit applicari.

» Duo etiam in themate serio sunt animadvertenda. *Primo* nullam ex parte coniugum apparere querimoniam, qui suum matrimonium coram Apostolico Missionario contractum divulgarunt ; sed ex parte familiae tantum promoveri nullitatem initi connubii. *Secundo* plures ex hoc coniugio susceptos fuisse liberos.

Quatenus de matrimonii huiusce valore dubitandum esse censuerint

EE. Patres videant pro sua sapientia, num sententia a Curia episcopali Gratianopolitana proferenda sit, servata saltem in substantialibus forma processus demandati in Const. s. m. Bened. XIV. incipien. *Dei miseratione,* an potius de Apostolicae Sedis Clementia, praesertim ratione habita ad liberos, et ad caetera thematis adiuncta, indulgeri possit, ut coram Episcopo Gratianopolitano, vel ecclesiastico viro ab eo deputando, ac coram testibus confidentibus renovetur consensus; num etiam quatenus prudenter timeri possit de alterutrius partis dissensi), et praesertim viri ob *familiae excandescentiam,* ac ob timorem effectuum civilium, consulendum sit SSmo pro sanatione in radice.

DUBIUM

» An, et quomodo sit respondendum in casu.

RESOLUTIO,

» bx hactenus deductis non constare' de validitate matrimonii, sed ad declarationem nullitatis esse procedendum confectione processus servata saltem in substantialibus forma Constitutionis s. m. Bened. XIV. Dei miseratione *inspecto praesertim animo, et tempore^), quo asserti sponsi commorati sunt nedum Londini, sed eliam in districtu illius Apostolici Vicariatus ; quatenus autem Episcopo magis expedire visa fuerit matrimonii convalidatio, renovato consensu secreto, pro facultate dispensandi super quovis impedi' mento iuris ecclesiastici tantum iuxta solitas clausulas, quatenus adsit ; ac eliam pro facultate sanandi in radice iuxta formam, quatenus id necessarium duxerit, facto verbo cum SSr/io super omnibus. »*

Die 3 Aprilis 1841.

(i) Videsis ea quae adnotavimus circa modum domicilii contrahendi in causa' *Matrimonii* relata in *Vol. I. pag.* I3S.

APPENDIX XIII.

DECRETUM DE METHODO SERVANDA IN CAUSIS QUAE APUD S. CONGREGAT. EPISCOPORUM ET REGULARIUM IURIS ORDINE SERVATO AGUNTUR.

«In generali Congr. habita Nonis Septembr. MDCCCXXXIV. Eminentissimi, et Reverendissimi Patres decreverunt, ut vetus, et propria S. Congregationis methodus, seu ratio tractandi negotia, de quibus contentio est inter partes, accurate in posterum servaretur. Est autem huiusmodi :

1. » Quotiescumque in negotiis quae apud S. Congregationem Episcoporum et Regularium aguntur tum ex relationibus Ordinariorum tum ex partium deductionibus videatur expedire, ut res ad viam iuris reducatur, rescribitur - *Partes deducant sua iura coram Eminentissimo N., qui videat et referat, citata parte et concordato dubio.* -

2. » Coram Eminentissimo Relatore, vel eius Auditore, adhibito SS Congregationum Notario, singuli actus, qui ad iudicandum viam sternunt, coniiciuntur.

3. » Propterea pars diligentior coram eodem Auditore partem adversam in ius vocat - *ad concordandum de dubio, alias videndum subscribi, et disputari infrascriptum* — quod nempe in calce citationis transcribitur.

4. » Eminentissimus Relator, sive eius Auditor vel propositum, vel aliud dubium concordat de consensu partium ; sin minus mandat partes suis iuribus uti per memoriale in S. Congregatione.

5. » Si pars citata intra terminum praefinitum non compareat, citatur pro secunda vice *ad concordandum de dubio, nec non destinari Congregationem..*

6. » Si pars in sua contumacia perstiterit Eminentissimus Relator, vel eius Auditor concordat dubium, et Congregationem pro Causae propositione destinat, ita tamen ut spatium saltem triginta dierum intercedat; et decretum adversae parti per Cursorem intimatur.

7. » Iura autographa, quibus utraque pars utitur, quindecim diebus ante diem propositionis causae apud D. Secretarium deponuntur; transmissa utrinque intimatione.

8. » Allegationes utriusque partis decem diebus ante Congregationem tum ad Emiutissimos Cardinales, tum ad D. Secretarium, et Sub-Secretarium, ac ad Secretariam S. C. deferuntur.

9. » Mutua inter partes allegationum, et summariorum traditio fit eadem ipsa die in domo Auditoris Eminentissimi Relatoris.

10. » Responsiones triduo ante

propositionem causae distribuuntur, et communicantur, ut in articulo praecedenti.

11.» Resolutionem S.Congregationis Eminentissimus Relator scriptis tradit, et suo nomine obsignat eamque de Secretario tradit partibus significandam.

12. » Si intra decem dies pars •victa iterum audiri postulet, Eminentissimus Relator novae audientiae beneficium tribuere potest.

13. » Quoties Cunctis suffragiis res diiudicata fuerit cum clausula *et amplius* vel uno tantum suffragio discrepante cum clausula, *et non concedatur,* tunc venia redeundi noru tribuitur, nisi a plena Congregatione.

14. » Causa deuuo proponitur servato modo, et terminis primae propositionis.

15. » Diiudicata causa authenticum resolutionis exemplar ei traditur qui causam obtinuit.

16. » Victor instat coram A.C., qui ut merus executor resolutionem S. Congregationis exequendam decernit.»

CAROLUS Card. ODESCALCHT Praef.

lo. Archiep. Ephesinus Secret.

EX ACTIS CONSISTOBIALÌBUS.

ALLOCUTIO

<QUAM SANCTISSIMUS D. N. PIUS PAPA IX. HABUIT IN CONSISTORIO SECRETO DIE XXII. FEBRUARII MDCCCLXVII.

Promotiones consistoriales, ac reliqua quae in hoc Consistorio gesta ac publici iuris facta sunt, opportunius in sequenti fasciculo referemus, interim Allocutionem damus, quam hac occasione SSmus habuit, cuius tenor est qui sequitur:

Venerabiles Fratres.

« Cum charitas Christi Nos urgeret ad exquirendam rationem , qua prospicere possemus viduitati tot Italiae dioecesium ; mense martio anni 1865 epistolam manu Nostra dedimus Se renissimo Regi Victorio Emmanueli, eum rogantes, ut aliquem ad Nos delegaret, cum quo de tam gravi negocio agere liceret. Cumque votis Nostris ipse obsequutus esset, inita reapse fuere colloquia; quae tamen, culpa sane non Nostra, caruerunt exitu, Nostrumque frustrata sunt desiderium, qui ad ea descenderamus acti vehementi studio procurandae salutis animarum, quam semper haec Sancta Sedes caeteris omnibus merito praetulit. Resumptum quidem nuper fuit negocium , iis volentibus, qui rerum Italiae potiuntur; verum de hoc themate dicere, Venerabiles Fratres, non sine gravi tristitia et acerbo dolore valemus. Sacri enim Antistites, quos ad vacuas Sedes missuri sumus, non modo censum episcopalis cuiusque mensae distractum invenient, sibique subductum quidquid propriae inopumque sustentationi usui esse consueverat; sed, quod deterius est etiam, dispersos sanctuarii lapides, deserta perfectionis religiosae confugia, claustrorum habitatores omni substantia orbatos, sacras virgines eductas «e foramine petrae, quo se, Deo iuvante, receperant victurae ac

moriturae **in** osculo Sponsi caelestis. Grave sane et ingratum est, ad huiusmodi Sedes, in tanta praesertim publicarum rerum angustia , Episcopos destinare. Quid tamen inde ? Recedemus ne idcirco a proposito? Absit: pergant agricolae ad vineam a Deo plantatam et **irriga**tam sanguine Filii sui; eant, ipsam culturi in nomine Iesu Christi, potissimam ab eo opem expectantes; adeant illam Deiparae patrocinio confisi, quae validissime iis suffragari poterit. Nam ipsa **dum** sapientiae sedes est ad replendos Pastores disciplina intellectus, simul, **uti** refugium peccatorum, multos ex errantibus ad eos facile reducet; **uti** afflictorum con--solatrix, complurium per ipsos leniet miserorum aerumnas; **uti** auxilium christianorum, iis obsequium filialemque multorum pietatem concitabit; ut **in** plerarumque docilitate et affectu levamen inveniant gravissimo muneri suo, et solatium **in** certamine exercendo adversus hostes Dei et potestates tenebrarum, quae totius agri evangelici potiri conantur, miserandam **in** eo vastitatem inducturae. Itaque inter novos Pastores aliquot interim renunciabimus, qui ad Italiam pertinent; fore fidentes, ut in futuris Consistoriis alios etiam atque alios renunciare liceat, si tamen iudicia, **heu** nimis dissimilia, hominum iuxta saeculi placita viventium cum Nostris convenire possint, imprimis quoad personarum electionem. Plura dicere de praesenti rerum conditione non attinet ; futura vero , nisi mutatio dexterae Excelsi intercedat, satis aperte praenunciatur ab exacta iam tristissimorum eventuum serie. Nobis tamen confitendum est Deo, qui sicuti, suffragantibus Immaculata Virgine sanctisque Apostolis, Nos hactenus sub umbra alarum suarum **tam** perspicue protexit; sic tandem, uti speramus, ***convertet luctum nostrum in gaudium.*** Optatissimum hunc exitum, Venerabiles Fratres, urgere ac maturare nitamur precibus nostris , animorum concordia, **Christian** narum omnium virtutum exercitio.»

EX S. COSfiRBGATIONE CONC1LIL

ORDINIS SUBDIACONATUS ET DISPENSATIONIS.

Die 28 ***Iulii*** **1866.** ***Sess.*** 23 ***c.*** 5 ***et c.*** 13 f/**e ite/.**

Compendium facti. Livius pauperibus ortus parentibus brevi patre orbatus est. Eius patruus satis dives curam alendi sex filios demortui fratris suscepit: sed tres pravis imbutos moribus e domo expulit: coeterorum vero alter militiam ecclesiasticam suscepit, alter, qui Livius est, coactus fuisse dicitur ad eamdem suscipiendam militiam, ut tertius nepos qui filius erat fratris ex prima uxore omnia patrui bona nancisceretur.

Livius adolescens Seminarium est ingressus , sed nunquam scholasticum annum in eo complevit : namque singulis propemodum annis per plures menses curandae valetudinis causa domum revertebatur.

Adveniente s. Ordinationis tempore rite suscepit Ordines minores, et Subdiaconatum. Sed quaestio est an sponte vel ita coacte Subdiaconatum susceperit, ut invalide eum suscepisse sit dicendus, aut saltem indulgentiam Apostolicae dispensationis mereatur ob coactionis illatae causam.

Cum super hac re mortuo patruo preces S. Congregationi Concilii Livius admovisset, rescriptum fuit de more Episcopo ***pro informatione et voto, ut referret de antecedentibus ac subsequentibus Oratoris Ordinationem.***

Accepta ab Episcopo informatione et voto aliud rescriptum prodiit: ***utatur iure suo coram Curia episcopali servatis de iure servandis prout et quatenus de iure.***

Itaque in episcopali Curia processus confectus est, prae oculis habita Constitutione Benedicti XIV., quae incipit: ***Si datam.,*** ac denique sententia emissa est quae his verbis concludebatur: « Ordinationem ad Subdiaconatum receptam a Livio fuisse nul-

)> Iam ob defectum voluntatis ab intrinseco, et moralem coaetio-
» nem ab extrinseco.»

Causa autem in gradu appellationis per Defensorem s. **Or**dinis ad S. C. C. remissa, rescriptum prodiit: ***ponatur in folio, citato defensore validitatis Ordinis:*** itaque causa pertractari in— coepit ut in S Congregatione definiretur.

Breviter attingam quae ex actis processualibus ad vim Livio illatam, metumque incussum referuntur.

Plures aderant testes qui sub iuramento testati sunt, Livium multis modis patefecisse perpetuam voluntatem statui ecclesiastico adversam: eamdemque voluntatem ostendisse ante receptionem minorum Ordinum, et s. Subdiaconatus. Ita unus testis de minoribus Ordinibus loquutus est: « Livius mihi pluries dixit, se
» ad tonsuram recipiendam invitum et contra suam voluntatem
» accedere, sicut etiam ad duos primos, reliquosque minores Or-
» dines. Ego ipse concinnavi eo modo quo potui quamdam syno-
» psim eius doctrinae, quae solet in examine exponi; et ne in
» perpetuum patrui odium offenderet, ac extra domum dereli-
)> ctus vitam mendicando ageret, memoriae mandavit tractatum
» de actibus humanis... Contigit autem ut in examine post pau-
» eas interrogationes probatus fuerit, quod ei magno dolori fuit.
» Tum enim flens vota expromebat, ut Deus voluntatem patrui
» mutaret, quippe qui in ore habebat: ***aut presbyter, aut miles et fo-***
» ris.» Item alter testis fassus est: Livium priusquam ad urbem N. accederet ut s. Subdiaconatus Ordine initiaretur, sibi repetiisse: ***ad recipiendum s. Ordinem accedo, sed absque mea voluntate.***

Alter testis deposuit: « antequam Livius in urbem N. profici-
» sceretur a me postulavit ut alloquerer patruum suum ut consilium
» deponeret ipsum cogendi ad s. Ordinationem. Id feci sed eius
» patruus mihi* respondit: certus sum Livium nolle presbyterum
» fieri ; nihilo secius ego volo ut presbyter fiat, quia tu no-
» scis, me in ea esse voluntate ut unus tantum domi meae ma-
)) neat ex nepotibus saecularis, ut meum patrimonium indivisum
» maneat.... In militum delectu ipsi ut scis sorte obtigit ut in-
» ter milites conscriberetur, atque ideo, si s. Ordinem non su-
» scipit, militare debet. Itaque ei dices meam firmam esse vo-
» luntatem, ut presbyter fiat: quod si secus velit, stipendia exer-
» ceat, ita tamen ut a me non amplius aspiciatur. »

Alii testes idem repetebant, nempe patruum in ea firma voluntate fuisse, ut nepoti suo constanter proponeret aut presbyteratum aut militiam, ita tamen, ut, si miles fieret, domo perpetuo expulsus censeretur: atque in eadem voluntate constanter perstitisse usque ad horam qua Livius in urberr N. erat profecturus ut Subdiaconatus Ordine initiaretur.

Interrogatus Livius a Iudice : ***qua intentione urbem N. petierit, an ut ad Subdiaconatus Ordinem ab illo Episcopo promoveretur, vel non?*** Respondit: « Eo quidem animo in urbem N. ac-
» cessi, ut mihi ipsii persuaserim, Episcopum me esse interrogatu-
» rum de ecclesiastica vocatione, quem ego adprecaturus eram ut pro
» me intercederet apud patruum meum, atque ab eius mente in-
w faustum propositum averteret, hac ratione sperabam s. Ordinatio-
» nem me esse evasurum. Sed res secundum meam opinionem non
» cessit: namque cum ego in urbem **N.** pervenissent pridie Ordi-
» nationem, me ad Episcopum contuli, qui coram multis me re-
» cepit, atque haec verba dumtaxat ad me dirigens: ***es tu Li-***
» vius N. N. ? statim me dimisit subiungens: ***itaque die crastina***
» te in templo videbo. Ego spe deiectus.... ad s. Ordinationem
» ad instar ***machinae*** accessi; firma iugiter manente mea vo-
» luntate qua statuerant nolle me voto obstringere neque s. Sub-
» diaconatum valide suscipere. »

Post Livii ordinationem mors contigit alterius nepotis quem patruus haeredem suum statuerat; ac testes unanimes erant affirmantes, patruum poenituisse admodum illius quod egerat ut Livius Subdiaconus fieret: aiebat enim si id scivisset, nunquam se facturum, ut Livius Subdiaconus ordinaretur : ac praeterea modum cogitasse quo Livius ab Ordinis suscepti vinculo solvi posset.

I$i$eeg»4atio synBOgataca.

DEFENSIO LIVII. — Livius in suae causae defensionem Causidicum in Urbe constituit (1), qui rerum gestarum serie ampie enarrata, ante omnia contendebat, Livium per metum cadentem in constantem virum fuisse promotum ad s. Ordinem Subdiaconatus; ideoque eius Ordinis oneribus non teneri.

(i) Causam Livii dixit Salvator Pallottini Advocatus.

Ut ostenderet autem nexum harum propositionum, doctrinam in tribunalibus receptam copiose exponebat, iuxta quam distinguitur ***coactio absoluta, a coactione*** quam ***conditionalem*** vel ***causativam*** appellant : naturam autem absolutae coactionis eam esse, ut irritum reddat s. Ordinationis actum : contra, coactionem causativam s. Ordinationem non infirmare; at quaestionem olim fuisse, an ita coactus obstringeretur obligationibus quae cum s. Ordinatione sunt connexae: quamvis autem Doctores in hac quaestione in diversas abierint sententias, alii enim ipso facto non obstringi inquiebant, alii vero dispensationi Apostolicae locum dumtaxat fieri; attamen primam sententiam praevaluisse, quae docet Ordinatum ex causativa coactione ipso facto ad onera s. Ordinis non teneri.

Hac exposita doctrina ac variis decisionibus roborata, non contendebat Defensor heic agi de absoluta coactione, sed dumtaxat de coactione conditionali et causativa, orta ex metu cadente in constantem virum: proindeque totam quaestionem perstringebat ad quaestionem facti, an eiusmodi coactio locum habuerit in praesenti themate.

Atqui ex expositis testium depositionibus Livium nunquam expertum vocationem divinam ad ecclesiasticam militiam; quin imo huic statui suscipiendo contrariam voluntatem iugiter ostendisse; in sacras scientias nunquam incubuisse, nihilque in illis profecisse; non alia de causa ad s. Ordinem suscipiendum accessisse nisi ex coactione a Patruo illata firmis validisque verbis: ***aut presbyter, aut miles et foris;*** quin Livio profuerint enixae preces, neque fletus, neque opportuni mediatores missi ad patruum dimovendum e suo constanti irrationabili proposito; eoque ipso die, quo Livius discessit ut in urbem N. se conferret, nihil praetermisisse, quo patrui animum illacrymans flecteret, atque nihilominus omnibus paratis discedere coactum fuisse ad s. Ordinem suscipiendum.

Haec omnia gesta esse subiungebat Defensor in iuvene egeno, patre ab infantia orbato, cuius vidua mater, sicut ipse Livius, horresceret militiam saecularem, quam nec ipse patruus in ea disiunctione ***aut presbyter aut miles*** pari electione Livio proponeret: namque si miles fieret non amplius domi Livium recepturus erat.

Neque confugere potuisse Livium ad proprium Episcopum, qui extra suam dioecesim tum versaretur, neque cum altero Ordinationis Episcopo conqueri potuisse, iuxta ea quae ingenue sub iuramento ipse Livius fassus fuerat.

Atqui haec omnia satis esse Defensor contendebat ad constituendum metum illum qui dicitur cadens in constantem virum. Et ad rem adducebat id quod perpendit S. Rota in quadam causa ***Leodien. Nullitatis Ordinis Subdiaconatus*** diei 10 Ianuarii 1C89 ***coram. Emerix iuniore,*** in qua legitur: « in facto » talis metus visus fuit sufficienter probatus ex depositione loan- » nis. . . . . qui recensendo totam seriem tractatus ait, se de » mandato parentum accessisse ad Villam in qua Petrus mora- » batur, eique ***comminatum fuisse illorum indignationem et ex-*** *it* ***haeredationem, seu privationem bonorum palernorum,*** nisi pate- » retur s. Ordinem Subdiaconatus sibi conferri, et hanc ipsam » comminationem illi repetiisse eodem die peractae Ordinatio- » nis, quo nimirum, paratis omnibus necessariis pro collatione » Ordinis, ipse adhuc valde anceps haerebat. ***Eiusmodi enim » comminationes indignationis parentum et amissionis maioris par-*** *it* ***tis bonorum sunt aptae incutere metum cadentem etiam in con-*** *iti* ***stantem virum per textum in cap. i de iis quae*** w...ac multo » fortius Minori, qualis de tempore Ordinationis erat Petrus cu- » ius aetatis iudicium fragile et infirmum, ac passim captionibus » obnoxium appellat Ulpianus iurisconsultus in ***L. i ff. de Minor.»***

Quibus etiam illud in casu accedebat, Livium in suscepto Subdiaconatus Ordine ministrare noluisse, quamvis id esset palmo causa indignationis.

Post haec cum gradum faceret Defensor ad alterum expendendum dubium, animadvertebat, facta etiam hypothesi, in praesentia non constare de nullitate obligationum , locum tamen esse Apostolicae Dispensationi. Livius enim bonis imbutus moribus vinculo sacri Ordinis coacte ligatus, non sine fidelium scandalo et Ordinis ecclesiastici dedecore in mala facile ruere posset: namque usque ab initio quo Deum obsecraverat ut patrui consilium immutare!, non intellexerat verbum illud quod ***non omnes capiunt:*** agi praeterea de oneribus, quae lege ecclesiae sunt Subdiaconatu! adnexa, deque Ordine, qui antiquitus non recensebatur inter maiores.

Caeteris autem omissis plura exempla sub oculis EE. Patrum' ponebat Defensor, quibus in similibus casibus S. Congregatio pro Dispensatione indulgenda sententiam tulerat.

EA QUAE IN CONTRARIUM DISPUTABANTUR. —Defensor s. Ordinationis ***ex officio*** (qui in eiusmodi causis accersiri solet ex similitudine quam habent cum causis matrimonialibus et Religiosae-professionis, in quibus eius interventus omnino praescribitur) animadvertebat, Livium Ordinibus tam minoribus, quam Subdiaconatus fuisse initiatum post preces quas ipse porrexerat,, petitis etiam Literis dimissoriis, et obtenta ab interstitiis dispensatione.

Mortuo patruo cum haeres factus fuisset ac proinde dives, tum solutionem petiisse a vinculo s. Ordinis; ac nonnullis animadversis circa acta processus, ad causae meritum de veniens contendebat, deficere in casu concludentes probationes de vi gravique metu, qui necessario requiritur ut susceptarum obligationum nullitas iure firmari possit. Eiusmodi autem metum tum haberi aiebat cum eiusmodi concurrant conditiones, nimirum 1°, ut malum quod timetur sit reapse grave; 2° sit praesens; 3° sit inevitabile. Ex defectu autem cuiuscumque harum conditionum metum levem dici, nec ad rescindendam validitatem actus idoneum : in praesenti casu totam coactionem repositam esse in illis repetitis verbis: ***aut presbyter, aut miles:*** eaque verba accipienda esse in sensu potius hortationes et suasionis, ut melius bonum Livius eligeret; maxime cum pondus saecularis militiae id temporis in pacifico regno suetum esset patriae tributum ; proindeque abhorrere a militia exercenda Livium non potuisse: nec eiusmodi militiae horrorem, si qui adesset, metum gravem constituere potuisse; deesset enim asperitas , violentia, poenae ad extorquendum assensum pro s. Ordinis susceptione.

Deficere praeterea secundam conditionem, mox propositam, prosequebatur Defensor: namque in actu s. Ordinationis nullus aderat, qui metum incuteret, et nemo censetur timere absentem, uti ponderat Pignatellius ***tom.*** 9 ***consult.*** 181 ***n.*** 7., absens autem erat patruus in actu s. Ordinationis ; longo enim itinere suscepto plene liber evasit Livius, et sine ulla dubitatione et-repugnantia s. Ordinem suscepit.

Tertiam denique defuisse conditionem, quam in eo Defensor" ponebat, ut malum quod timetur sit inevitabile, sic ostendebat. Cum minae a patruo illatae verbis exprimerentur ***aut presbyter, aut miles,*** malum quod Livius timeret, non aliud esse inquiebat nisi militiam, quae neque malum est neque inevitabile. Facile namque potuisset Livius sperare fore ut a militia pretio soluto a patruo liberaretur; vel praesidium ab Episcopo implorare; vel confugere ad exteras nationes ad militiam evitandam. Quod si patruus noluisset Livii consulere necessitatibus , propriis laboribus sibi victum quaerere potuisset: namque de iuvene agebatur unum et viginti annos nato. Ad rem Pignatellius ***loc. cit. n.*** 24 «Si facile professus potuerat minas evitare ac immunis penitus » reddi ita ; ut metus nunquam sit sufficiens ad hunc effectum » nisi talis sit, ut is qui timet alia ratione non possit facile illi » malo occurrere quod timetur, ut probant Sanchez ***de matr.*** » Z. 4 ***disp. in.*** 10... •>*)* Consonat Pitonius qui in ***discept, eccles.*** 82 ***n.*** 15 scripsit: « Tertia conditio, quae est ***ut patiens metum facile » resistere non possit,*** pariter deficit in praesenti easu, quia Co- » mitissa erat in urbe , ubi poterat de facili occurrere malo , » adeundo Superiores: quod cum non fecerit, sibi imputare debet, » cum stante recursu ad Superiores per quem poterat evitare coa- » ctionem, metus nunquam dicitur gravis ut in puncto Sanchez etc.»

Quare concludebat Defensor non quidem vim moralem, multoque minus physicam impulisse Livium ad s. Ordinem recipiendum , sed rei consideratione, et electione propria illum elegisse, unicamque rationem resiliendi post mortem patrui esse divitias, quibus eius conditio commutata fuerat.

Neque exhaeredationis timorem in praesentia afferri posse subiungebat: namque ex testium dictis consequi aiebat, ut Livius sive presbyter fieret, sive non, exhaeredatus abiret, cum dumtaxat in altero nepote patruus sua bona cumulare intelligeret.

Post haec deesse concludebat causam dispensationis, quae esse non posset desiderium Livii ducendi uxorem.

His utrinque ampie disputatis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An sit confirmanda, vel infirmanda sententia Curiae » episcopalis in casu.

» Et quatenus negative ad primam partem, et affirmative ad » secundam

II. » An sit locus dispensationi in casu. »

RESOLUTIO.—S. Congregatio Concilii causa discussa die 28 Iulii 1866 respondere censuit:

Ad I. ***Sententiam esse in firmandam.***

Ad II. ***non expedire.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Sacram Ordinationem ex defectu intentionis illius qui sacros suscepit Ordines non posse iudicari nullam, nisi ostendatur suscipientis voluntatem fuisse in actu Ordinationis positive contradicentem

II. Eiusmodi voluntatem positive contradicentem in foro esterno ostendi per probationem coactionis in actu s. Ordinationis illatae, quae dicitur ***absoluta.***

III. Coactionem, quae ***causativa*** dicitur, non impedire quominus s. Ordinatio valida sit; voluntas enim coacta voluntas est (1).

IV. Stante s. Ordinationis validitate, onera s. Subdiaconatu! adnexa a suscipiente contracta non censeri, si Ordinandus ostendatur vi metuque gravi fuisse directe impulsus ad suscipiendum s. Ordinem (2).

(I) De hac coactione absoluta et causativa loquuti sumus in altera huius generis causa *Sacrae Ordinationis,* quam retulimus in *Votum. I. pag.* 330 *in adn.* -Coactio absoluta haberetur ex. gr. si aliquis reluctans per vim aut ligaminibus traheretur ad actum s. Ordinationis suscipiendae. Tum enim irritus in foro externo declarandis esset s. Ordinationis actus. E contrario causativa coactio dicitur, quando aliquis invitus cogatur morali quadam coactione per inflictionem aut comminationem alicuius nali, quae coactio licet voluntarium imminuat, tamen non tollit: voluntas enim coacta voluntas est, *Leg. 2\ .ff. Si Mulier Quod metus causa.* Eiusmodi autem moralis coactio talis esse potest, quae impediat quominus sic ordinatus voto continentiae ligetur; vel causa esse potest Apostolicae dispensationis; vel, ut frequentius contingit, idonea non ostenditur sive ad primum, sive ad secundum iudicandum.

(2) Rari admodum sunt casus in quibus S. Congregatio Concilii responderit, Oratorem non teneri ad votum castitatis. Defensor Livii qui studuit colligere omnes causas quae ad susceptam defensionem conferrent, duas tantum valuit reperire in quibus Oratores ex coactione ordinati ab obligatione servandi votum castitatis soluti declarati sunt absque ope Apostolicae dispensationis. Una autem est *Namurcen. Dispensationis* , quae pluries proposita, ac disputata, tandem die 10 Martii 1731 resoluta est verbis : *non teneri ad votum continentiae:* et altera

V. Deficiente ex aliqua parte severa eiusmodi probatione, locum fieri posse gratiae dispensationis, quoties omnibus adiunctis consideratis ea expedire S. Congregationi videatur (1).

VI. Colliges praeterea eiusmodi causas affines esse causis matrimonialibus et professionis religiosae ; ideoque in ecclesiasticis tribunalibus simili modo pertractari.

•*Gratianopolitana,* diei 8 Iulii 1762, in qua proposito dubio : « An sit locus di- » spensationi a voto continentiae : » responsum fuit: *constare de nullitate voti continentiae.* Aliae autem numero quatuor, quae a Defensore adducebantur, pro gratia dispensationis fuerant resolutae. E contra multae in *thesauro resolutionum S. C. C.* continentur, in quibus Oratores nihil obtinuerunt; etiam aliam huius generis causam videsis quam adduximus in *Votum. I, pag.* 828.

(1) S. Congregatio in praesenti causa ad primum dubium explicite dixit: *sententiam curiae esse infirmandum:* dum iuxta morem respondere debuisset: *negative ad primam partem, affirmative ad secundam.* Ratio autem huius diversitatis responsionis (quae tamen, ad substantiam quod attinet, in eundem sensum •recidit) repetenda est ex indole sententiae curiae: sententia enim isthaec quaedam interserta habebat motiva, quibus inniti non poterat, ita ut si ea conclusa sententia merita esset confirmationem, Sacra Congregatio neque dixisset, *affirmative ad primam partem,* ob dicta motiva, sed aliis verbis usa esset, puta: *non teneri ad votum continentiae,* ut respondit in *Namurcen, dispensationis* et in *Gratianopolitana.* Namque declaranda non est nulla iu foro externo Sacra Ordinatio ex defectn voluntatis suscipientis, nisi ostendatur in actu sacrae Ordinationis suscipientem fuisse coactum *coactione absoluta.* et confessio quamvis iudicialis a Livio lacta, qua se non intendisse ait obstringere voto continentiae, neque valide Subdiaconatum suscipere, non potest in fore externo vim habere probationis.

Die 12 *Aug.* f865, *et* 22 *Septemb.* 1866. *Sess.* 25 eo-/?. 9 tfe *Reform.*

Compendium facti. Angela B. e pago C. postremum his verbis elogium moritura edidit die 17 ***Nov.*** 1605 - ***suam haeredem*** (sunt verba testamenti) ***universalem instituit... Cappellam in Altari s. Bernardini existen. in ecclesia s. Petri dictae Terrae C. et iuspatronatus iustae nominandi et Cappellanos praesentandi in infinitum et in perpetuum duraturum super ea constituit... Et dictum ius patronatus ac praesentandi.... spectet et spectare debeat ad domum familiamque suam de B. de illis habitantibus dictam Terram C. et finita dicta familia, spectet et pertineat ad alios B. habitantibus in Civitate N.***

Homines e femilia B. de Terra C. ius praesentandi Cappellanum exercuerunt a tempore fundationis usque ad annum 1646,. quo anno Cappellaniam Ioannes assecutus est, isque anno 1691 cappellaniam in manu Summi Pontificis favore Antonii renunciavit. In sex, quae ex eo tempore ad annum 1827 subsecutae sunt, cappellaniae vacationibus, eamdem semper Apostolica Dataria absque aliqua Patronorum nominatione atque ulla plane eorumdem contradictione contulit: id autem accidit, quia semper cappellania sub regula ***reservationis vel affectionis*** ceciderat, sive scilicet quod in manu Summi Pontificis renunciata fuerat, sive quod Cappellanus in Curia moriens cappellaniam vacuam reliquerat.

Ultimus Cappellanus, nomine Paulus, obiit extra Curiam anno 1863. Itaque ab Ordinario publicis de more monitionibus evulgatis plures extiterunt, qui e familiis de B. tum Terrae C, tum civitatis N. sese descendere iactitarent, adeoque ius praesentandi Cappellanum sibi competere contenderent. Quoniam vero utili tempore nemo ex iisdem iurispatronatus pertinentiam concludenter demonstraverat, Ordinarius rem ad sacram Datariam detulit, quae cappellaniam libere contulit Petro a nullo»» ex assertis patronis nominato.

Unus autem ex his, nomine Ludovicus de K., spe omni destitutus pro ea vice Cappellanum praesentandi, a Summo Pontifice petiit et obtinuit, ut interim causa super iurispatronatus pertinentia penes S. C. Conc. pro futuris vacationibus disceptaretur. Itaque S. Congregatio tum Ordinarium, tum fiscalem Curiae Promotorem super precibus in petitorio tantummodo pertractandis in scriptis audiri mandavit. Iamvero uterque novis Ludovici deductionibus sedulo inspectis, quibus vel per Parochorum testimonia, vel per Notariorum instrumenta ostendebatur, Ludovicum ipsum B. recte descendere a quadam Laura, quam ad familiam de B., de civitate N. certissime pertinere constabat, sententiam Oratori propitiam aperuerunt, quae videlicet ferebat, plene constare de existentia iurispatronatus favore Oratoris, propterea quod ***extinctionem familiae de B de Terra C. in dubium vocari non posse*** Ordinarius affirmabat.

Disceptatio synoptica.

QUAE FAVORE ORATORIS DEDUCEBANTUR. — Orator in primis statuebat nullum ius contra veros patronos Datariae Apostolicae acquisitum fuisse ex septem antecedentibus collationibus (ultima nempe addita): non quidem vi ***praescriptionis,*** quia cum agatur <le patronatu gentilitio, quilibet ex vocatis venit ***iure proprio,*** nec ullum detrimentum patitur ex negligentia antecessorum. Piton. ***De Contr. Pat. Ali.*** 2 rc. 22. De Luca ***De iur. Patr. disc.*** 35 n. 7. S. C Conc. m ***Prae-nestina*** die 2 Aug. 1862. et est communis doctrina; neque etiam ex vi longaevae observantiae, quae praesumere faciat absconditum legitimumque titulum, quia res facti erat Apostolicam Datariam cappellaniam semper in singulis plane vacationibus contulisse sive quod reservata sive quod affecta remanserat. Iamvero manifestum esse patronalem beneficii statum non immutari, et nullum detrimentum ex utraque causa patronorum iuri a Dataria inferri solere, ut omnes tradunt Doctores, nominatim De Luca ***De iur. patr. Dis.*** 5 n. 5: Piton. De ***Contr. Patr. Alleg.*** 72. ***n.*** **8:** ***S. Rota Rononien. Parochialis die*** 3 ***Iul.*** 1639, ***%. Nec obstante***

Exclusa igitur Dataria, et exclusis omnibus assertis patronis de Terra C. quippe in eo oppido extinctio familiae de B. in dubium revocari Ordinario teste, non poterat, ut diximus,

Orator totus in eo erat, ut ad se unum, tamquam descendentem a familia de B., e civitate N. secundo loco vocata, iuspatronatus omnino spectare demonstrare!. Aiebat in primis iuspatronatus, de quo res est, esse vere et proprie gentililium.- Hoc enim tum locum habere docente Lolterio ***De Re Ben. Lib. i q.*** 12n. 3., « quando fundator voluit illud pertinere ad gentem » vel familiam aut suam aut alterius personae a se dilectae.» Et sane; ex familiae vocabulo satis superque iuspatronatus gentilitium iudicari communiter docent Auctores et Sacra Rota, ac nominatim S. C. ***Firmana Iarisp.*** die 29 Martii 1862. Iamvero tale dicendum esse iuspatronatus ab institutrice Angela constitutum perspicue declarari verbis - ***dictum iuspatronatus spectet ad domum familiamque suam de B.***

Cum itaque Orator per Lauram de B. ex familia ab institutrice vocata descenderet, veluti elucebat ex arbore genealogica per omnes gradus concludenter iustificata, perspicuum erat ipsum indubitate ad iuspatronatus vocatum dici omnino debere. Neque enim caeteroquin officere poterat, ipsum ad cognatitiam familiae vocatae lineam adtinere ; familiae siquidem nominenon modo agnatos (seu descendentes per medium masculinum), sed et omnes cognatos (seu descendentes per medium foeminінum) comprehendi firmat ***L.*** 5 ***C. de verb. et sign.*** S. C. Conc. in ***Verulana Canonicatus diei*** 8 Iulii anni 1865. Hinc fit, ut extantibus adhuc cognatis iuspatronatus gentilitium in ultimo ex agnatis non efficiatur haereditarium. Card. De Luca ***Disc.*** 22 ***n.*** 10 ***de Iur. palr.*** Piton. ***Alleg.*** 100 ***n.*** 190 ***de contr. patr.*** S. C. Con. in ***Fubrianen. Iur. patr.*** die 12 Iul. 1845. §. ***Ea quibus.*** Hisce positis concludebat Orator nullum superesse dubium, quin plene constare de existentia iurispatronatus sui favore decerneretur.

QUID EX OFFICIO EXCIPERETUR CONTRA RATIONES AB ORATORE PRODUCTAS.— Ante omnia aliquae dubiorum umbrae suffundebantur super asserto facto, scil. familiam tam masculinam quam foemininam de B. e Terra C. primo loco vocatam penitus exaruisse : idem fiebat de masculina linea familiae de B. civitatis N. secundo loco vocatae. Cum enim ex utraque masculi et foeminae extarent anno 1741 (quo ex anno nomen de B. in libris parochialibus Terrae C. haud amplius reperitur), incredibile videbatur,

omnes absque prole obiisse, quamvis ob extremam, in quam lapsi erant, paupertatem asserti patroni, alioqui rudes et ignorantes, propositum suum demonstrare non possent.

Insuper animadvertebatur in id plerosque rerum canonicarum interpretes, convenire, ut quotiescumque testator aliquis directe, impersonaliter ut aiunt ***domum seu familiam*** vocaverit addito simpliciter cognomine , prout in themate factum fuisse constabat, tum taxative linea agnatitia vocata intelligatur S.Rota in ***Cingulana Testamenti coram Zinanni*** diei 25 Aug. 1818, quin proinde linea cognatitia in ***subsidium*** admitti possit, ut penes S. C. C. in ***Fabrianen. lurisp. die*** 2 ***Iulii*** 1845, ideoque iuspatronatus, linea agnatitia deficiente, evanescere, et beneficium liberae collationis evadere, aut saltem de gentilitio converti in haereditarium.

His aliisque animadversis, die 12 Aug. 1865 in plenis comitiis S. C. Conc. dubium propositum fuit.

« An constet de existentia iurispatronatus favore Ludovici » de B— in casu. »

Emi Patres rescripserunt:

Dilata, et pro nunc audiantur Ministri Datariae Apostolicae.

EIUSDEM CAUSAE CONTINUATIO. — Ministri Apostolicae Datariae iuxta mandatum S. C. auditi, per Emum Pro-Datarium responderunt, ad S. C. pertinere iudicium ferre de indiciis et coniecturis, quibus genealogicam Oratoris arborem inniti praesumebatur: nam siquis ex familiis vocatis adhuc reapse extitisset, mirum profecto videri, neminem spatio annorum 170 unquam sua iura persequi adnisum esset. Quamvis autem haec difficultas superabilis visa fuisset, nihilominus obstabat exceptio, Ludovicum ex ipsa sua confessione per lineam cognatitiam, seu quod idem est, per foeminas a familia de B. descenderet; nonnisi enim per accidens item Ludovicus cognomen de B. gerebat. Hoc posito Ministri Datariae Apostolicae ad doctrinam, quam superius innuimus, confugiebant, qua iuxta Sacram Rotam Romanam in ***Cin:,idana coram Zinanni*** ac de Luca ***De Fideicom. Summ. lib.*** 10 ***de concur. agnat. et cogn.*** docetur, vocationem familiae impersonaliter factam cum additione cognominis ***de domo et familia,*** indicare agnationem: ac proinde ultimum qui agnatione cum fundatore coniungitur iuspatronatus ex agna-

titio haereditarium facere iuxta receptam Ancharani Theoricam,qui constabilivit, ***iuspatronatus in ultimo ex vocalis fieri haereditarium;*** ac proinde iuspatronatus haereditarium effectum praescriptioni obnoxium esse. Quocirca si Ludovicus iuspatronatus sibi competere praesumeret tanquam cognatus, Ancharani Theoricam eumdem plane repellere; quod si idem ius sibi vindicaret tanquam haeres, praeterquam quod qualitatem haereditariam demonstrare deberet, praescriptionem favore Datariae spatio 170 annorum stabilitam omnem aditum ei iuri recuperando intercludere.

QUA RATIONE ORATOR DATARIAE DEDUCTIONES REFUTARET. — Exceptiones a Datariae Apostolicae Ministris oppositas strenue refellebat Orator ; in primis iterum statuebat patronalem cappellaniae statum a Dataria Apostolica nec esse immutatum, nec immutari potuisse ob collationes ex titulo reservationis vel affectionis antea peractas, repetitis auctoritatibus iam in praeterita propositione allatis, atque novis etiam in confirmationem adductis.

Subinde ad aliam difficultatem gradum faciebat, quae maioris momenti erat, nempe, ipsum ab Angela institutrice ortum habere, ab eaque in iurispatronatus constitutione comprehensum fuisse. Hinc ante omnia insistebat in arboris genealogiae ab se exhibitae veritate adstruenda, iuxta quam ipsum a familia secundo loco vocata derivare per Lauram de B. ut supra vidimus, atque cum Angela consanguineitate iungi constabat; ideoque ad cognatitiam familiae primitus in secunda Sede vocatae lineam descendentem spectare compertum esse demonstrabat.

Post haec animadvertebat, in testamento Angelae, quando sermo est de familia de B. e civitate N. secundo vocata, eamdem non addidisse pronomen ***suae:*** quo posito descendentes cuiuslibet familiae cognomen de B. ibidem praeseferentis, etiam consanguineifeate non probata, iurepatronatus gaudere dicendos esse, prouti perpenditur in una ***Melevitana Canonie.*** 14 ***Feb.*** 1846 ***<§. verum.*** Hinc tametsi Orator consanguineitatem cum Angela comprobare nequivisset, non idcirco a iurispatronatus fruitione repellendum esse. Quid autem, quod concludenter huiusmodi consanguineitatem arbor genealogica plene iustificata sub oculis ipsis perspicuam exhiberet?

Frustra vero, subsumebat, Ministros Datariae Apostolicae auctoritatem Cardinalis De Luca et S. Rotae Romanae depromere, quasi Angela vocans ***familiam de B.*** descendentes cognatos repulisset. Nam hanc doctrinam, quae vim exerere potest in rebus fideicommissariis , non recipi in iurepatronatus, quod reputatur ***materia indifferens,*** et in quo simultanee agnati cum cognatis admittuntur, uti ponderatur in quadam causa S. C. C. ***Nullius Sublacen. Canonie.*** 23 ***Apr.*** 1852 ***§. Quod eo magis.***

Et reapse non deesse Doctores qui teneant sub vocabulo ***domus et familiae*** comprehendi tam agnatos, quam cognatos «t utrosque in iurepatronatus exercendo posse concurrere: quos Doctores sequitur. Rota in ***Veliterna*** 14 ***Decembris*** 1853 ***coram Seraphim.***

Illud autem explorati iuris esse, et ab omnibus communiter receptum, ut cognati in ***subsidium et per posterius,*** ut aiunt, veniant, videlicet in casu, quo agnati non extent, Carol. Ant. De Luca ***De hin. Leg. art.*** 22 ***n.*** 7 et S. ***Rota*** passim. Cum itaque nullus alius de familia agnatitia concurrere!, prono descendere alveo, ut Orator ipse saltem in subsidium ac per posterius ad ius nominandi admittendus esset. Denique explicabat casum, quo, finita agnatione , iuspatronatus extinguatur, quin cognati descendentes in ipsum succedere valeant: idque praesertim locum habere ostendebat, cum in disponentis testamento manifestum ac patulum est rigorosum agnationis votum, et insuper foeminae per modum regulae excludantur, Card. De ***LwdLib.*** 10. ***De concur. Agnat. et Cognat.***

His animadversis propositum denuo est derimendum

Dubium.

» An constet de existentia iuris patronatus favore Ludovici ***y>*** de B.... in casu. »

RESOLUTIO. — Emi Patres die 22 Sept. 1866 rescripserunt: ***affirmative.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Iuspatronatus gentilitium tum dici cum fundator illud reservavit favore descendentium alicuius gentis vel familiae ab ipso designatae.

II. In iure patronatus gentilitio, in quo descendentes veniunt iure proprio, negligentiam antecessorum non laedere successorum ius, ideoque contra eos praescriptioni locum esse non posse.

III. Collationes a Dataria Apostolica ex titulo vacationis in Curia vel renunciationis in manus S. Pontificis nullum afferre detrimentum patronis quoad iurispatronatus pertinentiam.

IV. Sub nomine ***domus et familiae*** comprehendi solere no» solum agnatos seu descendentes per masculum , sed etiam cognatos seu descendentes per foeminam, nisi ostendatur testato rem expresse vel tacite cognatos exclusisse.

V. Deficiente linea agnatitia compertum esse succedere iuspatronatus cognatitiam lineam, quae exclusa a Testatore no» fuerit.

SERVITII CHORI.

Die 22 ***Septembris*** **1866.** ***Sess.*** **24 c. 12** ***de Reform.***

Compendium facti. — In quodam oppido N. ecclesia adest» quae e Clero sibi adscripto quemvis in chorale servitium recipit , et ad perceptionem emolumentorum admittit; ideoque inter ecclesias, quae ***receptitiae innumeratae*** appellantur, recensetur.

In more nihilo secius eiusdem ecclesiae positum est , ut omnes illi clerici, qui eidem ecclesiae adscripti sunt, vix ac Presbyteratum assequuntur, per annum a die prima Septembris ad ultimam usque diem mensis Augusti sequentis anni, gratis debeant eidem ecclesiae inservire, priusquam ad fructuum perceptionem admittantur.

Antonius, qui eidem Clero erat adscriptus, statim ac ad sacrum Presbyteratus Ordinem est promotus, a Vicario Capitu-

lari postulavit, ut a gratuita servitii choralis praestatione eximeretur, ita ut haberetur tamquam praesens in eo officio gratis obeundo, ipsumque officium per annum duraturum intelligeretur incoeptum non quidem a die prima Septembris, sed a die suae Ordinationis, idest a die prima Aprilis.

Vicarius Capitularis, inscio praedicto Clero, benigne excepit preces supplicantis: namque animadvertens non adhuc Antonium complevisse facultatis theologicae curriculum, eidemque fuisse a se praestitutum quoddam officium in Seminario obeundum, eumdem exemit a servitio ecclesiae receptitiae gratis exhibendo, ita ut tanquam praesens considerandus esset, dummodo tamen non obstaret aliquod speciale statutum auctoritate rite firmatum, quod legibus generalibus derogaret.

Statim ac eiusmodi decretum denunciatum fuit receptitio Clero ut exsecutioni demandaretur, hic unanimi suffragio obstitit, suae consuetudini innixus, quae resolutionibus etiam collegialibus anni 1795 firmata fuerat: ac propterea suas rationes Vicario Capitulari ea qua par erat observantia pluries exposuit, ut decretum illud vellet revocare. Cum autem incassum res cessisset, suas querelas Clerus admovit S. Sedi.

Itaque de more servatis servandis quaestio proposita est sub dubio in calce posito.

Disceptatio syuoptica.

Clerus per causidicum **(1)** suas rationes adducebat, quae ad sequentes reducuntur. Demonstrata in facto vetustae consuetudinis existentia, quae confirmata fuerat etiam collegialibus resolutionibus, Defensor observabat, ipsum decretum Vicarii Capitularis eo ipso concidere: namque erat alligatum conditioni illi: ***dummodo non obstet aliquod speciale statutum auctoritate rite firmatum quod legibus generalibus derogaret.*** Hoc enim statutum in praesentia adesse inquiebat, cum legitima consuetudo vim legis habeat.

Neque esse necessarium, subiungebat, proferre statutum auctoritate episcopali firmatum : notum namque est, Capitula leges condere posse absque Episcopo, quae ad peculiaria sua negotia spectent, dummodo generali ecclesiae ordini non officiant ;

(1) **Hector Appolloni Adv. favore Cleri scripsit.**

prout docet Glossa in ***cap.*** 2 ***de Verb. signif. in*** 6* ***verbo statutum,*** quo legitur: «solet dici, quod Capitulum sine Episcopo » statuta facere non potest... Si vero statuant super iis quae non •» tangunt Episcopum vel statum ecclesiae, sed sua singularia «negotia; puta quod certis modis quotidianas obventiones di-» distribuant, vel quod certo modo ad Capitulum vocentur; puta » per talem campanam, vel alio modo; vel quod certis tempo- i) ribus etiam non vocati veniant ad Capitulum, vel his similia: » satis potest dici quod super his tenet ipsius Capituli consti- i) tutio sine Episcopo, alias licita et legitima. » Item Lotterius ***de re beneficiaria I.*** 1 ***quaes.*** 14 ***n.*** 88. Barbosa ***de Canonicis et dignit. eccles, cath. et colleg.,*** aliique.

Atqui in praesentia non deerant resolutiones a Clero factae atque exsecutioni iugiter mandatae, quae neque dici potuissent destitutae auctoritate episcopali, cum Episcopi easdem noscentes et numquam reprobantes suo tacito consensu firmassent.

At re considerata iuxta leges generales ecclesiasticas, neque in Vicarii potestate esse dicebatur cum Antonio dispensare super officio ecclesiae receptitiae gratis praestando. Causae enim dispensationis adductae erant studiorum prosecutio, et officium quoddam in Seminario exercendum; atqui neutram causam legitimare Antonii absentiam contendebat Defensor, tum quia non in publica universitate studiis operam daret, iuxta ea quae tradit Reiffenstuel in ***ius can. lib.*** 3 ***tit.*** 4 5, aliique ; tum quia ea absentia in privatam Antonii utilitatem dumtaxat verteret ; maxime cum ante aetatem a S. Concilio praefinitam, Antonius fuisset sacro Presbyteratus Ordine initiatus.

His aliisque adductis propositum est resolvendum

Dubium*

v An sustineatur decretum Curiae (N.) in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii re cognita die 22 Septembris 1866 respondit: ***servandam esse consuetudinem.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Consuetudinem praeter ius inductam constanterque tamquam legem observatam, vim legis scriptae habere.

II. Praesentem consuetudinem fuisse a Clero receptitiae ecclesiae observatam tamquam legem, ideoque vim legis habuisse (1).

AEDICULAE.

Die 22 *Decembris* **1866.**

Summaria precum. Pia familia N. suae domui contiguam habebat sacram aediculam, seu publicum Oratorium, quod ideo a vetusta aetate fuerat aedificatum ut commoditati esset eidem familiae. Haec autem familia, tamquam patrona, Oratorii manutentioni, sacrisque in eo perlitandis consulebat; huius rei causa redditus ex duabus vineis provenientes eidem Oratorio adsiojnaverat.

Recentiori autem tempore cum familiae bona pluribus haeredibus dispertita, eaedemque vineae absque ullo onere cuidam cognato patrono donarentur, tum qui donavit, tum donatarius aediculae decori celebrationique Missarum prospicere curarunt. At vero cum domus cui aedicula coniuncta erat pluribus familiis deinde locata fuisset, ipsa sacra aedicula inculta fatiscebat; atque officiis religiosis inde neglectis, eius decori non amplius prospiciebatur.

Patronus in cuius dominio aedicula erat, ut dedecus removeret, eum locum in profanos usus convertere cogitavit, atque

(1) Notum est consuetudinem rationabilem triplicis speciei esse posse iuxta triplicem modum quo ad legem existentem referri potest. Alia enim est *secundum ius,* quae scilicet ius interpretatur, et firmat sensum eiusdem: alia est *contra ius,* quae iuri praeexistenti derogavit; alia demum *praeter ius,* quae scilicet aliquid novi statuit, quod in iure non est praescriptum, neque iuri adversatur. In praesenti casu res erat de consuetudine praeter ius, et si quae aderant collegiales resolutiones a Clero factae, hae non aliud erant nisi expressiones existentis consuetudinis, quae tamquam lex observabatur. Ut autem consuetudo *praeter ius* vera ac iuridica sit, nimirum tamquam lex scripta obliget, necesse est ut ea appareat inducta animo inducendi obligationem, seu tamquam lex appareat observata, alioquin resolveretur in aliquem morem coalescentem ex actibus facultates, qui veram iuridicamque consuetudinem non constituunt.

simul divino cultui alia ratione consulere; itaque suum propositum SSmo Patri articulis qui sequuntur exposuit: 1° Altare Sancti titularis et Crucifixi iconem, quae pretiosa erat, translatum iri in ecclesiam parochialem, cuius ipsa familia erat patrona, ibique congrue compositum propriis patroni sumptibus. 2° Paroeciam sibi onus suscepturam prospiciendi decori altaris, eelebrandique quotannis diem festum s. Titularis etc. 3° Patronum cautionem daturum solvendi singulis annis ducat. 20 etc.

Communicatis his precibus Episcopo ut suam aperiret sententiam atque, audito Parocho, referret de valore annui redditus, et oneribus utriusque vineae etc. Episcopus et Parochus precibus patroni suffragati sunt cum de aedicula ageretur, quae nullum caeteroquin" populo afferebat commodum, ut quae in loco minime prospero sita esset, quaeque populo ipsi raro pateret. Ut vero nosceretur quanti aestimanda essent coementa et area Oratorii, nec non quot essent redditus vinearum, binas relationes idem Antistes transmisit, a deputatis Peritis exaratas. Monuit denique, actis Curiae perqu.sitis, nullum documentum reperiri potuisse quod fundationem Oratorii respiceret.

EA QUAE EX OFFICIO ADNOTATA SUNT. — Relatus est textus Tridentini Concilii ***sess.*** 21 c. 7 ***de Ref.*** quo legitur: « ***Cum illud quoque valde curandum sit, ne ea quae sacris ministeriis dicata sunt temporum iniuria obsolescant et ex hominum memoria excidant, Episcopi, eliam tamquam Apostolicae Sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, ex ecclesiis quae vetustate vel alias collapsae sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorumdem seu viciniorum arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis, erigant altaria, vel cappellas sub eisdem invocationibus, vel in iam erecta altaria vel cappellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis....))*** Quod si ob inopiam instaurari ecclesiae nequeant, ipsa s. Synodus praeter haec, tribuit etiam Episcopis facultatem ***ecclesias dirulas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.***

Ad normam autem huius Decreti, subiungebatur, S. Congregationem in causis eidem porrectis modo demolitioni ecclesiae obstitisse, ut in ***Ravennaten.*** 29 Iulii 1775, et in ***Aesina, Demo-***

Ulionis, 26 Augusti 1780; modo, cognita legitimarum causarum -existentia, locum esse ecclesiae demolitioni respondisse : inter eiusmodi vero causas non ultimum habere locum irreverentiae periculum, quod facilius datur in desertis aediculis, maxime autem si populus nullum commodum ex eis percipiat.

Quare in ***Firmana, aediculae àie*** 12 Decembris 1761, proposito dubio: « An liceat PP. Minoribus Conventualibus Firmi clau» dere, et in alios usus convertere aediculam s. Antonii abba» tis; atque onera Missarum sint transferenda ad altare eidem » Sancto dicatum et existens in eorum ecclesia maiori eiusdem » civitatis in casu: » responsum prodiit: ***affirmative, cum onere augendi Missas iuxta votum Vicarii,*** item in ***Viterbien. Translationis,*** die 22 Iunii 1861, proposito dubio: «an sit locus profa» nationi ecclesiae de qua agitur, ac respective translationi ti» tuli beneficii cum adnexis oneribus in casu: » responsum est: ***« affirmative in omnibus, servatis tamen praescriptionibus Conci-*** ai ***Tridentini*** sess. 21 c. 7 de Refor. »

Quatenus autem EE. Patres aediculam in profanos usus converti posse censuissent, prospiciendum esse translationi ss. supellectilem et onerum Missarum quae celebrari in ea aedicula «consueverint: quamvis enim Episcopus reperire non potuerit fundationis documentum, satis tamen patronus se paratum exhibebat ad eiusmodi onera in posterum implenda, adsignatis ducatis annuis 20. Quare in quadam ***Terracinen.*** diei 14 Aprilis 1764 propositis dubiis: I. «An sit locus profanationi ecclesiae rurali » s. Nicolai in casu: II. An sacrae imagines, supellectilia et » onera quaecumque in eadem ecclesia existentia transferri et » respective adimpleri valeant in ecclesia propria Monialium in » casu: » responsum est: Ad I. ***affirmative iuxta votum Episcopi.*** Ad II. ***affirmative.***

His aliisque ex officio animadversis, precibusque S. Congregationi Concilii die 22 Decembris propositis, sequens datum est

RESCRIPTUM. — ***Approbandam esse propositam transactionem et conversionem iuxta votum Episcopi, capta tamen inscriptione hypothecaria super fundis stabilibus pro securitate annui redditus duc.*** 20, ***usque dum tradatur summa capiti respondens legitime et tute investienda favore altaris cura Episcopi, qui caveat etiam ne in sordidos usus aedicula deserenda convertatur.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Concilium Tridentinum valde commendasse Episcopis „ ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria ob* solescant et ex hominum memoria excidant.

II. Quare si contingat ecclesias collabi quin ob earum inopiam instaurari queant, beneficia simplicia et reliqua pia relicta in aliam ecclesiam transferenda esse ad normam dicti Decreti.

III. Cavendum esse ne collapsae ecclesiae in sordidos usus-convertantur.

IV. Inter causas legitime convertendi ecclesias in profanos usus, maxime si eae parvae sint, recenseri earumdem desertionem ob quam fatiscant, locumque aperiant irreverentiae et dedecori, qu»n populus ex earumdem instauratione fructum percipiat (1).

(i) Si agatur de ecclesiis parochialibus fatiscentibus, multo difficilius deveniendum est ad earumdem demolitionem vel conversionem in profanos usus, quemadmodum ex Tridentino Decreto eruitur; namque hoc in casu omnia experienda prius sunt remedia iuris: exemplo sit quaedam causa ***Restaurationis ecclesiae parochialis*** **agitata in S. C. Concilii die** 27 **Iulii** 1861. **Ecclesia parochialis cuiusdam oppidi praesentissima indigebat reparatione, nobilis ecclesiae eiusdem patrona a reparatione abstinebat: Propositis dubiis: 1. « An patrona** *(N.N.)* **teneatur restaurare ecclesiam paroehialem oppidi** *(N.);* **et quatenus** ***negative:*** **» II. An, a quo, et quomodo sit providendum restaurationi in casu : » responsum prodiit: ad I. «** ***affirmative, praefixo pan unae termino trium mensium act perficiendas reparationes, qvo inutiliter elapso, esse locum amissionis iurispatronatus.*** **Ad II.** ***In casu amissionis teneri populum et possidentes per aes et libram.»*** **Idest facta proportione bonorum cuiusque. Videsis etiam causam** ***translationis paroeciae*** **relatam: in** ***Votum. I. pag.*** **217.**

EX S. C0H6HGATI0M SS, R I M I,

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

SERVI DEI

CLEMENTIS MARIAE HOFBAUER

SACERDOTIS PROFESSI

E CONGREGATIONE SANCTISSIMI REDEMPTORIS AC PROPAGATORIS

INSIGNIS EIUSDEM CONGREG. ULTRA MONTES.

Quod s. Alphonsus Congregationis SS. Redemptoris institutor praedixerat circa suum alumnum Clementem Mariam Hofbauer contigit. Siquidem testis XXVI. in processu accuratissime constructa in Curia Archiepiscopali Vindobonensi narrat: « ***Argumentum sanctae vitae Patris Hofbauer, dum primum versaretur in domibus romanis, in eo etiam invenio, quod s. Alphonsus prophetae dissereret, magna eum pro Ecclesia effeclurum, quem in finem sanctam suam ei dedit benedictionem :*** cui consonat alter testis, ordine primus, qui pariter refert, sanctum Congregationis Fundatorem ob ingressum Servi Dei gaudio affectum edixisse,. eum multa bona operaturum, et Congregationem propagaturum.

Sed ne a nostro discedamus instituto, per summa veluti delineamenta vitam Servi Dei enarrabimus, prae oculis habito synoptico vitae commentario cum depositionibus testium collato, quod clarus Causae Procurator Hilarius Alibrandi, civilis iuris professor in Archigimnasio romano, concinnavit.

VITAE SERVI DEI ADUMBRATIO. — Dei servus in oppido cui nomen ***Tasswilz*** in Moravia dioeceseos Olomucensis, modo vero* Brunensis, natus est die 26 Decembris 1761; Ioannis nomine insacro fonte est appellatus. Nondum infantia egressus patre est orbatus. Piissima eius mater, cui et opes exiguae et multi liberi erant, religiosae educationi Ioannis cum daret operam, in prima

•eius iuventute ante Christi Crucifixi imaginem filium adducens, huic dixisse fertur: ***Ecce, iste iam nunc est pater tuus: attende ut ea gradiaris via, quae ipsi est placita.*** Quae verba Dei Servus corde suo iugiter servavit et cogitatione nutrivit.

In infantia magno erat illi gaudio in honorem Deiparae vel •alicuius Sancti ieiunare, ita ut vespere tantum sumeret cibum, integro die ieiunio servato: dulce illi erat pauperibus infantibus id ciborum distribuere, quod ipse accepisset: orationis studio ilagrabat, et otio infensus, adhuc puerulus vix concipere poterat adesse homines, qui tempus otio tererent, unde matri suae de his loquenti respondit: ***si non habent quod agant, orent*** (i).

Exoptabat ille sacris initiari, ut Sacerdos deinde factus animas Christo lucraretur; sed angustia rei familiaris obstabat. Cum annum decimum sextum attigisset in vicinum oppidum Znaim se contulit ut pistoriam artem addiscere!, eaque instructus transiit in monasterium Bruck, quod Praemonstralenses incolebant, •ut ibi artem quam didicerat exerceret : officium quod deinde fuit ibidem Servo Dei impositum, hunc non omnino impediebat quominus literis addiscendis aliquam operam daret,quin tamen -omitteret Deum obsecrare ut viam qua vocatus esset agnosceret et vocationem suam impleret.

Sed singularis solitudinis amor ad eremiticam vitam Servum Dei alliciebat : hoc vitae genus initio elegit; ideoque quatuor post annos petiit locum ***Miihlfrauen,*** qui mediae horae spatio a Tasswitz distat, et templum habet peregrinorum frequentia celebratum. Plaud procul inde dissita sylva est: eo se contulit cum fratre natu maiore Dei Servus : eremitica extructa ceila sibi et peregrinis pie sancteque prospexit, donec eiusmodi vitae genus a Gubernio vetitum est; proindeque Vindobonam iterum petiit.

Quid ibi gesserit, refert inter caeteros testis XXVII, his verbis: « Vindobonae laborabat (S. D.) in arte pistoria: cum de-» siderium in se sentiret peregrinandi Romam, haec animi

(I) Inter testium depositiones quibus «stenditur quantum postea Dei Servus •ianobili otio fuerit infensus, non est praetereunda depositio testis XIV. qui fas-*sus* est; « Quod usum temporis attinet, » prout immediatus testis Pater Kosmac-» zech mihi retulit, dicere solebat; *Iu-» iiiores Sacerdotes labore ita onusti esse » debent, ut spirare vix possint, nihil » enim magis ipsi nocivum quam otium »*

D sensa aperuit amicorum uni, nempe Petro Kunzmann, qui po-
» stea nomine Emmanuelis in Congregatione SS. Redemptoris
» frater laicus fuit— Hi duo probi iuvenes per aliquot menses
» mercedem reposuerunt, ut dein iter Romam instituere possent.
» Totam viam feliciter pedites perfecerunt, salvique Romam ve-
» nerunt. Devotione ibi peracta , et ecclesiis visitatis, confor-
» tati in fide in patriam redierunt. Uterque iterum Vindobonae
» artem exercebat pistoriam, sed Hofbauer mundi tumultum diu
M ferre haud potuit; duobus annis vix elapsis vocatum se sen-
» sit mundo renuntiare. Colloquio iterum habito cum amico Pe-
to tro Kunzmann, ambo consilium ceperunt denuo Romam me-
to andi et in statu Pontificio vitam eligendi eremiticam . . . . . Pii
» iuvenes Vindobona abeuntes iter pedites aggressi sunt. Per
•» civitates et pagos, in viis publicis, diu noctuque orabant et
» cantica spiritualia cantabant. Mundum iam pedibus calcarunt,
» hilaresque peregrini ad locum destinationi^ festinarunt. Feli-
» citer Romam ingressi devotionem denuo ibi peregerunt. »

Deinde peregrini quaesiere locum ab Urbe remo t um ubi vitam eremiticam degere possent. Tibur profecti sunt, et ab Episcopo id temporis Chiaramonti (qui postmodum Pii VII. nomine ad Petri cathedram est evectus) veniam agendi eremiticam vitam, vestemque, quae hunc statum decet, petierunt. Perspecta eorum voluntate Episcopus veniam dedit, vestem quam optabant eos induit, benedixit eis, locumque assignavit, cui vulgo nomen est: ***La Madonna di Quintiliolo.*** Exinde Servus Dei Ioannis nomen cum ***Clementis Mariae*** nomine commutavit.

Sex circiter post menses voluntate Dei melius cognita, nullo verbo de hac re facto socio suo, eremum dereliquit et Vindobonam est reversus.

Singulari Dei providentia tres piae sororesque mulieres vix ac noverunt fortuito, ut dici solet, Servum Dei desiderio vitam ecclesiasticam suscipiendi flagrare, curam eius susceperunt, et sumptus tum ad victum, tum ad studia necessarios contulerunt

Cum deinde parum sanas tutasque doctrinas, quae id temporis in Vindobonensi universitate gliscebant, animadverteret, consilium cepit redeundi in Urbem, ut ex puro fonte rerum divinarum scientiam hauriret. Socium in eo consilio, et comitem habuit Thaddaeum Hiibl, quocum iter pedes confecit. Vix atque

optatam attigit metam, Deum enixe rogavit, ut statum sibi indicaret in quo ei serviret, desiderans religioso cuipiam instituta nomen dare, in quo regularis observantia maxime floreret.

Pergere constituit cum Thaddaeo Hiibl postridie ad eam ecclesiam, unde primo vigilantes sacri aeris sonitum audivissent. Hoc signo audito ab ecclesia s. Iuliani in Exquiliis, eo se recto tramite contulerunt, atque ibi religiosos invenere sodales precibus vacantes. Puerum, qui ad fores consistebat Servus Dei rogasse fertur: ***quinam essent hi Sacerdotes:*** atque responsum accepisse: ***sunt Sacerdotes Congregationis SSmi Redemptoris, et tu quoque unus eorum eris:*** Hac responsione motus Dei Servus, eam vocem quasi oraculum divinitus sibi editum excepit. Superiorem adiit, a quo accepta peculiari Instituti notitia, ut reciperetur petiit ^ quod et sibi et pro socio suo impetravit.

Eo tempore , anno scilicet 1784 , aetatis suae annum 33 agebat Clemens, cum tristissima tempora Ecclesiae Dei et humanae societati imminerent : ac dum clades et ruinas per asseclas suos Satanas moliebatur, iam eos, qui illa repararent exitia, Deus praeparabat. Quemadmodum in tyrocinio se gesserit non est heic narrandi locus , sed praeterire silentio nolo id quod testis XXVII, his verbis deposuit: « accidit, ut plures Con-
» gregationis novitii plus aequo commoditati indigentes, pro
» qualibet deambulatione lineas vestes (indusia etc.) secum con-
to ferre vellent. Magister novitiorum cum iuvenibus suaviter agens,,
» eisque aegre aliquid denegans, hoc illis concedebat; unde fa-
» ctum est ut in quavis deambulatione curandum esset, ut indu-
» sia etc. praesto essent, quibus idemtidem, pristinis depositis in-
» duerentur. Quodam die candissimo, cum tyrones deambulatum
» deducendi, res desideratas omni cum sollicitudine praepararent,
» fervens Hofbauer id silentio diutius ferre haud valens magistrum
» adiit dicens: ***Reverende Pater, ecce quomodo hic sto, uno indusio,***
» una veste , his br actis, pileo, et baculo inter feci quadrigen-
» tarum leucarum , sanitatis detrimentum haud passus , et hic
» loti pro deambulatione duarum leucarum tantae sunt semper
» faciendae praeparationes ! Ex eo tempore omnes tyrones ze—
» lum Hofbauer timebant ; iste omnibus in rebus omnibus erat
» exemplo.»

Tyrocinio expleto die s. Iosepho sacra anno 1785 religiosa **Tota** in collegio ad s. Iuliani nuncupavit, ac deinde in Verulana dioecesi sacerdotali Ordine insignitus est.

Sacerdos factus eius erat desiderium Congregationem in Germania propagandi prout sanctus Fundator exoptabat. Data opportuna quadam Missionum occasione, venia impetrata, amplisque facultatibus instructus cum socio P. Hiibl in Germaniam profectus est, ac dein Poloniam ingressus, ibidem sacris Missionibus operam navavit.

Hoc fuit initium Apostolicae vitae Servi Dei: mirum namque est quot exantlaverit labores, tum in Polonia, tum in Germaniae regionibus; quot in vicissitudinibus constans extiterit, quantam messem suo aliorumque ministerio his in regionibus collegerit. Vicarius enim generalis trans Alpes constitutus, quod munus usque ad obitum retinuit, non solum domus cum in Polonia tum in Germaniae regionibus erexit, sed suo ministerio in concione Verbi Dei, in excipiendis sacris Confessionibus, in christiana puerorum educatione, in sacris missionibus instituendis per pagos et oppida, in docendis mittendisque suis consociis, quorum multos attraxerat, aliisque sacri Apostolatus muneribus zelator fuit eximius.

Tandem post multos exantlatos labores in Germaniae regionibus et Polonia, ad quam oculos maxime conversos habere visus est, ab ea, persecutione adversus se excitata, impiorum voluntate exulare cum suis est coactus, ideoque Varsavia ubi degebat derelicta, Vindobonam se contulit anno 1808, ubi duodecim fere novissimos vitae suae annos transegit. Narrat praeterea testis XXIX. « Audivi deinde de statione Missio-
» nis in Valachia existentis, cuius membra nempe Presbyte-
» ros N. N. coram cognovi, scioque inter catholicos in Vala-
» chia ad hodiernum usque diem gratam existere memoriam
» apostolicorum laborum istorum Missionariorum. Ad caeteras do-
» mos in Germania et Helvetia quod attinet, hoc solum co-
» gnovi, fundationes saepius fuisse derelinquendas ob temporum
» vicissitudines. »

Sed post plures perpessas persecutiones en quomodo opus susceptum coronaverit: « Aliqui homines (idem est testis qui de
» propria scientia loquitur) publicae administrationis munere fun-

j> gentes, qui catholicos P. Hofbauer labores odio habebant, ex
» lege civili tunc adhuc vigente et prohibente, ne ullus Sacer-
» dos in Austriacis regnis hereditariis cum extero Superiore sub-
» missionis commercium haberet, ansam ceperunt instituendi
» inquisitionem quamdam cui subiecerunt. P. Hofbauer et omnia
» eius scripta. Videntes P. Hofbauer tamquam natum subditum
» Austriacum Congregationis in Austria non existentis esse mem-
» brum, et ideo Superiori eiusdem Generali per obedientiam
» esse subditum, optionem illi dederunt, aut Congregationi, aut
» patriae renuntiandi. P. Hofbauer absque haesitatione, quam-
» vis coactus, hoc alterum elegit, quo inimici optatum nacti
» sunt obtentum asserendi, P. Hofbauer Vindobonam, et Au-
» striam sponte derelicturum. Conspicui et potentes Servi Dei
» amici, imo ipse tunc temporis Archiepiscopus Vindobonensis.,
» Comes Hohenwarth immediate intercesserunt apud suam Ma-
» iestatem fel. rec. Imper. Franciscum, ut pronuntiatum exilium
» Servi Dei averteret, et obtinuerunt a iusto Monarcha Romam
» profecturo ad Christi Vicarium tunc regnantem S. P. Pium VII-
» pronuntiati exilii dilationem. »

Paterna charitate, et regia munificientia exceptus Romae a S. P. Pio VII. Franciscus I. Imperator certior fieri voluit, qualis de Servi Dei in Romana Curia esset opinio. Summus Pontifex illum summis laudibus extulit, « eum appellavit virum.
» omnino Sanctum et apostolicum, culmen Ecclesiae, et Impe-
to ratori gratulatus est quod in principe Imperii urbe Sacerdotem
» haberet adeo eminentem.» Sic testis IX.

Quocirca alter testis XXIX. narrat: « Honorificae declaratio-
» nes, et commendationes Patri Hofbauer faventes ab Austriae
» Monarcha in Urbe ipsa acceptae persuaserunt Imperatori in-
» nocentiam, imo magnum valorem huius viri, et post reditum
» primus gratiae actus erat Imperatoris, ut per aulicum tunc
» temporis Parochum D. Abbatem Iacobum Frint, P. Hofbauer
» ad petendam ab Imperatore gratiam invitaretur, ut pro in-
» iuriis allatis indemnis redderetur. P. Hofbauer nihil pro se
» quaerens, gratiae loco facultatem petiit erigendi Vindobonae,
» et in Austria Congregationem SSmi Redemptoris: hoc proprie
» illud est factum ex quo Congregationis fundatio Vindobonae.

» et in Austria, indeque in omnibus fere Europae regionibus,
» imo, et in America Septemtrionali et Meridionali prodiit. »

Imperator petitionem Servi Dei benigne excepit. Hac difficultate quae supererat sublata, Servus Dei cupiens dissolvi et esse cum Christo, ac praedicens se demortuo plures erectum iri domos, morbo correptus die 15 Martii 1820, mortalem vitam laboribus plenam, tot iactatam procellis, tot meritis insignem cum sempiterna beatitudine commutavit.

Post eiusmodi simplicem vitae Servi Dei delineationem, exponendae essent eius virtutes, ac Sanctitatis fama ; quod causae Procurator accuratissime fecit, et distinctis articulis prout moris est, ampie egit de virtutibus in gradu heroico a Servo Dei exercitis, nempe: de Fide heroica, in qua ferro et saxo firmior Servus Dei a testibus dictus est; de heroica spe, de charitate in Deum, de charitate in proximum, de prudentia, de iustitia, de fortitudine, de temperantia, de humilitate de paupertate, de castitate, de obedientia et perseverantia, de donis supernaturalibus, de miraculis in vita, de fama sanctitatis in vita, de pretioso obitu Servi Dei, de concursu ad funus et humatione, de fama sanctitatis post obitum, de miraculis post obitum.

Disceptatio syuoutica.

Harum causarum genus eiusmodi est, ut, propter earumdem amplitudinem neque synoptice in nostris ephemeridibus referri possint. Unam tamen vel alteram animadversionem e contrario ***ex officio*** factam, antequam iudicio S. Congregationis causa proponeretur, attingemus.

NONNULLA QUAE ANIMADVERSA SUNT A FIDEI PROMOTORE. — Fidei Vindex ad trutinam de more revocans causam, ea omnia in medium deducebat quae obstare viderentur causae introductioni. Nihil porro animadversione dignum reperiit quod processus ordinarii confectionem respiceret, quin imo non potuit eam non efferre laudibus, quod in magnum cedit honorem Curiae Vindobonensis. Ita enim Fidei Vindex in capite primo quod est ***de Probationibus*** scripsit: « Inquirendum praeprimis esset, num
» ordinarius Vindobonensis processus aliquo patente nullitatis
» vitio laboret. Sed iste e converso tanta sedulitate, tanto stu-

» dio ac diligentia exaratus est, ut ab Apostolico (processu) » vix discrepet si auctoritatem conficientis exceperis ; quod de » omnibus Ordinariorum processibus dici posse desiderat Bene- » dictus XIV. ***lib.* 2** c, **44 *n.* 21** ***in fine.*** » Animum itaque convertit Censor ad ea quae relata in processu erant, inquirens an ea satis superque essent ad dubium affirmativo responso resolvendum : inter caetera haec animadvertit : « Cum tot adver- « sos homines etiam inter domesticos Dei Famulus expertus » sit, ii tantum testimonium dixere, qui se magnum erga eum- » dem amorem fovere confessi sunt. Ait namque testis I : ***ipsi » fui adhucque sum addictus tota ex anima.*** Testis II. ingenue » de se ait : ***mea de Servo Dei opinio, suspecta et praeoccupata » dici posset, eo quod amorem supra omnem modum magnum, et)) paternum mihi impenderil.*** Ac testis IX: ***Patrem Hofbauer ve- ri neratione prosequor adeo tenera, ut eum, ex quo mortuus est, in » omnibus meis invocem nogotiis, et ex inlimo corde exopto, ut ab » Ecclesia canonizetur....*** Neque is sum qui hanc amicitiam re- » prehendam, attamen nemo non novit, in quolibet iudicio fa- » miliarium, et amicorum testimonio auctoritatis non parum de- » trahi. ***Credula quippe res amor est - »***

Inter alia autem quae animadvertebat Fidei Vindex circa caput secundum quod est ***de fama,*** hoc fuit, non omnes melioris quoque notae viri eamdem de Servo Dei habuisse opinionem : haec enim deposuit testis **11:** « Incostanza ipsi (S. D.) erat » ignota ; cum omne studium in Sancti Alphonsi honorem , » et Congregationis suae propagationem immutabiliter dirige— *i)* ret ; quod studium plures etiam amici ipsi obiiciebant , ut » nimis particulare. Ita ex. gr. a Canonico Friderico Werner, *y>* qui eo tempore ad fidem catholicam Vindobonae excitandam » multum contulerat, hoc non raro audivi iudicium : ***Pater*** *y>* ***Hofbauer perfectae esset homo sanctitatis, si non quavis occa- » sione praeprimis tenderei in fundationem et incrementum do- ti morum Missionis.*** Quod quidem indicium ***(concludit testis)*** ze- » lanti viro ideo non est vitio vertendum, quia semper illi prae » oculis versabatur universalitas Ecclesiae. »

QUAE HIS ANIMADVERSIONIBUS RESPONDERET CAUSAE PROCURATOR. — Orator in hac praeliminari disceptatione, eo triumphantior evasit quo subtiliores erant oppositae animadversiones. In primis ad

obiecta sub capite ***de probationibus,*** statuebat id quod in hoc iudicii limine ex ordinario processu demonstrandum esset: demonstrandum enim est « ***quod fama virtutum et miraculorum ex illo plene comprobata maneat.*** » Nam « ***non est necesse probari in specie virtutes et miracula (id enim reservatur ad aliud iudicium...), sed opus tantummodo est, ut virtutum atque miraculorum fama probetur.*** » Benedictus XIV. ***L*** 2 ***c.*** 36 §. 2, ***et*** 13.

Et prosequens Orator causae defensionem, ad mox propositam animadversionem deveniens, pleno orationis robore rationem reddidit, cur homines , quos adversos Dei Famulus expertus sit, testimonium non dixerint: «nam ***testes probos et prudentes*** (sunt praeclara Oratoris verba) adducere oportebat; atqui inter ***heterodoxos, atheos, ralionalistas*** inimici quaerendi erant; etenim ***hos adversos homines Dei Famidus expertus est,*** utpote qui illorum erroribus im;>iisque consiliis fortiter restiterit. Inter domesticos ***unum*** habuit, Patrem Sabelli, non adversarium , sed olim , pervicacem indocilem et morosum , quem demonstravimus pronum ad falsum mysticismum, et deceptu facilem, in quo probitatem licet ultro concedamus fuisse, plenior tamen prudentia fuisset desiderata....

» Quoad caeteros, qui Dei famulum vivum noverant, ii, si fiomines nequam non essent, omnes illecti illius virtute egregia, morum suavitate, et comitate exquisita ipsum vehementer dilexerunt. Superior cum esset, ***amore et fiducia*** (ceu docet I. testis ex officio) ***fruebatur subditorum libenter sibi obedientiam,*** eumque et ipse maioribus Praesulibus subiectus esset, illi sic hominem adamaverunt, ut quod gravissimum erat munus, ei libenter concrederent ***(testis XXVI.).*** Dilexit eum s. Alphonsus, qui magna et praeclara ab eo factum iri divinitus est ominatus. Dilexit Pius VI., qui spiritum s. Fundatoris in eum transfusum pronunciavit ***(Tannoia. Vita di s. Alfon. Appen. al lib. IV.)*** Dilexit Pius VII. , qui eum appellavit ***virum omnino sanctum et •apostolicum, culmen Ecclesiae;*** et Imperatori gratulatus est, ***quod in principe Imperii urbe Sacerdotem haberet adeo eminentem.*** Dilexit Augustus Franciscus I: qui ***erga Servum Dei valde propitium sese ostendit,*** eoque defuncto perdoluit, quod ingentem iacturam Ecclesia et Imperium essent perpessa ***(testis IX.).*** Dilexit Ferdinandus I., et cum eo ***populus*** universus, cum Princeps religiosis-

simus declaraverit. « ***Memoria etiamnum magna cum animi delectatione diem illum repetimus, quo ab amantissimo Patre nostro* pergratae memoriae facidtas eidem [acta est in urbe Imperii principe residendi*** - ubi - ***ita populi aestimatio aucta est, atque amor. erga eum, ut Sanctus iam tum ab omnibus palam haberetur. »*** Dilexerunt eum Reges Poloniae Bavariae et Saxoniae, quorum alter eum beneficiis cumulavit, alter arcana conscientiae illi concredidit, alter permagni fecit illius auctoritatem ***(testes VI. XIX* et IX.).***

» Quaerit Censura aliquem infensum et adversarium Serva Dei, sed ubinam et in quo ordine reperiet? Non inter Cardinales S. R. E., ex quorum S. Collegio Viros Emos Rudolphum Archiducem, Consalvi, Odescalchi, Litta, Testaferrata, Saluzzo.. Cappacini, Severoli, De Rauscher habuit amicissimos. Non inter Archiepiscopos et Episcopos, nam Vindobonensis Pastor comes de Hohenwarlh, qui eum subditum habuit, erat ***ipsi summa charitate addictus (testis II.)***, et sine ambagibus Caesareae Maiestati enunciavit, optimum hunc esse Sacerdotem, quem in Diaecesi haberet ***(testisi.):*** huic porro suffragabantur Antistites Varsaviensis , Gnesnensis , Pragensis, Seccoviensis, Sancti Hippolyti, Linciensis , aliique quorum nonnulli, cum Patres populorum essent, hunc sibi Patrem spiritualem elegerunt. Non ex Clero inferiori adversarios Clementis Censura reperiet, quandoquidem ***magno in honore Servum Dei habebat Clerus tam Regularis, quam Saecularis', frequentabant eum.... tanti autem eum faciebant ob eius virtutes (testis V.).*** Non inter laicos, nobiles et honoribus insignes; etenim quotquot erant eiusmodi, ***sincera et inconcussa veneratione ac amore eum sunt prosequuti (testis II.).*** Non inter homines doctrina et ingenio perillustres, cum Servus Dei , ***vi irresistibili attraheret praeprimis homines magni ingenii et doctrinae (testis XX).*** Non inter ipsos heterodoxos prudentiores et aequiores , nam compertum est, ***doctos Protestantes... mirabili quadam vi attractos ab eo fuisse, ita ut venerationem et amorem illi servarent (testis H. et XXVI).***

» Omnes ergo, omnes qui appellari testes potuissent, hac amoris labe (si labes dici potest) reperti fuissent infecti. ***Ab omnibus, qui eum noverant, quique erant homines cuiusvis con-' ditionis, Sanctus habitus est vir (testis XV).*** Restabat proinde ut

ad atheos, impios, conscelleratos, flagitiosissimos homines ***et*** alios, qui dedecoris causa... memorantur, haberetur perfugium;, sed istine ad aedes archiepiscopales et locum sacrum in causa; sanctissima fuissent arcessendi ? ***Foris canes et venefici et impudici et homicidae et idolis servientes, et omnis qui amat et facit mendacium (Apocalips. XXII.*** 15). Ast nos veracibus testibus; indigebamus.

» Nec satis; nam forte vis veritatis aliquid boni vel ab ipsis expressisse!, qui Dei Famulo infensi fuerunt, quippe ***sanctus reputatus est vir etiam ab adversariis suis (testis VII.)***. Sed hoc inquam satis non erat, nam lex iubet testes vocari, qui probitate, et gravitate fidem sibi conciliarent, ne calumnia timenda sit. At ex adductis testibus, nullus erat improbus et intestabilis, imo prout declarat Iudex legitimus Emus Antistes Vindobonensis, summam omnes merentur fidem et auctoritatem. ***Id unum mihi, qui gregem meum probe novi, superest adnotandum, nempe testes a Postulatore exhibitos, aliosque testes et contestes ex officio inductos, omnes esse indubiae fidei, quippe qui homines probi et omni exceptione maiores. »***

Haec quidem in facto disputavit Orator, sed neque praetermisit iuris quaestionem, an scilicet in pretio habenda sit exceptio contra testes ex benevolentia desumpta; eamdemque resolvit tam auctoritate Benedicti XIV. ***lib.*** 3 c. 6, quam ex praxi S. Congregationis, quae eiusmodi exceptionem in aliis causis reiiciere visa est.

Circa alteram animadversionum partem quam secundo loco innui, plura dixit Orator; ostendit scilicet Fridericum Werner, qui et Zacharia appellabatur, fuisse ab haeresi paulo ante annum 1815 ad catholicam fidem conversum. Quamvis autem post conversionem flagranti zelo ferveret catholicae veritatis praedicandae, atque oratoriam et poeticam artem praeclare calleret, zelo parem doctrinae sodalitatem afferre non potuisse: « Werner » autem ***f inquit testis XIV.)*** solida dogmatum scientia non adeo » erat instructus, ideoque Pater Hofbauer hoc bene sciens, at~ » tente audiebat eius conciones. Quadam die vero accidit, ut » Werner sententiam proferret minus catholicam. In Sacristiam » redeunti dixit Pater Hofbauer: ***Quod dixisti*** (et indicavit illi » propositionem) ***minus est catholicum : sequenti Dominica relra****

» ***clare debes.*** Quod et fecit Werner quin tamen famam suam
» exponeret. »

Novum non esse quod homines doctrina et pietate illustres licet se mutuo diligant, et magni faciant, aliqua tamen in re dissentiant: ideoque iuris publici prudentes dicere solere, necessarium esse imperium in republica quamvis angelicis constaret hominibus.

Ac praeclaram Orator instituens comparationem inter utrumque virum; ostendebat quid Servus Dei cogitare firmissime debuisset habita ratione anteactae vitae, qui censuit expedire Ecclesiae bono et saluti Germaniae universae ***fundationem et incrementum domorum Missionis ;*** contra Wernerium post diuturnas moras in tenebris haereseos, demum ad fidem catholicam conversum , sedulo exercitum in Quintiliani praeceptis adhibendis longo usu edoctum poéticos libros queis Schiller, Gòthe , Bùrger, Haller, Klopstock, Ramler, Gleim germanicam lyram exprnarunt, idoneum apprime fuisse vivaci stylo ad animos perniovendos ; sed cum adhuc esset tyro in illis quae profundiorem Sanctorum scientiam respiciunt, paullo remissius et languidius de incremento domorum Missionis cogitasse.

Si Wernerii opinionem Dominicus , Francisci duo , Ignatius, Philippus Nerius, Camillus aliique institutores habuissent, catholicum nomen florentissimis religiosis familiis gloriari non potuisse.

Quin imo concludebat Orator a studium illud vehemens, in-
» defessum, propositum tenax, quod Vindobonensi poetae mi-
« nus arridebat, in causa fuit (testante Caesarea Maiestate), ut bona
» quamplurima Ecclesiae et Imperio gignerentur. Imo plerae-
» que domus Congregationis latae diffusae et usque in Americam
:» propagatae - ***cunctae sunt filiae Viennensis***^ quemadmodum de-
» clarat Emus De Rauscher, a quo idcirco Servus Dei praedi-
D catur: ***secundus Fundator Congregationis SSmi Redemptoris.))***

Dubium.

« An sit signanda commissio introductionis causae in casu et
D ad effectum de quo agitur. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio SS. Rituum audito voce ct scriptis R. P. D. Petro Mirtetti Sanctae Fidei Promotore »

re accurate discussa die 9 Februarii 1867 rescripsit; ***Affirmative, si SSmo placuerit.***

Facta a R. P. D. Secretario D. Bartolini fideli relatione, SANCTITAS SUA Rescriptum S. Congregationis ratum habens, propria manu signavit commissionem introductionis causae VENERABILIS SERVI DEI CLEMENTIS MARIAE HOFBAUER.

Ex HIS PAUCIS COLLIGES:

I. Exceptionem adversus iuratos testes ex amore benevolentiaque desumptam pretio generatim non esse habendam, si aliunde constet eos iure testabiles esse, et probos.

II. Neminem prorsus a christianis populis impensius sinceriusque amari, quam Sacerdotem omnibus virtutibus christianis praefulgentem, qui totum se dedat ecclesiastico ministerio (1).

III. Christiana enim virtus, quo magis operibus splendet, eo magis diligitur.

IV. Quare ipsum universalem benevolentiae amorem tamquam effectum habendum esse christianarum virtutum quibus aliquis Dei Servus sit eminenter praeditus.

(I) Non frustra scriptum est; *quam speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Id apostolici viri experti sunt, ac iugiter experiuntur quamvis persaepe non sive magnis tribulationibus. Gentium Apostolus Galatas redarguens ob inconstantiam, in eorum memoriam revocat praehabita amoris signa c. IV. lo. et 16. * *Non sprevistis, neque respuistis: sed sicut Angelum Dei excepistis me, sicut Christum Iesum. Ubi est ergo beatitudo vestra? Testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis et dedissetis mihi.* Et act. XX, 37, et 38; *Magnus autem fletus factus est omnium, et procumbentes super collum Pauli osculabantur eum, dolentes maxime in verbo quod dixerat, quoniam amplius faciem eius non essent visuri, et deducebant eum ad navem.* Illudant populis novi humanitatis regeneratores, qui ecclesiasticas voces declinantes et abhorrentes, se philautropos iactant, novam inauditamque felicitatem adpromittentes; vera enim et foecunda philantropia est christiana charitas dumtaxat, verique philantropi sunt viri apostolici, qui non solum mentem et cord° hominum re salutari nutriunt, sed caeteris eorumdem indigentiis pro opportunitate succurrere et prospicere sciunt; huius rei inter quamplurimos praeclarissimum nobis dedit exemplum Vincentius a Paulo.

BEATIFICATIONIS

SEU

DECLARATIONIS MARTYRII

VENERABILIUM SERVOBCM DEI

ALPHONSI NA VARRETE ORDINIS PRAEDICATORUM PETRI DE AVILA ORD. MINOR. S. FRANCISCI PETRI DE ZUNICA ORD. ER. S. AUGUSTINI CAROLI SPINULAE SOC. IESU IOACHIMI FIRAYAMA SEU DIAZ, LUCIAE FLEITES ET SOCIORUM TAM EORUMDEM ORDINUM QUAM ETIAM SAECULARIUM

SUPER DUBIIS

Primo « ***An stante approbatione Martyrii ex parte tyranni, ita constet deMartyrio ex parte passorum ut procedi possit ad ulteriora.* »**

Secundo « ***An et de quibus Miraculis seu signis constet in casu.*»**

DECRETUM. « Praeter illos sex et viginti Martyres Iaponenses, quos Sanctissimus Dominus Noster Pius PAPA IX. ad honorem sanctae et individuae Trinitatis et Ecclesiae fideique catholicae bonum Sanctorum albo accensuit, alii permulti extant christiani nominis Heroes in eodem Iaponiae Imperio ob eiusdem fidei catholicae confessionem necati ab anno millesimo sexcentesimo decimoseptimo usque ad annum millesimum sexcentesimum tricesimum secundum. Horum catalogus ex tabulis processualibus depromptus quinque supra biscentum exhibet numerum. Praeeunt inter eos apostolici viri fidei atque religionis magistri cum suis in catechesi tradenda ministris; dynastes nobiles regio sanguine dari*, matronae opibus florentes; tenerae virgines ; senes longaevi; adolescentes ingenui; pueri et puellae trium quatuorve annorum. Ex iis multi palo alligati plures horas lento cremati sunt igne ; aliqui capite mulctati; alii foede laniati et membratim caesi; non pauci in vulcanica depressi voragine, aquis sulphuris et ebullientibus diu vexati et comsumpti; plurimi frigidissima rigente hyeme in lacunae gelu demersi mortem obierunt

temporis diuturnitate acerbissimam; nonnulli in crucem acti capite inverso; pauci fame et aerumnis confecti teterrimo in ergastulo animam exhalarunt. Fortes ideo facti sunt in certamine; transierunt per ignem et aquam; secti sunt; in carceribus abundantius emarcuerunt ; Christo confixi sunt cruci, ut viveret in cis Christus ; in ore gladii mortui sunt ; sed laus Domini non recedebat ab ore eorum. In hac immani et ex Principis edicto late per laponiam grassante persecutione tot ac tanta praebuerunt strenui fidei propugnatores invictae fortitudinis argumenta, ut praeclarissima exempla, quae in priscis Ecclesiae persecutionibus obtinuerunt, prorsus renovaverat. Eminent veluti candidati huius exercitus duces Alphonsus Navarrete, Angelus Orsuc•cius, Franciscus Morales, Petrus de Avila , Riccardus a Sancta Anna, Ludovicus Soldo, Appollinaris Franco, Petrus de Zuniga, Bartholomaeus Guttierez , Vincentius Carvaglio, Carolus Spinula, Franciscus Paceco, Camillus Costanzo, Hieronymus de Angelis ex illustribus Ordinibus Praedicatorum s. Dominici, Minorum s. Francisci, Eremitarum s. Augustini, et ex inclyta Societate Iesu cum aliis plurimis eorumdem Ordinum Sodalibus; Ioachimus Firayama seu Diaz; Thomas Xiquirò, Andreas Tocuan, Simon Quiota et Magdalena eius uxor, Gaspar Gotenda cum Apollonia eius matertera, Magdalena Kyota, qui erant e progegenie Regum Bungensium, Arimensium et Firandensium; Antonius Coray, Maria eius uxor, Ioannes adolescens annorum duodecim et Petrus trium annorum puer eorum filii; Lucia Fleites octogenaria, et Dominicus Giorgi cum uxore Elisabetha Fernandez, quae filium suum Ignatium puerulum quadrimulum secum ad martyrium a lictoribus perductum excitavit, ut benedictionem à Carolo Spinula peteret, antequam simul obirent: mox cum hic puerulus excisum carissimae matris caput et ante se provolutum immotus et siccis oculis conspexisset, probe intelligens se tunc interfectum iri, nudavit collum et cerviculam crudeli ferro praecidendam lictori obtulit. Hos demum caeteri sequuntur cives laponenses Martyrio socii usque ad numerum superius adnotatum.

» Statim post Martyrum triumphum conditi fuerunt informativi processus, quibus in Sacrorum Rituum Congregatione discussis, ad preces Hispaniae Regis, illustris familiae Spinulae, et Or-

dinum Religiosorum Summus Pontifex Urbanus VIII. sa: me: sua? signavit manu huius Causae commissionem ; et duodecimo Kalendas Decembris anni MDCXXVII. Litterae remissoriales expeditae fuere ad instituendas Apostolica Auctoritate inquisitiones. Confectis itaque tum Maniliae in insulis Philippinis, ***tum*** semel atque iterum Macai in Sinis processualibus tabulis, iisque ad Urbem transmissis, eorumque de more probata validitate, Summi Pontificis Innocentii XI. sa: me: indultu decimotertio Kalendas Aprilis anni MDCLXXVII. habita est peculiaris Sacrorum Rituum Congregatio, ubi suffragatores iuxtaR. P. D. Promotoris sanctae Fidei consilium statuerunt, ut prius proponeretur Dubium quoad primam partem, scilicet. « ***An constaret de Martyrio ex parte tyranni in casu. -»*** Quod quidem foetum est in alio peculiari eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Conventu octavo Kalendas Februarias anni MDGLXXXVU. collecto : Decretumque prodiit , adprobante eodem Summo Pontifice « ***Constare de Martyrio ex parte tyranni in casu de quo agitur.*** » Inde agitandum erat Dubium in aliis Comitiis quoad alteram partem, nempe » ***An constaret de Martyrio ex parte passorum. »***

» Attamen incomprehensibili Divinae Providentiae consilioCausa haec celeberrima, uti eam vocat Summus Pontifex Benedictus XIV. sa: me:, ob varias rerum circumstantias usque ad haec tempora siluit. Verum cum ob sex et viginti Martyrum Canonizationem maxima gratiarum copia a Dei bonitate super Iaponiam effluxerit, quemadmodum in suis exponunt postulatoriis epistolis Vicarii Apostolici, qui Regno huic et finitimis praesunt regionibus: et spem conceperint firmissimam, uberiores divini auxilii fructus sequuturos fore, si Milites Christi reliqui in gloriosam coelitum aciem recenseantur: cumque ob casus adversos et sibi invicem succedentes calamitates, quibus angimur, praesidium a Domino, multiplicato supernorum civium interventu, praestolari oporteat, ne inimici nostri unquam dominentur nobis; Sanctissimus Dominus Noster Pius PAPA IX. singulorum Ordinum Postulatorum preces benigne excipiens Causam resumi concessit; et eadem servata iudiciaria forma, selegit particularem Sacrorum Rituum Congregationem, quae accedente Voto pro veritate R. P. D. Promotoris Sanctae Fidei, Causam ipsam ad exitum perduceret. Particularis huiusmodi Congregatio penes Reverendissimum;

Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensemet s. Rufinae eidem Congregationi Praefectum, Causaeque Relatorem, semel atque iterum collecta est: et propositis Dubiis, scilicet primo ***« An stante approbatione Martyrii ex parte tyranni, ita constet de Martyrio ex parte passorum ut procedi possit ad ulteriora.*** » Secundo « ***An et quibus Miraculis seu signis constet in casu.*** » Tum Patres Cardinales, tum Praesules Officiales suas aperuerunt sententias.

» Verumtamen Sanctissimus Dominus Noster post fidelem subscripti Sacrorum Rituum Congregationis Secretarii de omnibus Relationem, noluit illico Patrum Cardinalium et Praesulum Officialium sententias supremo suo confirmare iudicio, sed severe perpendens, negocium istud maximi ponderis esse ac momenti, invocavit Spiritum sapientiae et intellectus, ut sibi ad recte iudicandum propitius adesset.

» Tandem hanc designavit diem, nempe Feriam III. post Dominicam Sexagesimae, in qua solemnis recolitur Commemoratio Passionis Domini Nostri Iesu Christi, cuius calicem Martyres laponenses bibere meruerunt. Postquam igitur Sanctissimus Dominus Noster momentum obtulisset sacrificium in privato sacello apud Pontificales Aedes Vaticanas, ad Collegium Romanum Societatis Iesu, sancti Ignatii templo annexum se contulit, ubi in superiori Aula maxima solio insidens ad se accivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, Causaeque Relatorem, una cum R. P. D. Petro Minetti sanctae Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus, quoad primum Dubium edixit: « ***Ita constare de Martyrio ex parte passorum, ut in casu de quo agitur procedi possit ad Beatificationem*** » et quoad alterum Dubium ***«Constare de Signis IV, XII, XIII, XIV. »***

» Decretum hoc in vulgus edi, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit. Quarto Kalendas Martias anni **MDCCCLXVII.** »

C. Ep. Portuen. et s. Rufinae Card. **PATRIZI** S. R. C. Praef.

Loco Signi

D. BARTOLINI **S. R. C. Secretarius.**

BlTRDIQAIiEM.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VENERABILIS

SERVAE DEI IOANNAE DE LESTONAC

FUNDATRICIS ORD. FILIARUM B. MARIAE VIRGINIS

DECRETUM. «In Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Ioannae de Lestonac praedictae quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum, Rmus D. Gustavus Gallot Cubicularius Honorarius SSmi Domini Nostri Pii PAPAE IX, et Causae Postulator obtinuit, ut a subscripto Cardinale Praefecto Sacrae Rituum Congregationis memoratae Causae Ponente sequens Dubium proponeretur in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis « ***An constet de validitate Processuum tam Apostolica quam ordinaria auctoritate constructorum: num testes sint rite ac recte examinati, atque iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur.*** » Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi^ post accuratum omnium examen, audito R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt « ***Praevia sanatione defectuum, expunctis quoad Processum Apostolicum Burdigalensem documentis extraiudicialibus nec non Testibus VI. VII. VIII. et IX, qui adminiculi loco habeantur,*** CONSTARE. » Die 9 Februarii 1867.

» Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPAE IX. a subscripto Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere et confirmare dignata est. Die 14 iisdem Mense et Anno. »

C. Episc. Portuen. et s. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

L. S.

D. BAUTOLIIU S. R. C. Secretarius.

a i A I i J L C I T A H T J L seu **H I S P A I** , E ***** ᵀ **o**

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VENERABILIS

SERVI DEI FR. DIDACI IOSEPHI A GAD1BUS

SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS MINORUM

S. FRANCISCI CAPPUCINORUM

DECRETUM. « Instante Rmo P. D. Iosepho a Lirena Sacerdote Professo Ordinis Minorum sancti Francisci Cappucinorum Postulatore Causae Ven. Servi Dei Didaci Iosephi a Gadibus praefati, Emus et Rmus D. Cardinalis Carolus Augustus de Reisach huius Causae Ponens, sequens proposuit Dubium in Ordinariis Comitiis Sacrorum Rituum Congregationis hodierna die ad Vaticanum habitis: ***« An sententia Iudicis ab Episcopo Malacitano subdelegati, super Cultu praefato Ven. Servo Dei nullatenus exhibito, seu super obedientia Decretis sa. me Urbani VIII. sit confirmanda in casu, et ad effectum de quo agitur.*** » Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce, ct scripto R. P. D. Petro Minetti sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt: ***Affirmative.*** Die 9 Februarii 1867.

« De praemissis autem facta per subscriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPAE IX. relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere , et confirmare dignata est. »

Die 14 iisdem Mense et Anno.

C. Episc. Portuen. et s. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

I " >^ S.

D. BARTOLINI **S. R. C.** Secretarius.

EX S. CONGUM. IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE.

STIPULATIONIS CONTRACTUS EMPHYTEUTICL

Die 29 *Maii* 1838.

Compendium facti. Bononiae in Italia ecclesia quaedam parochialis extat quae ampla fere circumsepta porticu, in possessione erat cuiusdam Ordinis Regularis. Supra eamdem porticum Regulares quasdam aedes aedificarunt ad proprium usum parietibus externis eiusdem parochialis templi adhaerentes cui etiam communicabant. Iidem Regulares, communicatione hac intercepta, aedes laicae familiae deinde locarunt; post suppressionem Regularium Ordinum eaedem devenerunt in dominium R.Camerae Apostolicae: cum autem contractus locatitius cessasset ex morte conductoris , adfuit qui eas aedes affectaret, ac per emphyleuticum contractum servatis de more servandis acquisivit.

Haec omnia noscens eiusdem ecclesiae Parochus querimonias admovit S. Congregationi Immunitatis postulans, ut impediretur eiusmodi contractus et rescinderetur cum ex aliis causis tum praesertim, quia locus immunis erat, qui tamquam pars considerari debuisset ecclesiae parochialis: proindeque in possessionem laicae famiKae non posset devenire, quae eo ipso privilegio immunitatis seu iure asyli eo in loco gavisa esset, et in dedecus parochialis ecclesiae eiusmodi habitatio cessisset.

Auditis omnibus quorum id intererat, quaestio post enarratam longam factorum seriem, proposita est sub dubio quod in calce prostat.

Disceptatio synoptiea.

Adducebantur ***ex officio*** varia exempla, quae declararent plura templorum atria vel porticus privilegio immunitatis seu iure asyli privata fuisse : sic in una ***Montis Virginis i*** 1 De-

«cembr. 1697 atrio inhaerenti cuidam templo ademptum est privilegium immunitatis: in ***Neapolitana*** 19 Augusti 1704 immunitas adempia est cuidam aedificio, per quod patebat ingressus ad templum S. M. a Rosario, ne illud esset scelestorum refugium: in ***Forolivien.*** 26 Maii 1972, iuxta Episcopi votum immunitatis privilegium coercitum est ad solum ecclesiarum ambitum, exclusis porticibus, apposito tamen lapide inscripto, ***non gaudere immunitate:*** in ***Laurelana*** 17 ***Decemb.*** 1803 pariter quaedam externa loca templo accessoria destituta sunt immunitate: item in ***Fabrianen.*** 10 Ianuarii 1818: in ***Tyburlina*** 10 Ianuarii 1795 de quodam nosocomii muro, qui ecclesiae communicabat rescriptum fuit: ***clausis communicationibus, de quibus agitur cum ecclesia, Episcopus declaret mansionem in posterum non gaudere immunitate iuxta votum Episcopi facto verbo cum SSmo, et apponatur lapis:*** in ***Ferrarien.*** 27 Nov. 1784 immunitas Oratorii s. Crispini ita definita est, ut extendi non deberet ultra primam scalam, quae immediate iungitur Oratorio, et lapis apponeretur. Ita pro temporum locorumque ratione immunitate privata sunt externa loca quae ecclesiis contigua essent.

Sed in praesenti casu ipsam porticum ecclesiae parochialis de qua res est, privilegio asyli esse destitutam per Decretum S. C. Immunitatis advertebatur; nam in ***Bononien.*** 17 Novembris 1784 ***Lib.*** 5 ***Litt. fol.*** 104 precibus Archiepiscopi, cum multa essent in ea urbe templa porticibus ornata, ac proinde facile nimis ad eas scelesti confugerent ut asylo gauderent : S. Congregatio ad preces Archiepiscopi re discussa, SSmum consulendum esse decrevit, ut exceptis solis templis omnes porticus immunitate privarentur, lapidibus adpositis qui privationem banc indicarent.

Quibus Archiepiscopus Bononiensis in re praesenti addebat Resolutiones quas indicat Ferraris ***Biblioth. can. verbo Immunitas art.*** 2 ***n.*** 52 in quo legitur: a domus contigua ecclesiae a qua
» nullus patet aditus ad ecclesiam, et laicis locata, non gaudet
» immunitate, ***eadem*** S. C. in ***Marsicen.*** 16 Iun. 1682 ***lib.*** 3 ***De-***
» cret. Altov. pag. 51, ei ***in Pisauren.*** 16 Iulii 1686 ***ibi pag.*** 584,
* domus posita super sacristiam Confraternitatis laicis locata non
* gaudet immunitate....»

His autem animadversis propositum est resolvendum

Dubium.

« An constet de validitate stipulationis contractus emphy- » teutici etc. in casu. »

RESOLUTIO — Sacra Congregatio Immunitatis re discussa die 29 Maii 1838 respondere censuit: ***domum de qua in precibus non gaudere immunitate, apposito lapide.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Aedificia, quae contigua sacris templis eorum externum! ornamentum constituunt, iisdemque communicant, iuxta ss. canones immunitate ecclesiastica gaudere (1).

II. Sanctam Sedem pro temporum locorumque adiunctis identidem eamdem ecclesiasticam immunitatem ab his externis

(l) In can. *Sicut antiquitus, caus.* 17 *q.* 4 statutum legitur : « *Sicut antiquitus a sanctis Patribus statutum est, statuimus ut maior ecclesia per circuitum quadraginta passus habeat: cappeltae vero vel minores ecclesiae, triginta. Qui autem confinia eorum confringes tentaverit, aut personam hominis, vel bona eius inde subtraxerit, imi publicus latro erit, quousque emendetur, et nisi quod rapuerit reddat, excommunicetur.* »

In canone autem, qui ei subsequitur, legitur: « *Si quis tn atrio ecclesiae pugnam committit, aut homicidium fecerit, quidquid pro immunitate violata emendandum est, altaria solvatur, cuiuscumque fuerit illa ecclesia.»*

Huiusmodi ecclesiastica disciplina , quae congrua quaedam estensio est illius immunitatis, quae templis Dei debita apud omues fere gentes cognita est, confirmationem accepit a iure caesareo, eo tempore, quo civilis potestas non ignorabat sua officia erga personas et res ecclesiasticas. Quare Imperatores Theodosius et Valentinianus in *Leg. Pateant. C. de His qui ad ecclesias,* statuerunt: *» Pateant summi Dei templa timentibus^ nec sola altaria et oratorium templi circumiectum, qui ecclesias quadripartito parietum septo concludit, ad tuitionem confugentium sancimus esse proposita, sed si quid ulterius est, usque ad extremas fores ecclesiae, quas oratum gestiens populus primus ingreditur, confugientibus aram salutis esse praecipimus, ut inter templum quod parietum descripsimus cinctu, et post loca publica, et ianuas primas ecclesiae, quidquid fuerit interiacens, sive in cellulis, sive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus confugas interioris templi vice tueatur.»*

Ne autem eiusmodi constitutio alicui videatur quaedam dumtaxat Principum Christianorum elargitio Ecclesiae facta, recolendum est principium quod tradidit Paulus ethnicus iurisconsultus quodque in /. 48 *ff. de Rei vindicatione,* legitur: *Quae religiosis adhaerent religiosa sunt, et idcirco nec lapides inaedificati postquam remoti sunt vindicari possunt.»-* Quid diceret eiusmodi Iurisconsultus, si

templorum locis adimere, firma manente immunitate intra templorum ambitum (1).

III. Non gaudere immunitate ea externa aedificia, quae quamvis intra locum immunem consistere videantur, tamen, communicatione cum templo interclusa, incolenda laicis locentur.

nunc viveret et nomine christiano gloriantur, cum tot arbitraria placita conspiceret, et tot nugas audiret circa res cultui divino dicatas?

(i) Vid. Append. XIV.in qwa praeclarissima affertur epistola , qua s. tempii immunitatem violatam vindicavit celebris^ Alexander Sperelli Episcopus Eugubinus».

APPENDIX XIV.

PRAECLARA EPISTOLA , QUAM CELEBRIS ALEXANDER SPERELLI EPISCOPUS EUGUBINUS SCRIPSIT AD SERENTSSIMUM CAESAREM ESTEKSEM DUCEM MUTINAE *IN* DEFENSIONEM ECCLESIASTICAE IMMUNITATIS.

Occasione eorum quae adnotavimus in pag. 486 nolumus praetermittere praeclarum defensionis exemplum , quo Episcopus Alexander Sperelli quamdam violationem ecclesiasticae immunitatis iure vindicavit.

Alexander Sperelli qui floruit medio saeculo XVII. celebris in canonica iurisprudentia, maxime in ea parte quae ecclesiasticam respicit immunitatem, in opere cui titulus *Decisiones fori ecclesiastici decis.* 104 *et* 105 ampie disceptat super facto quod sibi contigit in sua dioecesi dum episcopali munere fungeretur. Factum autem est huiusmodi: Quidam patrato delicto ad ecclesiam confugerat: Praetor semel atque iterum institit apud Curiam ecclesiasticam ut reus ex ecclesia extraheretur,quem asserebat proditorem, et privilegio asyli destitutum. Verum cum delictum potius in rixa videretur commissum , Episcopus cum sibi aliud non constaret extractionem denegavit.

At Praetor auctoritate propria illum extraxit, ad publicos carceres duci iussit, rigoroso examini subiecit, denique capite damnavit.

Harum rerum Episcopus certior factus non admovit preces Caesari, «ed fretus iure suo iu Curia ecclesiastica citavit Preetorem eiusque ministros *ad dicendum causam quare declarare non deberet eos incidisse m excommunicationem.*

Sed neque Praetor neque eius ministri pluries citati ac moniti sese in Curia stiterunt. Quare Episcopus in eorum contumacia sententiam declaratoriam tulit, et eos non solum excommunicatos edixit , sed etiam (quin multum attenderet an reliquae poenae ex Iure inflictae in desuetudinem abierint) tam Iudicem seu Praetorem, quam Cancellarium ab officio suspensos, et ad alia officia in posterum obtinenda inhabiles declaravit; ad omnia damna filiis orphanis eiusdem rei indebitae morti damnati teneri edixit : *birruarios* vero ad triremes per quinquennium damnavit.

Eiusmodi publica sententia se laesos eiusmodi Ministri existimantes ad Caesarem confugerunt, qui ad Episcopum rescribens sequentem habuit responsionem ;

Serenissime Princeps.

«Literas Celsitudinistuae, hesterna die, ea, qua decuit, reverentia accepi; at non sine animi moerore perlegi ; cernens me tibi iufensum quod Castri novi Praetorem ob violatam Ecclesiae immunitatem excommunicatum declaraverim ; sublevat

me tamen et innocentia mea, et nota pietas tua, et rei gestae series diversis a Praetore obnubilata spe•ctris, ac mendaciorum obumbrata caligine. Liceat mibi Christiana eloqui libertate : hac infelicitate Principum aulae laborant, ut nunquam veritas simplici cultu ad eorum pertingat vestibulum, sed semper fucata, variisque involuta fallaces, scenico apparatu quasi mima compareat. A te, Princeps, ira percito, ac mendaciis tentato, ad te plagatum ac verius instructum provoco.

•> Praetor per suos lictores Virum, qui sacri Templi fidei salutem vitamque commiserat , exturbavit, extraxit, in vincula coniecit; ab aris sacris ad carceres violenter traxit; meumqne Cancellarium meo nomine illum reposcentem e suo conspectu contumeliose expulit. Quod summis Potestatibus imperiali diademate coruscantibus non permittitur, ille impia temeritate attentavit, imo perfecit: humana iudicia pervertit : divinam exitiali vilipendio contempsit, Deum gravissime offendit, Ecclesiae iurisdictionem usurpavit, templi Maiestatem laesit; me, Dei locum hac in parte, licet immeritum , gerentem sprevit; populo universo scandalum maximum praebuit. Quid ego in hac pressura constitutus agere poteram Serenissime Princeps? Te, inquis, certiorem facere, ad tuam celsitudinem, iustitiae complementum recepturus, recursum habere. Cur iiion potius ille oraculum Serenitate tuae consuluit, priusquam tantum adoriretur facinus ? Ergone Iudici? ego personam exuere, et litigatoris larvarn induere debui? Ergo iniustis, violentisque laicorum facilioribus ecclesiasticis Praesidibus verbis dumtaxat deprecatoriis resistere permittetur? Ergo Principis *terreni* servus de facto Dei iura violabit, ipsius vero Numinis ministro illa contrario facto tueri non licebit? Segnior erit iste in proprio munere obeundo, quam ille in suo subvertendo ? Ergone iurisdictionem, immunitatemque Ecclesiaearbitrio consiliariorum tuorum committere debui? Quid si illi Praetoris factum approbassent ? Quid si moras nectere, et verba dare studuissent ? Quid si reus interea tormento, et sic damno irreparabili admotus fuisset? Quid si eius affines apud Summum Catholicae Ecclesiae Antistitem de me conquesti fuissent? Quid si meae desidiae rationem reddere iussus essem? Quid denique (quod formidolosis est) respondendum mihi fuerat conscientiae meae, me in interiori tribunali coram Deo interpellanti ? Vides quot mihi discrimina imminebant si, aulico magis, quam religiose hac in re me gerere voluissem. Praetor transgressus est iura, et tutus erit; ego iuribus sum obsecutus, et plecti mereor . Ille in crimen laesae Maiestatis Divinae incidit, et excusatur, ego Divinitatis contumeliam ultus sum, et accusor : ille Sacrilegium admisit, et actoris personara

gerit, ego Sacrorum tutelam suscepi, et rei partes sustineo: ille politica lege capite plectendus, moneratur, ego iure divino munerandus excrucior: Divina simul, ac humana iura adversus eum armantur, et ego iugulor: insonti poena infertur quae nocenti debetur. Quid quod Praetor te laesit, ego illius cohibendo molimina, tibi sum obsecutus: ille potestate a te sibi credita abutendo tuae candidissimae famae maculam inurere non est veritus, quasi tu illius manibus haec, non te digna, gereres: quasi ille tuae interpres voluntatis haec eadem te iubente perficeret: ego potestate mihi a Deo indulta iustissime utendo, tuam tutatus sum existimationem, ostendens hac pia animadversione in pientissimi Principis ditione, ecclesiasticae auctoritatis liberum exercitium vigere: nec benevolentiae tuae metuere posse dispendia qui ecclesiastico mucrone Ecclesiae decus tuetur. Sacrorum immunitas ad patrimonium pertinet divinitatis; Ecclesiae thesaurus expietur si libero illa viduatur homine; Numen iniuriose offeditur si eius precator ab atrio extrabitur; religio violatur si supplices ab aris avelluntur; Christi decus funestatur si refuga ab eius deturbatur asylo. Iuda est, imo Iuda deterior qui Christum in suo fideli, non iam intra viridarii sepes, sed intra septa sacrarum aedium, imo vero in suo throno vincire] non erubescit, quod, inquit, *uni ex his minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Imo pene dixerim* in ipsum Numen manus iniuriosas exdendit. Deus enim inter reum confugam ad Maiestatem suam in Ecclesiis* adoratam, et Iudicem laicum quoquo fugit, se se quasi interponit.

» Vindex est Deus ipse violatae immunitatis, qui per Angelos e-coelis missos Heliodorum, sacri' aerarii invasorem, atrociter flagellavit: 2. *Machab.* 3. 24. magnifice Praelatis insinuane, ut qui in custodiendis urbibus Angelicum gerunt officium, pari constantia in Sacrilegos animadvertant, quando ipsius aulae coelestis Principes, carnificum in morem eos fustibus eae dere non dedignantur, qui, non dicam viros extrahere, sed (quod" minus est) pecunias templorum Religioni concreditas expilare praesumunt. Bursus iusti Dei iudicii! testis cumulatissimus sit Eutropius^ ut de aliis t acca m, qui dum. ecclesiasticae immunitati praeiudicium molitur, suae ipsius tragediae* infelicissimam catastropbem parat „ ita ut de culmine gloriae in intimam, deiectus ignominiam, a Dei templo, cuius patrocinio se indignum reddiderat, ad funestissimum supplicium traheretur. *Niceforus tib.* 13. *cap.* 4.

» Et merito quidem: quid enim scelestius, quid execrabilius, quam veri aeternique Dei templo eam denegare venerationem, quam barbari certatim inanimii idolorum delubris obsequentissime impendunt.

» Parum est deteriorem Ethnicis

fuisse; et dicam et brutis; eum id .natura etiam illa docuerit. Canes ^etenim venatici leporem insectantes, *d:)i illum sub equo -, cui sanctus Anselmus Cantuariae Praesul assidebat, «e recepisse conspexere, immunitatem , ad quam confugerat violare non sunt ausi: sed cominus •latrantes, illumque o«wiino attingere non valentes , pium in religionem obsequium Christi cultoribus miriiice praedicabant. Plectendus igitur erat Pcaetor qui pia impie tractavit; qui paterna monita non tulit, factis erat corripiendus; scelus omnium conspectibus expositum deterrendum, Numen placandum. Crimen ratificat qui crimiuis auctorem non punit, qui non persequitur, piaculum approbat qui illud expiare delectat ; plurimos ad delinquendum invitat qui delictis veniam indulget, iniurus est Deo qui Dei iniuriam non ulciscitur; laudandus e contra est, non degradandus qui Dei gloriam zelatus est, vel saltem ignoscendus qui Ministerium suum necessaria cum acrimonia adimplevit: •de perfidia damnarentur Celsitudinis tuae excubitores si qnenquam palatii tui vestibulo insultantem non arcereut, non compescerent, immo vero non vinculis irretirent . Quid mirum si nos Regis Regum excubitores, aulae suae sacrae vim inferentem ab Ecclesia arceamus, vinculis nostrae militiae constringamus? Quod iure naturae vilissimis quibusque hominibus indultum est, vim <vi repellere, vetabitur Praesulibus, interdicetur Dei ministris, et quidem in causis ad ipsum Numen spectantibus? Praetorem exuberans audacia, ne dicam temeritas traduxit ; ille suo se facinore foedavit, proprio se scelere sauciavit; ego uti spiritualis medicus salubri pharmaco , ut illum sanarem sum usus: medicinalis est calix, quem illi porrexi: proderit si illum non abnuerit: amara est potio, at salutem affert: de anima agitur; non odit, sed amat, qui medelam vulneribus subministrat; crudelis est, qui illa fovet, ne displiceat. Quid plura? Ex Ecclesiae eiiciendus est promptuario, qui in Ecclesiam iniurus existit, qui pro cultu contumeliam irrogai. Expellatur a casa morbosa facta pecus, ne totum corrumpat ovile; in eo, in quo deliquit mulctetur, ut ad meliorem se recipiat frugem.

» Quamvis non ego Praetorem anathemate percusserit»: sed Deus ipse, sed sacra Concilia, sed Canones ecclesiastici, sed Petri Cathedra, iam diu in talia molientes censurarum 'acuia contorquerunt, illi sententiam fulminarunt, ego uti illorum praeco dumtaxat publicari ; meo munere functus sum, quod non nisi scelerate praetermittere poteram. In cuius rei signum absolutionis beneficium illi (quod facere inbebas) impertire nequeo : qui ligavit, ille absolvere potest. Petrus ligavit, nullam habet Alexander absolvendi facultatem , etiam me tacente Petrus clamabat, etiam me oscitanter cunctante Praetor ex Ecclesia extortus fuerat, si

mea munia neglexissem, duplici me gravarem onere, nam , et illum in sua labe insordescere permisissem, et mihi ipsi animae perniciem parassero. No!} itaque benignissime Princeps mihi irasci, ut tibi propitius sit Deus; aequi bonique consulas, ut iuxta Domini eloquium, quae sunt Caesaris, tibi Caesari, et quae sunt Dei, Deo reddantur; agnoscat mundus te non minus indigna faciliora reprobare , quam approbare digna; Tuum est non minus quam meum Ecclesiae privilegia, et splendorem tueri. Unde Sanctus Leo primus in hanc sententiam Leoni Imperatori scripsit *Epislol.* 81. *Debes incunctanter advertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen; sed vtiam maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus nefarias comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem iis, quae sunt turbala restituas.* Deus est qui regna largitur, Deus qui illa de gente in gentem transfert. Saulo religionem spernenti, diadema abstulit, illudque Davidi pro illius gloria* certanti contulit. Te quoque, tuosque posteros, ut opto, et enixe Divinam deprecor Maiestatem , pro tua in Ecclesiam veneratione, ac pietate magis magisque exaltabit, prospera cumulabit, sceptrurnque in multa saecula firmabit. Interea S - renitatem tuam humillime revereor, ac supplex oro, ne me, quem in tuam clientelam perhumaniter suscepisti, solita prosequi benignitate dedigneris. Vale etc. »

HactenusSperelli Eugubinus Episcopus.

Quinam autem huius Epistolae fuerit exitus, ipsemet Antistes enarrat in *decis.* 105. *n.* 90, ait scilicet optimum et eximium Principem, *carceratum ecclesiae religiosissime restitui iussisse, et Praelorem severa" sime redarguisse*

APPENDIX XV.

CIRCA PilAXIM S. POENITENTIARIAE APOSTOLICAE SEU CIRCA CLAUSULAM '.
« praevia absolutione a censuris et poenis ecclesiasticis ab praemissa quovis modo incursis et ab incesius realibus cum gravi poenitentia salutari. »

Eiusmodi clausula utitur S. Poenitentiaria in concedendis Pauperibus dispensationibus matrimonialibus in foro externo , quando inter sponsos incestus intervenit.

Quamvis Commissarius seu Delegatus qui Rescriptum exequitur scire non teneatur clausularum rationem ; sufficit enim ut eas exsecutioni accurate mandet : attamen convenit rationes inquirere , quae ad earumdem intelligentiam magis ducant ; quod de clausula exposita hac Appendice facimus.

Quatuor sunt partes supradictae clausulae , I. absolutio *a censuris:* 2. absolutio *a poenis ecclesiasticis;* 3. absolutio *ab incestus realibus ;* 4. impositio *gravis poenitentiae salutaris*

Incipientes a tertia parte , nempe ab *incestus reatibus,* S. Sedes incestuosis imposuit obligationem exponendi delictum in supplicibus precibus, cuius rei ratio datur, ut scilicet ab eiusmodi delicto facilius abstineant sponsi ob timorem illud in precibus enarrandi , Sauchez de *Matrim. L* 8 *disp. 2 n. S.* Eiusmodi insuper obligatio sub poena nullitatis dispensationis est imposita. Pirrus Corrado *in Praxi dispens. lib.* 7 *c.* 1 *n.* 37 *et* 38, et Benedictus XIV. *in Insti t. ecclesias.* 87 *n.* 13, extra dubium habet eiusmodi obligationem , « cum Summi Pon» tifices mentem suam super hac » re clarissime declaraverint, nam » in suis literis eum dispensationem » aliquam impertiunt sub poenam » subreptionis vel obreptionis in» dicant, ut non modo copula » explicetur si prius obvenerit , » sed etiam quo consilio , qua » voluntate inita fuit. » Haec praeterea obligatio eruitur e Constitutione : *Romanus Pontifex,* Innocentii XII. , et ex altera: *Pastor bonus,* Benedicti X!f. quae remedium afferunt iis, qui dispensationem per Apostolicam Datariam obtinuerunt *cum reticentia copulae inter eos secutae, quam, sine honoris detrimento detegere non valeant,* ut sese exprimit Benedictus XIV. §. 41 ; ac dispositum fuit, ut Emus Poenitentiarius Maior in his casibus *possit huiusmodi dispensationem seu respective revalidalionem in foro conscientiae tantum concedere.*

Cur autem a S. Sede committatur absolutio ab incestus reatibus in dispensationibus matrimonialibus explicat Corradus *loc. cit. c. 2 n.* 12

his verbis ab huiusmodi incestu » *(absolutio)* nemini videtur reser- » vata, ac propterea quilibet in- » ferior potest ab illo absolvere » Oratores; attamen quia ea peti- » tur ad effectum contrahendi ma- » trimonium, praevia dispensatione » Apostolica, cum non possit cum » ipsis dispensari, nisi prius fuerint » absoluti ab incestu , propterea » stylus ita se habet, ut in sup- >• plicatione petatur absolutio, et in » Litteris dispensationis committa- » tur, et sic per signaturam sup- » plicationis, Papa voluit *totum ne-* » *gotium ad se avocare, et inferio-* » *rum manus ligare.* Inconveniens » enim esset, quod licei absolutio - abincestu non sit Papae reservata^ » possit tamen Episcopus sive alius » inferior ab eo absolvere , ante, » vel post dispensationem obtentam » a Papa, qui tamquam necessarium » antecedens ad dispensationem, » trahit ad se etiam absolutionem ; » nam postquam Summus Pontifex » sive a principio aliquid agit sive » ad se revocat aliquod negotium, » ligantur manus inferiorum , ut » nihil valide in eadem causa per » illos fieri possit. » Quae praeclara doctrina multa explicat.

Ad primam clausulae partem quod attinet, nempe ad absolutionem *a censuris,* certum est, *simplicem* incestum ex communi iure non secumferre censuram S. Sedi reservatam, quin imo in nullam censuram incestuosus incurrit, quemadmodum demonstravit Giraldi in adnotationibus, quas fecit operi P. Thesauri *De poenis ecclesiasticis,* in adnotatione *sub n.* 3 *cap.* 1 *part. 2.* Dixi *simplicem* incestum , namque incestuosi qui attentaverint matrimonium sine Apostolica dispensatione in excommunicationem *latae sententiae* incurrunt ex *Clement. unic.* de *Consanguin. et affin.,* in qua haec sancita sunt. *Hos (qui divino timore posposilo in suarum periculum animarum) scienter in gradibus consanguinitatis et affinitatis constitutione canonica interdicti, aut cum monialibus contrahere non verentur; necnon religiosos et moniales ac clericos in sacris ordinibus constitutos matrimonii contrahentes, refraenare metu poenae ab eiusmodi eorum temeritatis audacia cupientes, ipsos excommunicationis sententiae ipso facto decernimus subiacere. Praecipientes ecclesiarum Praelatis ut illos quos eis constiterit taliter contraxisse , excommunicatos publice iamdiu nuntient, seu a suis subditis faciant nunliari, donec suum humiliter recognoscentes errorem separentur ab invicem, ei absolutionis obtinere beneficium mereantur. Per praedicta quoque iuribus, quae sic contrahentibus alias poenas imponunt, in nullo volumus derogari.* » Haec confirmavit per Const. *Sicut antiquus,* Greg. XIV (1).

Quare cum S.Sedes per clausulam

(1) Expedit heic adiicere partem dispositivam dictae Constitutionis Gregorii XIV , quae Constitutio in Bullario inserta non reperitur. Itaque Summus Pontifex mala commemorans derivantia ex incestuosis coniuncfionibus, qnae Deo et hominibus

de qua agimus facultatem tribuat absolvendi incestuosum a censuris, illae censurae intelliguntur, quae reperiuntur forsan inflictae in legibus dioecesanis. In plerisque enim dioecesibus incestus iuter casus resenatos recensetur: et est casus qui inter reservatos locum habere potest, iuxta ea quae tradit Benedictus XIV*, de *Synodo Dioec. L* 5 c. 5 *n.* 1. In multis dioecesibus casus hic reservatus est cum excommunicatione saltem usque ad secundum gradum, ut ex. gr. est in Neapolitana Archidioecesi, ut videre est in catalogo casuum reservatorum cum excommunicatione a s. Alphonso de Ligorio relato in sua morali theologia.

Hinc provide S. Poenitentiaria exigit ut absolutio a censuris praemittatur. Nam cum ut supra diximus iuxta doctrinam a Corrado expositam dispensationi praemittenda

abominabiles sunt, ac poenas in Concilio Viennensi inflictas iis qui matrimonia huiusmodi scienter in suarum periculum animarum contrahere praesumunt, haec praescripsit: « Motu-proprio, et ex certa scientia nostra omnes et singulas poenas » ac censuras contra incestuosos praefatos quomodocumque promulgatas innovando » hac irrefragabili nostra declaratione omnibus denunciandum seu intimandum » duximus, quod deinceps super primi, aut secundi tantum consanguinitatis seu » affinitatis gradus, etiam mixtorum impedimentis cum quibusvis personis, neque » in contrahendis ubi carnalis copula cum spe, vel sine spe obtinendae dispensa- » tionis, etiam prole suscepta, vel diffamatio copulae intervenerit, neque in sic » pro tempore contractis etiam scandalorum et inimicitiarum, vel alio quovis » praetextu, neque etiam cessantibus circumstantiis supradictis, nisi cum personis » ex causis a Concilio Tridentino permissis in contrahendis matrimonii huiusmodi » ullo modo dispensare intendimus: sed omnes similes dispensationes nostris tem- » poribus omnino exsulare volumus, omnimodamque spem illas quomodolibet obti- » nendi penitus submovemus....

» Caeterum ut intentio nostra facilius ad effectum perducatur ac innotescat » omnibus et singulis Locorum Ordinariis per universas christiani Orbis provin- » cias et Regna constitutis, similiter in virtute sanctae obedientiae praecipimus » et mandamus, ut quam primum poterunt praesentes Literas seu eorum trans- » umpta, quibus etiam impressis et manu publici Notarii subscriptis et alicuius » personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munitis eamdem prorsus » fidem ac ipsis originalibus Litteris praestari volumus; in singulis cathedralibus » ac porochialibus ecclesiis suarum civitatum, et dioecesium, etiam vulgari ser- is mone publicari et explicari; ac ipsarum ecclesiarum valvis affigi faciant; et contra » huiusmodi incestuosos tam viros quam mulieres cuiuscumque status, gradus, » dignitatis, ordinis et conditionis existant, iuxta sacrorum canonum decreta pro- » cedant; *ipsosque excommunicatos declarent,* 3C tamquam tales, et a Christi cor- » pore, et Ecclesiae Dei unitate separatos, ingressum ecclesiarum prohibeant, et » graviter puniant, *atque matrimonia per eos contracta dirimant, et irrita » declarent: ipsosque invicem separent, ut saltem formidine poenae, ac perpe- » tuae infamiae* ab huiusmodi nefariis incestibus abstineant... »

» Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimp • quingentesimo nonagesimo Kal. Martii, Pontificatus nostri anno primo. »

sit absolutio ab incestus reatibus, cumque impertienda non sita peccato absolutio quo aliquis in censuram incidit, nisi prius ea ensnra ipsa absolvatur, s. Alphonsus *L.* 7 *n.* 158; *si tamquam necessarium antecedens ad dispensationem Papa trahit ad se absolutionem ab incestus reatibus,* trahit ad se etiam absolutionem a censura ex lege dioecesana fortasse inflicta, et incursa. Quare congrue in prima parte clausulae iniungitur ut absolutio praemittatur *a censuris quovis modo incursis.*

Secunda clausulae pars respicit absolutionem a *poenis ecclesiasticis.* Eiusmodi autem poenae enumerantur a P. Thesauro in suo opere *De poenis ecclesiasticis par.* 2. *cap.* 1, qui cum Corrado in tractatu *De incestuosis nuptiis n.* 13 eH4 docet, vigore can. *Coniunctiones* 35 *quaes.* 2 *tf.* 3, incestuosos inter caeteras poenas infamiam incurrere. Et sane, Callixtus Romanus Pontifex in eo canone haec sanxisse legitur. « *Coniunctiones consanguineorum fieri prohibentur. Quare? Quia has Divinae saeculique proh.benl leges. Leges ergo divitiae hoc agentes, ei eos qui ex cis prodeunt, non solum eiiciunt, sed etiam maledictos appellant. Leges ergo saeculi infames tales vocant, et ab haereditate repellunt. Nos vero sequentes Patres nostros, infamia eos notamus, et infames esse censemus: quia infamiae maculis sunt aspersi : nec eos viros, nec accusationes eorum (quas leges saeculi reiiciunt) suscipere debemus...* »

Demum quarta clausulae parte impositio iniungitur gravis et salutaris poenitentiae, cuius impositionis ratio cuique patet. *Delicta enim in nullo casu debent impunita remanere,* quemadmodum inter alios docet Marcus Leo par. 2 *De formulis dispens. Matrim, c. In.* 49, qui de incestuosis loquens, subiungit., *ideo Maior Poenitentiarius mandat hic imponi poenitentiam.* Poenitentia autem gravis et salutaris esse debet, ut ex eadem et delicti gravitatem incestuosi agnoscant, et remedium ad aeternam salutem percipiant, ut idem Marcus Leo *loc. cit. n.* 53 *et* 5i, animadvertit.

EX S. COIG8EGATI0NE CONCILII.

MANUTENTIONIS SEU REINTEGRATIONI.

Me* 3 *Mart.* 1860, 27 *Ian. et* 22 *Dec.* 1866.** ***Sess.* 21 *c. 4 de Re/.

Causa haec celebris, quae circa parochialia iura tota vertitur, ex longaeva factorum serie quammaxime implexa, accedente acri partium contentione, adeo excrevit, ut omnes scripturae, sive ***restrictus,*** sive ***summaria*** ac caetera, quae typis tradita sunt, ascendant ad ingentem paginarum numerum circiter 540. Itaque ex documentis ea attingendus dumtaxat, quae statum quaestionis innuant.

Compendium facti. In oppido, ***Tarcenti*** nomine, Utinensis Archidioeceseos ab immemorabili tempore ampla Plebania seu Parochia extat, quae ab Adriano VI. unita fuit Metropolitano Capitulo, cuius territorium sex amplectebatur filiales ecclesias, quarum curam una cum Plebano seu Parocho plures Cappellani coadiutores gerebant.

Ineunte saeculo XV. parochiani trium pagorum nomine ***Seguacco, Villaefrigidae et Collisalli,*** quos brevitatis causa appellabimus A. B. C, optarunt sibi habere Sacerdotem, qui iugiter resideret in ecclesiis pagi A., eumque non quidem a Plebano, ut moris erat, sed ab ipsis eligendum. Causa id temporis acta est, et Vicarius Generalis nomine Guarnerius in contentione partium anno 1446 ***personaliter*** inspecta distantia locorum inter Plebaniam et pagum A., sequentem sententiam emisit : 1° ***quod homines de pagis A. B. C. valeant et possint eligere sibi unum Sacerdotem qui eisdem deserviat, et quod idem confirmetur per praefatum Plebanum, sive per B. D. Vicarium....*** 2° ***Quod praefatus Sacerdos habitans in pago A. teneatur et obligatus sit accedere ad praedictam Plebem*** (seu parochialem ecclesiam) ***et ibi celebrare cum aliis Vicariis in purificatione B. M. V. etc.*** 3° ***Quod***

in festivitatibus s. Michaelis et s. Euphemiae Vicarii duo habitantes in T ar cento possint in ecclesiis s. Euphemiae et s. Michaelis de Segnacco (pagi A) ***celebrare, et partem oblationum ea die factarum super altaribus habere aequaliter.*** 4° ***Quod praefatus Sacerdos teneatur et debeat in Plebe Torcenti celebrare in Dominicis duabus in mense quolibet. . . . .quod in una praef alarum ecclesiarum Segnacci constituatur unum Baptisma*** (idest fons baptismalis), ***quod ibidem perpetuo remaneat, et corpus Christi, et Unctio extrema, ei quod Baptismate non possit uti nisi in casu necessitatis.*** 5° ***Quod praefatus Sacerdos habere debeat de Quartesiis*** (hoc nomine eo loci appellantur quaedam decimae) ***dictae Plebis, videlicet frumenti s. tria vini etc., et teneatur et debeat cognoscere Plebem 'Farcenti in dominam.*** 6° ***Quod praefatae Communitates A. B. C. teneantur dare praefato Sacerdoti pro substentatione sua tantum quod ei sufficiat ut honorifice vivere possit, nec valeant inquietare praefatum Plebanum, nec successores suos in aliquo iuxta praedicta... T Demum quod praefatus Sacerdos in signum filialis obedientiae teneatur annuatim praesentare Plebano Tarcenti cereum unum duarum librarum. »***

Huiusmodi sententia in rem iudicatam cum transiisset, hanc Nicol. V. (cui relatum fuerat, ob locorum distantiam, pluviarum, nivium, glacierum et tempestatum impedimenta nonnullos ex commorantibus in praedictis pagis absque Confessione sacramentali, quosdam vero eorumdem infantes absque baptismo decessisse) in omnibus et singulis confirmandam decrevit V. kalend. Maii **1447,**

Post haec decursu temporis plures intervenerunt iurisdictionis actus , decreta et controversiae , de quibus sermo erit in synoptica disceptatione : sed hic praetereunda non est sententia quaedam, quae die 22 Ianuarii 1741 a laico tribunali emissa est.

Nam Parochiani trium pagorum a laico tribunali petierunt: 1° ut definiretur ecclesia s. Michaelis esse verum ecclesiasticum beneficium curatum per se subsistens distinctum a Plebania Tarcenti: 2° ut sibi et praeservalum maneret ius seu possessio eligendi proprium Sacerdotem, ita ut ipsa canonica institutione Sacerdos electus consequeretur titulum curae animarum: 3° ut in eodem beneficio cum cura animarum non duo, sed unus tantum esset Rector, Sacerdos nempe ab se electus qui canonica institutione libere sacramenta administrare^ ab eoque iidem parochiani

sacramenta etc. sumere tenerentur, manentibus tamen iuribus bonorifiois favore Plebaniae Tarcenti etc.

Laicum tribunal, audito Capitulo Utinensi quod tribus petitionibus restitit, sententiam emisit supplicantibus adversam: ac deinde Officialis civilis eamdem sententiam executioni mandavit, praescribens simul methodum et normam ad praecidendas in posterum iamdiu agitatas controversias, quae norma officia et iura determinabat tum Plebani, tum Sacerdotis cappellani.

Denique Ordinarius die 12 Iunii anni 1857 animadvertens, a quadringentis abhinc annis gravem vigere quaestionem inter utramque ecclesiam , quod Plebanus contenderet sibi competere plenam animarum curam non solum in Plebania Tarcenti, sed etiam in tribus pagis, ita ut eorum Sacerdos habendus esset ut simplex Plebani delegatus: e contrario parochiani eorumdem pagorum sustinerent parochialitatem ecclesiae s. Euphemiae; ad removendam controversiarum causam, expetito suffragio proborum virorum, peculiari consultatione habita, omnibusque perpensis, controversiam summaria methodo definire iudicavit, sequenti emisso decreto:

I. Ecclesiam s. Euphemiae pagi A. esse Vicariam perpetuam, ideoque Rectorem eiusdem exercere curam Animarum in tribus pagis vi sui tituli iurisdictione propria, non autem delegata (1): ideoque ad eumdem Rectorem excluso Plebano pertinere administrationem sacramentorum etc., eumdemque posse Plebano excluso testimoniales literas dare super moribus, nativitate, matrimoniis, morte eorumdem parochianorum, et stolae ius habere intra ambitum trium pagorum.

IL E contra Plebanum Tarcenti esse Parochum primitivum; ad eundem propterea pertinere ius ***Quartesii,*** seu decimarum in integro territorio trium pagorum, iuxta etc.

III. Ecclesiam pagi A. signa honoris erga ecclesiam matricem Plebani exhibere debere: quae autem essent honoris signa sex articulis Ordinarius determinavit.

Duobus elapsis mensibus cum dimidio ab eo decreto edito, Plebanus Tarcenti ab Ordinario petiit, ut decretum ipsum supremae potestati ecclesiasticae exhiberetur ; cumque negativum habuisset responsum, quod utile tempus ad appellandi

di **Vid. adnotationem 3 in *Folum. I. pag.* 673.**

dum longe esset praeterlapsum, supplicem libellum SSmo D. N. transmisit, quo petiit ut, decreto revocato, in sui favorem decerneretur manutentio, et, quatenus opus esset, reintegratio in quasi-possessione omnium parochialium iurium super filiali ecclesia trium palorum. Audita Archiepiscopi relatione, quaestio proposita est sub dubio quod in calce ponitur.

Disceptatio synoptica.

EA QUAE EX PARTE CURIAE IN DEFENSIONEM DECRETI ADDUCEBANTUR. — Animadvertebat Curia, se per illud decretum naturam beneficii s. Euphemiae determinasse, ad controversias dirimendas prae oculis habitis authenticis documentis, ac primo loco sententia Guarnierana anni 1446 confirmata a Nicolao V. de qua supra mentionem fecimus.

Quin imo non multo post, anno scilicet 1455, controversiam •quamdam exortam per Arbitrum definitam fuisse, in qua illud notatu dignum, Sacerdoti instituto et instituendo in dictis pagis concessum fuisse, ut possit «quocumque tempore, et quoties » fuerit opportunum, earum habitatoribus quaelibet ecclesiastica » sacramenta ministrare, ita ut ipsi nullo anni tempore pro eis » recipiendis teneantur ad ecclesiam et Plebem s. Petri de Tar» cento matricem accedere. »

Documenta, quae illud tempus subsequerentur, exhibere ecclesiam s. Euphemiae de Segnacco seu pagi A. ut beneficium curatum : illud Sacerdoti canonica institutione fuisse tributum, omnibus scilicet solemnitatibus servatis: id erui posse ex literis institutionis per duo ferme saecula: Rectorem demum eiusdem pagi, non solum baptisma et caetera sacramenta in sua ecclesia administrasse, sed etiam post Concilii Tridentini decreta, matrimoniis a suis parochianis contrahendis ordinaria potestate adstitisse.

Enarrata insuper brevi factorum subsequentium historia, quae in id recidit, lites et controversias saepius excitatas esse super uno alterove iurisdictionis capite, modo in possessorio, modo in petitorio ; item super nomine quo ecclesia modo *parochialis* dicta esset, modo *Cappellania curata in parochia Tarcenti:* tandem in praesentia quaestionem delatam fuisse a Parochianis trium pagorum, vacante paroecia, ad civile gubernium, quod ean-

dem quaestionem Utinensi Curiae demum remisit, ut controversia definiretur.

Cum autem ex idearum confusione utrinque videretur fuisse excessum, et possessorium iudicium cum petitorio cumulari, affirmabat Curia, determinatam ea sententia fuisse beneficii naturam.

Beneficii autem naturam, iuxta canonicam doctrinam, in eo esse positam, ut exigat 1° officium spirituale; 2° ius perpetuum percipiendi redditus; 3° ecclesiasticam auctoritatem quae et officium constituerit, et reddituum assignationem admiserit et confirmaverit. Quae omnia elementa, iuxtaGuarnerianam sententiam, in Vicaria de qua agimus reperiri.

Praeterea cum in antiquissimis canonicae institutionis literis ***Beneficium*** appelletur, et institutio, aninjirum cura, regimen, administratioque huius plenarie Sacerdoti committatur: cum per duo ferme saecula usque ad annum 1745 ***parochialis*** vocetur et in publicis actibus ut talis habita sit : cum per universum illud temporis intervallum, quin ullum occurreret factae delegationis indicium, Sacerdos pagi A. baptismum et reliqua sacramenta administra veri t, et matrimoniis contrahendis adstiterit: cum Praedecessor Archiepiscopus rescribens ad Gubernium anno 1840 testatus esset, eam animarum Curam omnes habere parochialis beneficii characteristicas notas; deductam inde fuisse praedictam conclusionem; praedictam scilicet ecclesiam ut beneficium curatum habendam esse.

Verum e contrario cum in citata antiqua Vicarii Generalis sententia satis appareret, Sacerdotem pagi A. ***Vicarium*** dici; cum eidem praecipiatur ut debeat cognoscere Plebem Tarcenti ***in dominam;*** cum proinde iura quaedam honorifica huic tribuantur; cum decimarum perceptio in toto territorio trium pagorum Plebano servetur; cum beneficium illud in recentioribus canonicae institutionis literis dicatur in parochia Tarcenti: ecclesiam s. Euphemiae haud quidem ***parochialem,*** sed ***Vicariam perpetuam*** decretum fuisse iure esse appellandam.

Sic determinata beneficii natura facile fuisse iurium et officiorum tum Vicario perpetuo, tum Parocho primitivo eiusque ecclesiae matricis competentiam deducere, et iuxta canonistarum doctrinam eadem determinare ac distribuere.

Derogatum quidem fuisse laicae sententiae anni 1741 et ordinationi civilis ministri: at, praeclare heic adnotabat Curia, huiusmodi sententias, reliquasque ordinationes politicas nullius esse valoris; tum quia ab incompetente auctoritate latae fuerint, cum ad politicam auctoritatem non pertineat leges ferre circa sacramentorum administrationem et parochiales functiones, quae res spirituales prorsus et ecclesiasticae sunt: tum quia cum natura beneficii curati s. Euphemiae illae dispositiones pugnent, ut constat ex dictis.

Post haec Curia reiiciebat ea quae sibi ex parte Plebani opponebantur.

EA QUAE DEDUCEBANTUR EX PARTE PLEBANI.—Plebanus Causidicum in Urbe constituit, qui pro se causam diceret, quique magna documentorum mole adducta quaestionem cohibuit ad possessionem: studuit nimirum ostendere, Plebanum in possessionem reperiri iuris matricitatis et parochialitatis in tribus pagis; proindeque in ea possessione manuteneri debere: cum autem per illud archiepiscopale decretum e sua iurium possessione, solemnitatibus iudicialibus neglectis, fuisset exturbatus, in eam possessionem restituendum esse. Quare duplicem movebat quaestionem, de possessione scilicet retinenda, et restituenda; quae aliis verbis dicitur quaestio de manutentione et reintegratione.

CIRCA MANUTENTIONEM. — Orator initium sumens a vetusta Guarneriana sententia, contendebat per eam iura matricitatis et parochialitatis servata Aiisse favore Plebani, cum in ea sententia statutum quidem sit, ut Sacerdos trium pagorum eligeretur ab iisdem parochianis, et in ecclesia s. Euphemiae resideret: attamen reliqua fere iura sarta tectaque mansisse: namque iuxta eam sententiam Cappellani coadiutores tenebantur ***recognoscere Plebem Tarcenti in dominam:*** ipsimet confirmandi erant ***per Plebanum :*** fonte Baptismatis uti non poterant ***nisi in casu necessitatis.*** Quibus Defensor adiungebat plures subsequentes actus, quibus scilicet ecclesia s. Euphemiae dicta est ***filialis Plebis Tarcenti ;*** Rectores dicti sunt ***Cappellani officiantes:*** addebat acta quibus possessio novis Plebanis dabatur; namque iuxta ea Plebani immittebantur in possessionem omnium ecclesiarum filialium nullo facto discrimine: accedebant acta funerum, Baptismatum, matrimoniorum, quae continuam Plebanorum possessio-

veni iurium ***tum matricitatis, tum parochialitatis*** quinque ab hinc saeculis confirmare videbantur: acta iudicialia, quibus pluries decretum fuerat, Plebanum Tarcenti conservandum esse in possessione praerogativarum et iurium parochialitatis in omnibus.

His aliisque similibus in facto cumulatis, concludebat, non posse Plebanum per illud extraiudiciale decretum ab hac possessione deiici, ac proinde locum fieri debere Praetoriano interdicto, quod iuxta veteres romanas leges appellatur ***Uti possidetis:*** sic Yoet ad Pandectas ***lib.*** 43 ***tit.*** 17 ***n.*** 1 scribit: « Sicut in-
» terdictum ***Unde vi,*** est recuperandae amissae possessionis, ita
)> hoc ***(interdictum) Uti possidetis,*** sic dictum a primis verbis edi-
y> cti et interdicti Praetorii, est ***retinendae possessionis ne amit-***
)) lat ur ; prohibitorum , ne vis fìat possidenti, qui nec vi, nec
» clam, nec precario possidet. »

Eiusmodi autem interdictum seu remedium, quod Praetor dabat, ne vis inferatur ei qui possidet, hodie idem esse ac mandatum de manutenendo, ut tradit Portius ***de Manui, observ.*** 3 n. 17, ubi scribit: «hodie communiter in Rota et in Curia Romana idem
i> est mandatum de manutenendo, ac interdictum possessorium
D ***Uti possidetis,*** sive ***Retinendae,*** cum remedium, per quod quis
•» manutenetur in possessione, sit retinendae, non autem adipi—
» scendae vel resti tuendae ***(possessionis).»***

Eiusmodi autem remedium quamvis antiquitus concederetur .ad retinendam possessionem soli, fundi, areae etc. tamen ut inquit Voet ***loc. cit.*** « Interdictum hoc usu extendi ad iurisdictio-
» nem, censum, ***Beneficia ecclesiastica,*** munera publica et hono-
» res, aliaque similia.

Hoc remedium retinendae possessionis, subiungebat Orator, competere etiam illi qui vi, clam, aut precario possidet a tertio, qui non est in iudicio eius adversarius, /. I ***ff'. Uti possidetis §.*** 9. Quare Voet ***loc. cit.*** scripsit: « Competit hoc interdictum ei,
» qui possidet, vel quasi-possidet tempore litis contestatae non
» vi, clam, precario, ab adversario, licet a tertio, vi, clam, et
» precario possideat, sic ut parum referat utrum iuste vel iniu-
» ste possideat, si modo haec duo probet, possessionem ex parte
» sua, turbationem vero. ex parte adversarii.»

Concludebat autem Defensor adducendo doctrinam S. Rotae expositam in causa ***Romana reduci, in pristinum*** 24 Martii 1828,

g, 13 in qua legitur: « Hoc iudicium cum sit possessorium, hinc » universa eius investigatio sita est in hoc uno, num actores possideant nec ne rem in quaestione positam. Et cum de hae » possessione evidentissime constaret, ius inde certum eis erat » ad assequendam manutentionem, quae iis semper de iure con» ceditur, qui possident.... Si versaremur in iudicio petitorio, » nemini dubium esse posset, quin haec longaeva observantia » satis esset ad firmandum bonum ius actorum, quae praese» ferret quemcumque, uti Forenses aiunt, meliorem titulum de » mundo; multo ergo magis valere, immo et superabundare de» bet ad concedendam actoribus manutentionem. »

CIRCA REINTEGRATIONEM. — Ad alteram susceptae defensionis partem deveniens Defensor, copiosissima oratione contendebat, Piebanum esse reintegrandum.

Quoniam reintegratio datur illi, qui e sua possessione de* iectus est; qui ex boni iuris praesidio manutenendus esset, eo vel magis reintegrandus: haec duo remedia Manutentionis, et Reintegrationis simul posse utique cumulari, ceu perpendit S. Rota ***n Melevitana super Mania.*** 21 Aprilis 1817 ***coram Odescalchi.***

Id quod e sua longaeva possessione Plebanum deiecit, si tamen deiecerit,inquiebat Defensor, esse decretum extraiudiciale dismembrationis de quo agimus: atqui eiusmodi decretum sive consideretur quoad ***intrinseca,*** sive quoad ***extrinseca,*** suis viribus subsistere non posse. Cum enim dismembratio sit species alienationis,, hanc fieri non debere nisi cum solemnitatibus, et iusta causa;, adeo ut unum sine alia non suffragetur: dismembrationem autem paroeciarum alienationem sapere, ideoque nonnisi in subsidium ac gravissimis urgentibus causis necessitatis et utilitatis ecclesiae esse permittendam, ut perpenditur in quadam Causa ***Brixien,*** die 26 Septemb. 1858 agitata in S. C. C.

Causam autem legitimae dismembrationis, subiungebat Orator, esse locorum distantiam sive difficultatem, qua Parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possint ad ecclesiam parochialem,, iuxta ea quae statuta sunt in Trid. Concilio ***sess.*** 21 c. 4. Ostendebat autem eiusmodi distantiam et difficultatem viarum in nostro themate non adesse: quae incommoda etsi in casu haberentur , non tamen deveniendum ad odiosissimum dismem-

brationis actum, cum satis illis pagis provisum esset per Sacerdotem ibi residentem in Plebani auxilium, ceu pluries docuit S. Rota, et tradit cum multis Auctoribus Ferraris ***verbo Dismembratio n.*** 15, quo legitur: « non permittitur tamen dismembratio, » supradictis non obstantibus, quoties Parochianis distantibus » consultum est per Coadiutorem, qui possit sacramenta mini- » strare in commodiori ecclesia. »

Neque causam dismembrationis esse posse quaestiones quas Curia inquiebat semper viguisse: nam aut agitur de iuris quaestionibus, et has definitas fuisse per plures iudiciales sententias, quae in res-iudicatas transiverunt, quaeque, ut practici loquuntur, faciunt de albo nigrum, et de nigro album, idest pro veritate res-iudicata est habenda: aut agitur de quaestionibus ex animorum aversione exortis, et huiusmodi quaestiones causam constituere non posse infringendi immemorabilem consuetudinem, res-iudicatas, Litteras Apostolicas. Quin imo si eiusmodi animorum aversio adesset, subdebat Orator, per illud decretum huic aversioni non fuisse consultum , cum rumores incubuerint. Haec quoad ***intrinseca*** amplissime disputavit Defensor.

In examen deinde revocans decretum quoad ***extrinseca,*** contendebat nullitate laborare, quia emissum fuerat non citatis illis quorum id intererat. Non enim fuerat citatus Plebanus uti Rector ecclesiae, neque Capitulum uti Patronus. Notum siquidem esse id quod in ***cap.*** 1 ***deReb. eccles, non alien, in*** 6° statutum legitur. Cum enim Episcopus Dulmensis Archidiaconatui suae ecclesiae cum consensu sui Capituli decimas cuiusdam vacantis paroeciae concessisset, nullam et irritam eiusmodi concessionem declaravit Innocentius IV., quia sine debitis solemnitatibus fuerat peracta: hanc enim rationem dedit idem Innocentius: « ***Quia-vero concessione huiusmodi dicta ecclesia f cum vacaret) legitimo caruit Defensore, qui sibi prius ab eodem Episcopo debuerat deputari; quia etiam tractatus solemnis et diligens, qui in talibus concessionibus perpetuis et alienationibus rerum ecclesiasticarum exigitur, non fuit habitus in eadem ; ordinationem et concessionem ipsam (praesertim cum evidens necessitas quare fieri deberet vel utilitas non subesset) de Fratrum nostrorum consilio decernimus non valere; dictas decimas ipsi ecclesiae tanquam pertinentes ad***

eam sententialiter adiudicare curantes. » Item Concil. Trid. ***session.*** 7 ***de Ref. c.*** 6, ***et sess.*** 24 ***c.*** 15 ***de Ref.***

Et pluribus auctoritatibus adductis ostendebat Defensor in dismembratione facienda necessariam solemnitatem esse Rectoris citationem, Lotterius ***de Re benefic. lib. q.*** 28 ***n.*** 1; S. Rota ***par.*** 7 ***dec.*** 68 ***n. i et seq. recent., et in Leodien. Dismemb.*** 3 Iulii 1713 ***coram Crispo***; neque vero in casu nostro sufficere, Ordinarium audiisse ante decreti emissionem Plebanum et Capitulum patronum ; non enim citati fuerant sed extraiudicialiter auditi.

His aliisque copiose disputatis propositum est rcsolvendum

11U i U 211.

« An sit locus manutentioni, seu potius reintegrationi in » casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii causa discussa in comitiis habilis die 3 Martii 1860 respondere censuit: ***affirmative in omnibus.***

CAUSAE CONTINUATIO. —Huius Resolutio ita Ordinario fuit communicata, ut pro suo arbitrio et conscientia eam executioni mandaret. At quaestio iterum exarsit: nam Plebanus sollicite quaerens, ut Resolutio exsecutioni mandaretur, novas preces S. Congregationi obtulit: id cum rescivissent Praefecti communitatis pagi A, semel atque iterum reclamarunt his de causis, tum quia non fuerant interpellati, tum quia iuspatronatus gauderent. Perpensis instantiis die 28 Februarii 1863 decretum fuit, ut causa =coram S. C. ***reproponeretur in folio,*** idque Vicario Capitulari notificantur eum in finem, ut auditis omnibus quorum id intererat, S Congregationem de resultantibus certiorem faceret. Brevi; auditi tandem fuerunt patresfarnilias trium pagorum, eorumque deductiones, transmissa ab Ordinario amplissima relatione facti et iuris, propositisque utrinque Caus'd»cis, causa iterum in disputationem deducta est.

Relatio Ordinarii seu Fiscalis ecclesiasticae Curiae iterum ostendebat, Curam animarum trium pagorum esse Vicariam perpetuam : id ostendebat, non solum ex Guarneriana vetustaque sententia ex qua facile eruitur; sed ex iugi observantia, quae ex actis ecclesiasticae Curkie aliisque documentis constans

fuerat, quamvis peculiaria, et arbitraria facta non semper iuri et "Vicariae perpetuae indoli fuissent conformia. Proindeque praesentem causam minime spectare ostendebat ad paroeciarum dismembrationem, quae quidem fieri nequivisset sine debitis solemnitatibus, quamvis ad rixas, seditionesque resecandas, si paroecia disiuncta non fuisset, disiungenda esset: sed eamdem spectare ad iu/a utriusque paroeciae determinanda, quae ex natura antiquae dismembrationis, seu Vicariae perpetuae profluunt, ut quatuor saeculorum quaestionibus finis tandem imponeretur.

Defensor Vicariae perpetuae ampla alienatione contendebat, quaestionem praesentem non posse agi ***in possessorio,*** quemadmodum factum fuerat in praecedenti propositione, sed agi debere eo modo quo incoepta fuerat, scilicet ***in petitorio,*** primamque Resolutionem sustineri non posse, quia interpellati et citati a Plebano non fuerant omnes quorum id intererat.

Propositum itaque est

Dubium.

« An sit standum vel recedendum a decisis in casu. »

RESOLUTIO.— S. Congregatio die 27 Ian. 1866 re ex integro in examen vocata, novisque deductionibus perpensis, respondere censuit: ***recedendum a decisis.***

Nova audientiae venia a Procuratore Plebani impetrata, reque iterum in disputationem deducta , ad dubium propositum: **u** an sit standum in primo, vel secundo loco decisis:» S. Congregatio iterum causa discussa die 22 Decembris 1866 respondit: ***in secundo loco decisis, et amplius*** (1).

Ex HIS COLLIGES.

I. Quaestiones super possessione duplicis generis esse, aut •de possessione ***retinenda,*** aut de possessione ***recuperanda*** (2).

II. In forensi ratione loquendi, eum, qui ius habet retinendae possessionis, ***manutenendum*** esse; qui vero recuperandae possessionis, ***reintegrandum*** dici.

(1) **Causam Plebani dixerant Franci•*seiis* Xaverius Gentili et Carolus Modesti Advocati; causam Vicarii dixit Salvator Pallottini Adv.**

(2) « ***Omnis de possessione controversia aut eo pertinet ut quod non possidemus nobis restituatur : aut ad. hoc ut possidere nobis liceat quod posside' mus, L. 1. ff. Uti possidetis.***

III. Quaestiones super possessione seiungi posse, ac saepe? debere a quaestionibus super iuridico possidendi titulo: earumque primas iuxta forensem modum loquendi ***in possessorio*** iudicio, secundas vero ***in petitorio*** aetas dici.

IV. Praesentem quaestionem fuisse prima vice agitatam praesertim ***in possessorio,*** in qua de diuturna possessione manutenenda aut reintegranda actum est.

V. Iudicium pro manutenenda vel reintegranda possessione emissum posse deleri per contrarium iudicium petitorium, maxime si longaeva etiam possessio infirma fuisse ostendatur, nullamque vim praescriptionis obtinuisse (1).

VI. Demum colliges Vicariam perpetuam veris Beneficiis aequiparari, cui non aliud deest ut perfectum Beneficium censeatur, nisi titulus, qui in alio reperitur.

(I) Non raro contingit ut causa proposita in possessorio dumtaxat iudicio, in petitorio definiatur; id evenit cum ille qui non possidet, titulum ***clare et illico*** ostendat per quem sibi iussit possidendi: quo in casu turistae dicunt- ***iudicium possessorium absorberi per petitorium clarum :*** quod non contingit, quando, ut ipsi loquuntur , petitorium est ***turbidum,*** idest cum titulus ob quem dominium rei , aut ius contra possessionem alterius sibi aliquis vindicare contendit, est implexus, magnaque indiget disquisitione , ut contigisse videtur ii* praesenti casu , in quo titulus independentiae in cura animarum Sacerdotis trium pagorum a iurisdictione Plebaui, ob plura facta quae decursu saeculorum gesta sunt, erat valde implexus^ neque sufficiens videbatur Ordinarii decretum extraiudicialiter emissum ad evertendam ostensam possessionem seu quasi-possessionem Plebani, quae vim etiaire praescriptionis praeseferre videbatur.

ORATORII QUOAD SACRAS FUNCTIONES ET IURA PAROCHIALIA.

Die 27 *Ianuarii* 1866. *Sess.* 24 *c.* 13 *de Ref.*

Compendium facti. Imago quaedam B. V. Mariae in Regularium templo extabat intra fines paroeciae A. quae magna fidelium pietate culta, prodigiis a Deo patratis celebris reddita est. Ab antiquis temporibus statis diebus solemni pompa cum Parocho publicas supplicationes populus agebat oblationesque deferebat, quae ut plurimum erant Missarum ad eius Imaginis altare celebrandarum eleemosynae.

Exturbatis Regularibus e suis coenobiis gallica invasione, et clauso templo, nobilis vir, assentiente Archiepiscopo, in publicum, quod ipse intra eandem paroeciam possidebat, Oratorium, Imaginem transtulit, ut publicae venerationi pateret.

Non destitit tum vir nobilis Oratorii Patronus, tum fidelis populus venerationem praedictam prosequi: idemque Patronus, prout antea Regulares, curam oblationes recipiendi easdemque erogandi, suscepit.

Verum circa modum quo sacrae functiones in Oratorio perderentur et oblationes fidelium reciperentur atque erogarentur acres querimoniae admotae sunt penes Archiepiscopalem Curiam a Parocho, qui contendit illum opponi ss. Canonibus, disciplinae ecclesiasticae et statutis synodi dioecesanae, atque ab Archiepiscopo expostulavit, ut declararetur: 1° ius sibi esse libere Missam celebrandi in eo Oratorio, habendique omnia, quae ad eam celebrandam requirantur: 2° ius sibi esse dirigendi sacras functiones, nominatim vero publicas supplicationes: 3° ius sibi esse depositas suscipiendi oblationes, quae fierent dicto altari, earumdemque rationem reddendi independenter a Patrono tum oblatoribus, tum Ordinario; 4° ius sibi esse percipiendi quandam auream monetam vulgo ***doppia*** occasione dierum festorum, quae fierent eodem in Oratorio. Quibus postremo adiecit, ut Oratorium publicae venerationi fidelibus pateret.

Ad iura enucleanda, et quaestionem elucidandam praehabito voto cuiusdam Canonistae Archiepiscopus die 17 Aprilis 1852

suam protulit sententiam, qua non modo praesenti quaestioni consuluit, sed caeteris huius generis, quae excitandae, aut excitatae essent : declaravit nempe: 1° unicum factum, quo templum aliquod intra fines alicuius paroeciae reperiatur, titulum non constituere per quem considerandum sit Parocho subiectum; ***T*** publica Oratoria laici patronatus a Parocho non pendere in functionibus haud parochialibus; neque Parochum exigere posse ut Patronus omnia ipsi exhibeat, quae ad ecclesiasticas functiones requirantur : 3° ut Parochus Patrono etiam laico praeferri debeat ad oblationes fidelium recipiendas etc. sibi oportere probare ex antiqua consuetudine, oblatorum esse voluntatem ut non Patronus,,, sed Parochus de his disponere debeat : hoc noi* probato, Patronum velut oblationum Administratorem, Ordinario earumdem rationem exhibere debere: 4° Parochum exigere non posse ut invitetur ad sacras functiones in dictis publicis Oratoriis; 5° neque si invitetur ad sacrum celebrandum occasione alicuius festi diei, posse exigere monetam vulgo ***doppia,*** quod sub gravibus poenis vetitum quoque esse a Summo Pontifice Urbano VIII. innuebatur.

Eiusmodi sententia non solum Parochum qui quaestionem agitavit, sed etiam caeterorum Parochorum animos commovit. Hinc novae querimoniae, nec non opusculum quod scriptum est super iure Parochorum, quod Iansenianis aut Febronianis erroribus scatebat, prodiere.

Quaestione transmissa ad S. G. Concilii, receptaque ampla, rei informatione a novo Archiepiscopo, quaestio proposita est sub dubiis quae prostant in calce.

Disceptatio synoptiea.

QUAE FAVORE PAROCHI ADDUCTA SUNT. — Parochus in suorum iurium defensionem Causidicum (1) in Urbe constituit, qui sex concinnavit dubia , et quoad primum ea quae sequuntur deducebat:

Licet Patrono non negaret Defensor ius indicendi in suo Oratorio aliquas ecclesiasticas functiones ; negabat tamen id indiscriminatim , et sine ulla dependentia a P a r o c h o a b eodem fieri posse: aiebat enim Parochum habere ***intentionem fundatam***

(I) Carolus Menghiui Adv. iura Parochi defendenda suscepit.

iii iure (1) ut omnes cappellae quae intra fines paroeciae sitae sunt, eius subsint potestati, iuxta quae Archidiaconus in ***can. Plures c.*** 16 ***Lì,*** scripsit: «et est argumentum ex quo aliqua » cappella est sita in parochia alicuius plebis; eo ipso praesu- » mitur esse sua, nisi probetur contrarium: » item Dominicus a s. Geminiano ***ad tit. Ne clerici vel monachi. Cap. statutum.*** Augustinus Beroa ***Comm. in Decret, in capit. Licet causam de probat.***

Quamvis autem vigore Apostolici indulti privilegiis aliquibus Patronus frui diceretur, tamen cum plures actus in Oratorio peragi possint, qui ad externam ecclesiae disciplinam referuntur, quique animarum regimen respiciunt, ut publicae functiones, processiones atque alia huiusmodi, negabat ea, inconsulto Parocho, a Patrono vel intra Oratorium peragi posse: atque insuper innuebat non posse Patronum solemnes functiones in suo Oratorio celebrare, si hae incidant in horas quibus parochialis Missa celebratur, ne populus **a** Parocho abstrahatur et evangelica explicatione careat.

Sed magis insistebat adducens duos constitutionum synodalium articulos, quorum primo anno 1610 statutum fuerat: « ***decernimus, a celebrantibus... in publicis*** (Oratoriis) ***infra limites alicuius parochiae existentibus, abstinendum esse ab omnibus, quae aliquo modo directe vel indirecte vertant in parochiae praeiudicium, ut alias a provinciali concilio constitutum fuit, caveantque in primis ne in illi sconfessiones audiant, neve corpus D. N. L C. distribuant , nisi loci dominis et eius familiae tantummodo; campanulas ad convocandum populum ne pulsent, festivitates et ieiunia non annuncient.*** » Item in alia synodo anni 1646 praescriptum fuerat: ***caveant praeterea laici potissimum rurales qui Oratoriorum curam quoquomodo habent , in quibus Missae sacrificium offertur, ne vagos Sacerdotes saeculares seu regulares.... ibi sinant ullo pacto celebrare, licet dimissorias ei quascumque legitimas Ordinarii approbationes ostendant, nisi prius ipsis praesentibus iidem Sacerdotes suas dimissorias Parocho in cuius Parochia situm est Oratorium, personaliter obtulerint, quibus ab eo recognitis et examinatis licentiam ab eo, ipsis audientibus, importaverint. Quod si secus factum, Oratorium interdicto supponimus ipso facto. »***

(1) Vid. ***Fol. I. pag.*** **623** ***in adnot.***

Atque huiusmodi synodales praescriptiones vim legis pro dioecesibus habere exinde deducebat, quod in celebri Decreto Urbis et Orbis diei 10 Decèmb. 1703 Congregationis SS. RR. de huiuscemodi controversiis agente, fit exceptio his verbis : « ***salvis tamen conventionibus et pactis in erectione confraternitatum forsan initis, et a S. Sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus ac provincialibus, consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis.*** »

Quare in ***Bononien.*** die 15 Maii 1728 S. Congregatio Concilii ad dubium: « An Confraternitas indipendenter a Parocho ex» plere possit quascumque functiones in propria ecclesia: » respondit: ***affirmative, dummodo non prohibitae a Decretis generalibus, et Constitutionibus Synodalibus.***

Sed praecisione facta a constitutionibus synodalibus, in Parochi favorem convertere curabat Defensor dubium S. C. C. propositum in ***Novarien. Aggregatioiiis*** die 24 Septem. 1718 his verbis conceptum: « An Parochus possit impedire celebrationem » Missarum solemnium in dicto Oratorio Confraternitatis sive ***m*** pro vivis sive pro defunctis etiam post Missam Parochialem in » casu: » cui responsum fuit : ***affirmative, nisi accedat licentia Episcopi.*** Item quod ad sacras Processiones pertinet, adducebat dubium XXII. in celebri Decreto 1703 resolutum his verbis conceptum: « an eaedem Processiones fieri possint extra ambitum » dictarum ecclesiarum absque licentia illorum quorum territo» rium transeundum est: » cui responsum est: ***negative, nisi adsit licentia Episcopi.***

Eo magis in praesenti casu subiungebat ius ecclesiasticum Parocho assistere, in quo vir laicus, cuiusmodi erat Oratorii Patronus, sese intermisceret in deputatione Sacerdotum, Confessariorum, Presbyterum vero arceret qui fundatam intentionem habet super omnibus ecclesiis , quae intra limites suae paroeciae subsistunt, Petra ***ad Const.*** 2 ***Parchalis 11. incip. Quando.*** '

Circa secundum dubium animadvertebat Defensor non posse «ine ecclesiastici coetus dedecore laicum Patronum in oblationum administratione sese immiscere; atque allata auctoritate Fagnani ***in Cap. Pastoralis, De his quae fiunt etc.*** Reiffenst. ***I.*** 3 ***Decret, tit.*** 30 ***de Decimis*** §. 9, aliorumque, qui tradunt, Parochum tanquam primarium ecclesiae parochialis ministrum de iure com-

armili fundare intentionem in perceptione omnium oblationum •quae obveniunt intra limites suae paroeciae sive fiant Oratorio, •sive Imagini, nisi constet de contraria offerentium voluntate: idque procedere etiam respectu simplicis admnistrationis, et concludebat, Parochum esse naturalem administratorem omnium oblationum, quae intra ambitum suae paroeciae fiant.

Circa tertium dubium, quamvis Defensor concederet stricto iure non posse Parochum exigere ut ad celebrandum sacrum invitaretur, tamen cum ***non invitatio cederet in dedecus exclusi,*** ex urbanitate saltem diebus solemnioribus Parochum esse evitandum concludebat : in parvo enim oppido simplices iique extranei Sacerdotes ad celebrandum evitarentur, et paroeciae Rector, cui maxima fiducia tribuenda est, excluderetur. Adductis autem auctoritatibus ad eiusmodi urbanitatis officium ostendendum, praetermisso quarto dubio, gradiebatur ad quintum.

Circa quintum dubium expromebat Orator praxim quae Romae viget, qua in ecclesiis omnibus paramenta et utensilia ac reliqua quae necessaria sunt ad sacrificium litandum cum debitis honorificentiis iuxta personarum dignitatem nemini Sacerdoti, qui celebrare cupiat, denegantur: non negabat fundatores in erectione Cappellaniarum teneri ad prospiciendum utensilibus, caeterisque necessariis ; tum etiam Cappellanos perpetuis et permanentibus Missarum oneribus; at idem dici non posse ostendebat de Missarum celebratione, quae adventitiae dicuntur: prout inter caeteras Resolutiones definitum fuit in ***Auximana*** die 23 Februarii 1726: proposito enim dubio: «An Rectores Beneficio- » rum, Cappellani, aliique celebrantes in ecclesia collegiata Cin- » guli teneantur solvere Utensilia Capitulo dictae ecclesiae, et pro » qua summa in casu: » S. C. C. respondit: ***Rectores Beneficiorum, Cappellanos perpetuos, Canonicos obtinentes ultra Canonicatum Cappellanias perpetuas, et ipsum Capitulum pro rata onerum perpetuorum teneri ad solutionem utensilium Sacristiae ad rationem unius oboli pro qualibet Missa, exceptis tantum a solutione Utensilium Missis adventitiis; et amplius.***

Quod cum de Missis adventitiis agatur, prohibitum reperiri in notissimis Decretis Urbani VIII. in quibus statutum etiam ^est: ***permittendum non esse ut ecclesiae, ac Loca pia, seu illorum Administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum ullam ut-***

cumque minimam portionem retineant ratione expensarum, qua& subeunt in Missarum celebratione, nisi, cum ecclesiae et loca pio7 alios non habent redditus quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint, et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum Missae Sacrificio necessario sunt subeundae, et nihilominus eo etiam casu curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynam.

Si itaque permissum non est aliquid exigere pro utensilibus in Missis adventitiis, nulli profecto dubium exoriri posse concludebat Defensor nihil esse solvendum pro Missis, quae in publico templo devotionis gratia celebrentur.

Ad postremum dubium deveniens Defensor, utrum Oratorium fidelium pietati patere debeat, pro affirmativo responso iudicandum esse inquiebat, tum ex fidelium pietate quibus prohiberi nequit ne apud venerandam Imaginem vota precesque suas deferant, tum ex ipsius Oratorii natura, quod ***publicum*** idcirco dicitur, quia fidelibus perpetuo patere debet, Ferraris ***v. Oratorium,*** aliique, nominatim vero S. C. C. in ***Nitrien.*** 12 Febr. 1735 in qua, proposito dubio: «an idem Oratorium sit publicum, seu potius)) privatum in casu: » respondit: ***affirmative quoad primam partem , negative quoad secundam ; imposita tamen obligatione Corniti Iosepho restituendi apertas fores atrii de die, et constituendi cappellam congrue dotalam.***

EA QUAE FAVORE PATRONI EX OFFICIO ORSERVABANTUR. — Patronus dumtaxat factorum seriem S. Congregationi exposuit, quam loco defensionis stare posse existimabat: sed insuper ***ex officio*** nonnulla adnotata sunt: adnotabatur scilicet, totam controversiam posse revocari ad iura quae profluunt ex patronatu super Oratorio, et ad ea quae proveniunt ex asservatione Imaginis.

Ad prima iura quod spectat inter caetera observabatur, Parochum prohibere non posse ecclesiasticas functiones in Oratorio, quod reperiatur intra limites suae paroeciae, quae iura parochialia non laedant, S. Rotam ***Aversana*** 23 Iunii 1634, et Card. De Luca ***disc.*** 31 ***de Parochis n.*** 5, ubi referens quandam quaestionem agitatam in S. C. Episc, praesenti valde similem, ait: « agebatur de » ecclesia habente ianuam ad viam, et non agebatur de iuribus seu-

» functionibus parochialibus, sed de solemnitatibus ad devotioneni » et ecclesiae maiorem cultum ac incitamentum ad opera pietatis, » in quibus actibus, ut ex voluntate seu devotione atque ius pa- » rochiale non concernentibus vel usurpantibus, quoties a rituali » ecclesiastico non aberra tur (de quo tamen non ad Parochum, » sed ad Ordinarium inspicere pertinet), non potest ipse impedire » vel se ingerere invitis partibus.» Et ***num.*** 7 addit: « salvis iuri- » bus parochialibus, huiusmodi ecclesiae nullam subiectionem vel » dependentiam habent a parochia.»

Ac insuper plures Resolutiones indicabantur, quae cum emis- sae sint ad formam Decretorum Urbis et Orbis diei 10 Decem- bris 1703, eas brevitatis causa praetermittirnus.

Ad iura quod spectat, quae proveniebant ex asservatione s. Imaginis , qualia erant ius recipiendi oblationes , easdemque administrandi, adnotabatur cum Fagnano in ***Cap. Pastoralis n.*** 29, ***de his quae fiunt a Praelatis,*** oblationes intuitu alicuius imaginis factas, non Parocho, sed ipsi imagini acquiri. Ampie enim eius- modi quaestionem Fagnanus exponens ***n.*** 29, quamvis ipse gene- ratim senserit, oblationes factas imagini B. M. Y. vel alterius Sancti depictae vel affixae in pariete seu muro alicuius privati, ecclesiae parochiali deberi; tamen eiusmodi conclusionem limi- tat in casu in quo dubia sit mens offerentis: nam quamvis ve- rum sit ex veteri communi iure parochialem ecclesiam fundare intentionem in perceptione proventuum omnium spiritualium, quae obveniunt infra limites parochiae, quales sunt decimae, primitiae, oblationes, mortuaria, fructus, et redditus ex parochia provenientes : tamen id non obtinere « si oblationes ***(sunt verba » Auctoris)*** ex pia voluntate offerentium appareant factae alte- » pius contemplatione; quia tunc nullatenus debentur Parocho, » sed pia voluntas eorum qui oblationes fecerunt, praecise ser- » vanda est: nam rei suae quilibet est moderator et arbiter— » eodem modo si constaret eam fuisse intentionem offerentis » ut res oblata fieret domini .domus vel muri ubi est imago de- » picta, eo quod talis esset pauper, ***vel oblationes in certos pios » usus converteret,*** utique adimplenda esset eiusmodi voluntas... » Haec enim est regula, ut res oblatae semper illi acquirantur, » cuius contemplatione facta est oblatio, ut in ***cap. Palatum de » testam, etc.*** » Item Mantica ***de Tacit. I.*** 13 ***lit.*** 21 ***n.*** 38. Pi-

gnatel. ***Consul.*** 160 ***n.*** 21 ***tom.*** 4, Petra ad Const. 2 ***Anast. IV. sect.*** 2 ***n.*** 19 ***t.*** 2, Lotter ***de re benef. I.*** 1 ***quaes.*** 3 ***n.*** 33. Card. de Luca ***de decimis disc.*** 19.

In praesenti vero themate illud etiam Patrono favere dicebatur, quod ipse in locum Regularium succedere visus est, tum quoad custodiam Imaginis, tum quoad administrationem et erogationem oblationum quae illius contemplatione fierent.

His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An ***xsi*** quomodo liceat Patrono... Missarum aliarumque sa-
» crarum functionum non parochialium celebrationem in publico
» suo Oratorio committere quibuscumque Presbyteris indepen-
» dentei' a Parocho in casu. »

IL » An et ad quem spectet administratio oblationum quae
» fiunt Imagini B. M. V. in casu.

III. » An in solemnioribus festis praedictae Imaginis B. M. V.
» teneatur Patronus invitare Parochum ad Missam celebrandam
» in casu.

» Et quatenus affirmative »

IV. » An et quae eleemosyna Parocho Missam celebranti re-
» pendenda sit in casu.

V. » An Parocho devotionis gratia Missam celebranti in di-
» cto Oratorio teneatur Patronus subministrare utensilia in casu.

VI. » An et quomodo providendum sit, ut Oratorium publice
» pateat fidelium devotioni in casu.»

RESPONSIO.—S. Congregatio Concilii die 27 Ianuarii causa cognita respondit: ***dilata, et ad mentem:*** « mens autem S. Congregationis fuit, ut Archiepiscopus curaret partium conciliationem prae oculis habitis Decretis Congregationis ss. Rituum die 10 Decemb. 1703 ad consulendum decenti Oratorii publici cultui, et Sacrae Imaginis; quod si id obtinere non posset, referret, qua ratione, et quibusnam conditionibus s. Imago in Oratorium translata fuerit, nec non quibusnam privilegiis dictum Oratorium frueretur.»

Partium conciliationem obtinuisse Archiepiscopus videtur, cum causa S. Congregationi hactenus proposita non sit.

Ex HIS COLLIGES:

I. Quaestiones, quae identidem oriuntur inter Parochos et Oratoriorum Patronos seu ecclesiarum Rectores quae intra paroeciae limites reperiantur resolvendas esse ad normam dictorum Decretorum (1).

II. Eiusmodi Decreta Parochorum iurisdictionem in sua paroecia limitare ad ea iura quae proprie et exclusive parochialia censeantur (2).

III. Inter eiusmodi iura non reperiri iurisdictionem super ecclesiis seu Oratoriis quae sint intra paroeciae limites.

VI. Eiusmodi tamen principia temperamentum accipere ex consuetudinibus rationabilibus, legibus dioecesanis, aut legitimis conventionibus.

V. Parochos iuxta sacros canones, cum ius declinandi vigeret, ***fundatam intentionem*** habuisse super omnibus oblationibus, quas in paroecia fieri contingeret, ita ut oblationes alicui Oratorio delatae Parocho factae censerentur, nisi secus constaret (3).

(1) Eiusmodi Decreta, quae emissa sunt ad praecidendas eiusmodi frequentes quaestiones, retulimus in *Votum. I. pag.* 591 *et seqq. in adnot.*

(2) Praecipua iura proprie et exclusive parochialia consistunt io iure declinandi ubi viget, seu recipiendi Parochianorum oblationes, quae similitudine vel subrogatione decimarum a parochianis offeruntur; in iure quod respondet parochianorum obligationi recipiendi Eucharistiae sacramentum a Parocho tempore paschali; in iure conferendi sacramenta moribundis Eucharistiae et extremae unctionis ; *m* iure funerandi ac sepulturae, quoties defunctus aliam ecclesiam seu sepulturam non eligat, vel sepulturam maiorum non habeat, quo casu tamen quarta seu portio canonica, ac caetera cum iis connexa iuxta locorum consuetudines ad Parochum spectant: licet autem iuribus parochialibus accenseatur obligatio parochianorum audiendi Al issa in diebus festis in parochiali ecclesia, tamen ex generali consuetudine non servatur.

(3) Quid significet iuridica expressio: *habere intentionem fundatam in iure* super aliqua re, diximus in *Votum. L pag.* 623 *in adnot.* Praesenti tempore non amplius dici posse videtur Parochus habere intentionem in iure fundatam super perceptione omnium oblationum quae fiant in sua paroecia : ex consuetudine enim non modo Urbis, sed, ut videtur, etiam Orbis, cessante paullatim in omnibus fere locis iure decimandi, post adsignatos Parochis beneficiorum redditus, aut a Gubernio pensiones iuxta quoddam anomalum ius, non censentur fidelium obla liones Parochis factae, nisi id probetur sive ex intentione offerentium, sive ex peculiari consuetudine. Quare ad ecclesias Confraternitatum quod spectat in saepe laudatis decretis Congregationis SS. Rituum edendis reperitur dubium xxviii, quod his verbis fuit propostimi ac discussum: «An possit Pa-

EMPHYTEUSIS.

Die 28 *Iulii et 4 Augusti* t 65.

Ex quo viae ferreae in Pontificia ditione construi coeptae sunt, identidem accidit, ut ex facto Principis, idest ex legibus ab eodem constitutis, bona occuparentur, quorum directum dominium ad Ecclesiam, utile vero ad personas privatas pertineret. Quocirca quaestio prorsus nova, quippe quae nunquam agitari potuerat, saepenumero suborta est inter Ecclesiam tamquam dominam directam, et privatos tamquam dominos utiles, an pretium ex coacta illa venditione redactum inter utrosque dividi, et qua ratione deberet; an vero idem pretium in fundi stabilibus ac tutis collocari oporteret ita ut fundus ille loco boni venditi staret, cuius fruitio emphyteutae cederet; firma remanente obligatione consueti annui canonis, velut antea, persolvendi.

» rochus se ingerere in ar!ministratione «oblationum et eleemosynarum in sae- » pedictis ecclesiis recollectarum , vel » capsulae pro illis recipiendis expositae » clavem retinere:» et responsum est: *negative.* Quod decretum facile protenditur ad caetera Oratoria, cum haec non sint sub Parochorum potestate, nisi in iis quae sunt proprie et exclusive parochialia: neque oblationes Parocho censeantur factae. Quare administratio harum oblationum pertinet ad Ecclesiae Rectorem sub immediata dependentia Ordinariorum, aut saltem vigilantia, iuxta ea quae exposuimus in *Appendice X. praesentis Voluminis*

INeque praetereunda heic est observatio praesenti tempori opportuna, ecclesiae patrimonium surripi ab hodiernis demagogorum guberniis, quae quidem bonorum subiractio ii» damnum tandem fidelium populorum cedit: ad fideles enim pertinet congrue alere Sacerdotes, et ea omnia suppeditare, quae ad cultum clhinum spectant: quod si decimae praesenti tempore cessarunt, ecclesia ad inopiam vergente ex bonorum suorum direptione , ipsae decimae et oblationes reviviscant oportet: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt: et qui altari inserviunt de altari participant?Ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium annuntiant,de Evangelio vivere.» I. Corinth. IX.* 13 *et* 14. Quare ecclesiastici patrimonii compilatio, seu distinctio, non solum in pauperum damnum cedit, in quorum levamen illud constitutum quoque est, sed etiam auget fidelium populorum onera.

Anno 1865 penes S. C. Ep. et Reg. duae huius generis controversiae sub iudice pendebant, quarum prima e dioecesi A., altera e dioecesi R. erat. Hac itaque occasione capta, opportunum, ne dicam necessarium, visum fuit, ut norma generalis constans ac tuta, quae deerat, constabiliretur, qua posita omnes, quae suboriri possent, quaestiones facillimo negotio dirimentur. Quapropter mandatum est, ut sub unica Consultatione eo ipso, quo peculiares controversiae tum dioecesis A., tum dioecesis R. disceptarentur, argumentum, de quo res est, ita numeris omnibus generatim ahsolveretur, ut norma illa firmari posset, quae in omnibus casibus particularibus usui tutissime foret.

Quam ad rem ne lucidus ordo desideretur, in primis de duabus quaestionibus particularibus singillatim disceptabimus, deinde quaestionem generice consideratam paullo accuratius ac plenius ventilandam suscipiemus.

He quaestione dioecesis A. Dioecesanum Seminarium directum quorumdam bonorum dominium obtinebat, quorum utile dominium ad loci Municipium absque limitatione temporis, seu in perpetuum pertinebat. Cum itaque illae ferrearum viarum opera ducerentur, illud factum est, ut unus. ex emphiteuticis huiusmodi fundis a Sociis illorum operum institoribus occuparetur, et iuxta leges hac de re a civili Gubernio latas pretium rite aestimatum ac praefinitum in aede publica deponeretur. Interim inter Seminarii Deputatos, uti dominos directus, et loci Municipes, ut dominos utiles non levis animorum discrepantia efferbuit: Deputati enim contendebant pretium a Seminario totum esse accipiendum, reducto canone pro rata portione iuxta quantitatem in coacta venditione deperditam.

At vero Municipes mordicus obsistebant, sibique potius pretium illud esse adiudicandum, firmo remanente onere totius canonis non secus ac antea pensitandi, affirmabant. Antequam utriusque partis opiniones in consultationem vocarentur, de more ambarum deductiones in scriptis exquisitae sunt una cum Episcopi sententia, quae Deputatis omni ex parte suffragabatur.

QUA RATIONE SENTENTIAM SUAM DEPUTATI FULCIRENT. — Ponebant in primis id, quod revera factum erat, nempe fundum emphyteuticum, uti talem penitus defecisse: neque enim amplius coli et fructus consuetus percipi poterat. Et sane; eius naturam Socii

institores immutaverant, ac primitivis dominis eripuerant. Iamvero quomodo cessat emphyteusis, quando ex. gr. domus em— phyteutica penitus corruit, aut ex fluminis alluvione fundus vel in parte vel in toto depereat, ita etiam in casu fieri dicendum esse autumabant Deputati; nam ex vi, cui resisti non poterat, nempe ex facto Principis, fundus vendi ac deperdi debuerat; quae res fortuitae ruinae et alluvioni in iure aequiparatur. Deficiente itaque materia emphyteusis, deficiebat una simul ct ipsa emphyteusis ; adeoque siquod ex facto huiusmodi pretio aestimabit reliquum erat, ratio ipsa monebat, id, utpote omni vinculo resolutum ac liberum domino directo cedere, facta domino utili iuxta aequitatem ea canonis remissione, quae iacturae acceptae cumulate responderet.

QUA RATIONE MUNICIPES SUAM SENTENTIAM TUERENTUR. — Confugium habebant Municipes ad edictalem Gubernii legem diei 3 Iulii 1852, in qua ad articulum numero vigesimum dispopitur apertis verbis, ut pretium obveniens ex fundis distractis in coacta venditione per Principem iussa, quod in ferreis viis nunc contingit, loco fundorum alienatorum apprime succedat, et in pretium ipsum ex ministerio legis transferantur vincula omnia, hypothecae, ac iura hactenus fundis inhaerentia. Itaque ex fictione iuris res eo statu perdurabat quo ante venditionem versabatur : quamvis enim fundus reapse deperditus fuisset, attamen eius loco manebat pretium cui ex ministerio legis inerant quaelibet antecedentia onera vel iura, adeoque etiam vincula emphyteutica. Hoc posito quomodo fundus penes emphyteutam usufruendus remanet cum obligatione depactae responsionis persolvendae, ita pretium quoque ex alienatione coacta derivans in manibus emphyteutae administrandum relinqui necesse erat, ita tamen ut eius proprietas domino directo sarta tectaque foret, et canon consuetus usque ad emphyteusis cessationem eidem persolvi pergeret. Quando vero ex ***fictione iuris*** res veluti antea perstaret, animadvertebant municipes, argumentum ex alluvione vel ruina desumptum locum habere non posse : hisce siquidem constitutis, perinde erat ac si nulla immutatio in fundo emphyteutico contigisset.

Be quaestione dioecesis B. Collegiatae Capitulum die 4 Martii anni 1793 quaedam bona capitularia in emphyteusim ad

tertiam generationem masculinam Bernardino concesserat. Bernardinus, qui ex pacto primam generationem efformabat, e vita iam decesserat. Superstes ei tum erat filius secundam generationem constituens; et huic ad annos septuaginta iam provecto- duo erant filii, quorum nata minor aetatem annorum viginti supra septem numerabat. Hinc fiebat, ut non diutinum post annorum lapsum utile praediorum dominium cum directo consolidari debuisset. Inter haec nonnulla ex hisce praediis sortem cum aliis communem passa sunt, videlicet, ut a Sociis viarum ferrearum institoribus eum in usum occuparentur.

Inter Capitulum et emphyteutam dissensio non erat: conveniebant enim, pretium ex coacta alienatione susceptum pro rata portione inter utrosque iuxta peritorum iudicium esse dividendum. At vero Episcopus id minime iustitiae consonum arbitratus suum consensum praebere detrectabat : itaque per Socios, memeratos in aede publica pretium depositum est. Porro Episcopus animadvertens non multum temporis superesse, quo ,. tertia generatione deficiente, bona emphyteutica omni vinculo resoluta ac libera ad Capitulum redirent, autumabat quidem emphyteutam indemnem et immunem ab omni detrimento reddendum esse, canone remisso et condonato iusta mensuram ex legis aequitate a peritis praefiuiendo, sed pecuniam a Capitulo accipiendam esse , et eiusdem favore in bonis tutis ac frugiferis collocandum. Sed et insuper dubitatio suboriebatur, qua ratione damna computari deberent : nam Episcopus quam minima ob proximam devolutionem aestimationem faciendam esse putabat: at emphyteuta viceversa huic rei, utpote sibi perniciosae, acerrime refragabatur. Itaque ad S. C. Ep. et Reg. quaestio delata- est, quae partes et Episcopum de more in scriptis audiri mandavit, et eorum deductiones ponderandas assumpsit.

QUID EMPHYTEUTA AFFERRET ur SUUM PROPOSITUM DEMONSTARET. — Aiebat itaque emphyteuta, dubio procul emphyteusim circa fundum alienatum veluti resolutam ac finitam considerandam esse: materia siquidem, circa quam contractus constitutus erat, ex facto Principis ablata fuerat , neque amplius in manu domini sive directi sive utilis remanebat. Quae quidem ratio , etsi diversis verbis, substantialiter eo recidit, quod superius Deputati Seminarii dioecesis A. propugnabant. At vero acrior exar—

debat lis in stabilienda proportione > quae inter Capitulum et dominum utilem adoptari debebat in pretii solvendi distributione Emphyteuta enim cum emphyteusis in secunda generatione versaretur , de sententia Peritorum viarum ferrearum contendebat capitalem sortem, relate ad canonem, aestimandam esse tribus scutatis cum dimidio : cum itaque totum pretium ex venditione proveniens summam attingeret scutatorum 684: 77, et canon pro integra emphyteusi persolvendus ad seu tata ascenderet 25: 10 , iam hic ad summam scutat. 16: 46 reduci debuisset, ac propterea summa scut. 408: 98 de eodem pretio emphyteutae ipsi, summa reliqua 275: 84 Capitulo obtingere^

Huiusmodi" vero proportionis sequendae ratio nedum cum aequitate et communi sensu convenire videbatur, sed et fundamentum ac praesidium obtinebat in edictali lege anni 1848, cuius vi emphyteutici contractus liberari, vulgo ***Francavi*** poterant : ibi siquidem sancitum fuit, ut tum cum emphyteusis ad secundam generationem pervenisse deprehenderetur, canon in proportione trium scutatorum cum dimidio pro quolibet centenario computaretur: hinc ille, qui canonem trium scutatorum cum dimidio pensitaret, fundum liberari posset soluta summa scutatorum centum; qui scutata septem impenderet, scutata biscentum , et sic deinceps. Quam quidem legem licet transitoriam esse emphyteuta fateretur, nihilominus eumdem, utpote aequam et iustam in simili casu a Gubernio deprehensam, normam faciliorem tutioremque privatis personis praebere posse autumabat.

QUID RESPONDERET ORDINARIUS EMPHYTEUTAE ARGUMENTIS. Negabat Ordinarius emphyteusim in casu, de qua agebatur, tanquam resolutum considerandam esse : utque id , quod asserebat, comprobaret, ad legem edictalem diei 3 Iulii 1859 confugium et ipse habebat : in ea enim ***per fictionem iuris*** praescriptum fuisse, ut contractus emphyteuticus in pretio cum omnibus qualitatibus emphyteusi infixis, velut antea, perdurare deberet non secus ac si nulla mutatio intercessisset.

Vehementius autem proportioni a d versabatur, quae in pretii partitione sequi voluisset emphyteuta. Viri enim peritioris ope adscita ostendebat, perperam ac male a peritis viarum ferrearum scutata tria cum dimidio pro singulis centenis scutatis prae-

fixa fuisse ; quamvis enim emphyteusis in secunda generatione per id temporis consisteret , attamen cum emphyteuta septuagenarii iam foret, iustitiae et veritati magis consonum esse, ut emphyteusis ad tertiam generationem pervenisse reputaretur; deinde ex ipsorum peritorum iudicio fundum eiusdem feracitatis per omnes partes aestimatum fuisse, cum id veritati minime conveniret. Denique edictalem legem anni 1848 nullam in hoc casu normam afferre posse ; eam siquidem praeter alias res generaliter latam fuisse pro omnibus casibus in eadem comprehensis, qui accidere poterant, tametsi in aliquibus casibus particularibus nec aequa nec iusta fortasse videri posset: legislatorem enim summae casuum rationem habentem, de minimis nequaquam curam habere ; quodque communius ac frequentius accidit id pro norma sequi. Iamvero nequid Ecclesia detrimenti caperet, regulam in ea lege sancitam negligere ac relinquere necesse esse, quoties a iustitia et veritate in casibus particularibus abhorreret, quod reapse in themate contingeret , si emphyteutae praetensio^ auscultatum fuisset.

DE QUAESTIONE GENERATIM CONSIDERATA.— Qui Consultationis conscribendae munus habebat, totum argumentum iuxta propositum finem complecti et confici posse ratus est, si quatuor, quae in calce exhibentur, dubia disceptanda sumerentur. Nos tamen in primi dubii pertractatione referenda tantummodo immorabimur , ac de caeteris nullum nobis negotium facessemus. Nam tota controversiae vis in primo dubio continetur, quod cum resolveris, caetera resoluta quodammodo dici possunt: ac deinde responsio affirmativa, qua dubium primum dimissum fuit, illud facit, ut nullus secundo, tertio, ac quarto dubio locus reliquus sit. Itaque in primo dubio querebatur , an emphyteusis repraesentaretur duraretque in pretio subrogato perinde ac si coacta venditio non accidisset, seu potius quoad partem alienatam eadem cessasse dicenda foret.

QUAE PRO ADMITTENDA CONTINUATIONE EMPHYTEUSIS IN PRETIO SURROGATO PROFERRENTUR. — In comprobationem ac praesidium sententiae affirmativae in medium afferebatur edictalis lex diei 3 Iulii anni 1852 , cuius verba latine reddita recitamus. - ***Dominium fundorum alienatorum ad publicam administrationem liberum •transit ab omnibus vinculis , hxjpolhecis ac iuribus realibus, quibus***

antea gravabatur. Pretium succedit loco fundorum eorumdem, ac super ipsum ex ministerio legis transferuntur omnia vincula hypothecae, ac iura superius memorata. - Iamvero (ita subsumebatur) fundi repraesentatio in pretio per legem constituto tam clara et evidens est, ut maiore claritate non indigeat : ex fictione enim iuris emphyteusis in se habet ac si nullam mutationem passa fuisset.

Indubitati enim iuris est , quod ***subrogatum sapiat naturam eius , in cuius locum subrogatur,*** ut ait Barbosa ***Axioma iur.*** 218; quandoquidem talis est ***qualitas subrogatorum, ut eadem induant naturam eius, in cuius locum subroganlur,*** veluti docet Rota in ***Romana Spolii seu Immis. super loc. Mont,*** 1 ***Iulii*** 1718 ***§ Paulum coram Crispo? et Decis.*** 6 ***coram Ratio n.*** 7., et passim in Recentioribus, ut videre est in earum Indice generali ***v. Subrogatio.***

Perperam vero obiiceretur, emphyteusim utpote contractum realem constitui non posse nisi in bonis immobilibus, quae culturae vel manutentioni sunt obnoxia, prouti sunt agri, et aedificia. Id enim in casu, de quo agitur, nullam involvere difficultatem; quoniam huic defectui cumulate supplet dispositio Supremi Principis, qui pretium subrogatum loco fundi sture praecipit. ***Et*** re quidem vera, S. Rota in ***Romana Fideicom. d Iunii*** 1699 ***n.*** IO post De Luca ***Mantiss. v.*** 2 ***Lib. X. de Fideic. decis.*** &5 de fideicommissis verba faciens , quae cum emphyteusi hac in re affinitatem habent ita docet. - ***Quoniam cum alienatio praecesserit ex causa necessaria retractus scilicet coactivi in vim Bullae Gregorianae districte praecipientis, quod pretium reinvestialur et obnoxia remaneat omnibus dispositionibus, prohibitionibus, et oneribus, quibus res vendita subiacebat , et de facto Loca Montium ad formam dictae Constitutionis fuerint comparata, non videbatur haesitandum, quin adhuc super illis uti distractae domus subrogatis, vigeat fideicommissum, iuxta naturam subrogatorum... supplente ipsamet lege factum hominis de cuius voluntate subrogavit.***

Quam quidem obiectionem eo minus ponderis habere, quod non agitur de emphyteusi, qualis ab initio esse debuerat, sed qualis effecta est in posterum tempus ex facto Principis , veluti De Luca ***De Emphyt. Disc.*** 36 ***n.*** 20 consultissime ratiocinatur circa bona in vim Bullae 41 Gem. VIII. per Baronum Congregationem coactive alienata - ***cum tunc*** (sic ipse) ***nulla adsit im-***

plicanlia ut illa feudalis sive emphyteutica seu fideicommissaria qualitas, quae in ipsa re inerat, ita translata sit, ac resideat in pretio, tanquam subrogato , cum Princeps in iis quae iuris non naturae fictionem continent, illam veritati assimilare valeat, atque facere, ut ea, quae sunt ficta, habeantur pro veris.

Inconsulto etiam opponi posse; pretium, utpote siccam pecuniam continens , nullum fructum dare posse ; ideoque nec emphyteutam utilitatem ex ea capere, neque dominum directum canonem posse merito exigere , ex quo fiat, ut ex natura rei fictio Principis nullum operetur effectum. Quomodo enim antiquitus, quando agebatur de Bulla Baronum, vel de Const. Gregoriana pretium in Locis Montium collocabatur, et ita fructiferum considerabatur, sic et hodie, quando fundus immobilis in promptu non sit in quo pretium investiatur, adsunt schedulae publici debiti, vulgo ***Consolidato,*** quae rei venditae locum teneant, et fructum afferant : quod et reapse factum est occasione legis edictalis diei 9 Apr. 184S, in qua statutum fuit, ut loca pia directaria canonem ab aerario acciperent. Quapropter hanc ad rem a Gubernio quamdam certam reddituum summam constitutam fuisse inalienabilem et debito respondentem, qua quotannis canones ipsi pensitari tuto possent. Iamvero nihil impediebat, quominus etiam in collocando pretio ex coactivis venditionibus de quibus agitur, derivante, eaedem schedulae publici debiti acquiri possent, quae fundorum venditorum vicem et locum usque ad finem emphyteusis obtinerent.

QUAE MOMENTA PROMEBANTUR PRO NEGATIVA SENTENTIA ADSTRUENDA. — Ex notione contractus emphyteutici (ita argumentabatur), qualis a natura eiusdem trahitur , ct ab interpretibus communiter admittitur, illud sequitur, ut ad eiusdem contractus substantiam constituendam tria requirantur, nempe consensus, res, ct canon. Iamvero simul ac venditioni coactivae locus factus est, haec tria evanescunt. Et revera, evanescit partium consensus, qui ab initio intercessit, ac virtualiter perduravit usque dum in utriusque domini manu res fuit, postquam vero in manus Principis pervenit, consensus iste omnino defecit: partes enim id minime praevidere potuerunt , quia ***animus non fertur ad incognita.*** Evanuit etiam res , prout patet ; idque ob factum, quod neque domino utili neque directo imputabile est. Denique eva-

nescit canon: sive enim hic accipiatur , ut ***signum recognitionis dominii;*** at hoc amplius locum non habet , nam cessante dominio , cesset necesse est et eiusdem recognitio: sive autem accipiatur ut correspectivum pro fructibus qui ab emphyteuta ex re percipiuntur ; iam et hoc etiam in casu correspectivum exulat, cum exinde nullus fructus percipi possit.

Nec meliori consilio invocantur principia, a subrogatorum natura proficiscentia : nam ut ipse Barbosa animadvertebat ***Axiom.*** 213 ***n.*** 2. - ***subrogatum non sapit naturam eius, cuius loco subrogatur, nisi vel in subsidium, vel quando subrogatio est in plenum ius. Intellige etiam , ut supra tetigimus n.*** 1 ***quando subrogatum habet qualitates eius, in cuius locum subrogatur, quia si qualitas, vel unum ex requisitis necessariis subrogato deficiat,- vel diversa inter utrumque datur qualitas, eius naturam , in cuius locum subrogatur, non sapit*** - Hanc ipsam doctrinam recipit et communiter tradit Rota Romana, ut videre est in ***Indice Generrali Recentiorum*** Verbo ***Subrogatum.*** Iamvero ex praemissis luculentissime elucet diversitas naturae, quam habet pretium et natura quae rei emphyteuticae inhaeret. Quibus accedit, emphyteusim culturam aut manutentionem (quando ex. gr. in emphyteusim aliquis domum iam aedificatam accipit) necessario secum importare : neutrum vero pretio convenire quisque videt.

Denique cum plura sint onera et iura dominii utilis erga dominum directum , et domini directi erga utilem, quae fuse explicant Doctores, difficillimum, ne dicam impossibile, accidit, ut una cum alteris componere et conciliare , ut suum ius unicuique , ceu iustitia postulat, reddi possit.

Neque vero hisce incommodis consultum satis esse dici posset ex investimento pretii in bona immobilia, vel in schedulas debiti publici peragendo, exemplo sumpto ex coactis venditionibus in vim bullae Gregorianae, vel Baronum, vel legis edictalis 9 Martii 1848. In hisce siquidem casibus ex diserta Pontificis dispositione praescriptum fuerat , ut pretium vel in Loca Montium , vel in Schedulas debiti publici collocari oporteret. At contra in lege edictali 3 Iulii 1852 , praescribitur quidem, ut pretium rem venditam repraesentet,^et in ipsum omnia onera vel iura transferantur, neutiquam vero proceditur ulterius, ullam aliam obligationem partibus, quarum interest, imponendo. Ita-

que dominus Iam directus , quam utilis, cum nulla lege adigatur, liber est in eligendo bona immobilia, vel schedulas publici debiti acquirendo necne, aut etiam nullum novum contractum ineundo. Quid igitur superest, nisi pretium inter utrumque partiri , et sinere , ut alteruter de ipso pro sua voluntate et arbitrio disponat? Aliter enim pretium illud infructiferum perpetuo iacebit, neque tini, quem sibi proposuit Princeps respondere poterit, neque ullum emolumentum domino sive directo, sive utili allaturum erit. Quandoquidem pecunia , nisi humana accedat industria, quae in aliquo negotio utili eam impendat, iners et inutile iacet pondus, nullum producens effectum.

Expositio Dubiorum,

I. « An emphyteusis repraesentetur ac perseveret in pretio » subrogato perinde ac si expropriatio non accidisset, an cessat » circa bona expropriata in casu.

» Quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

II. »An praedictum pretium in toto cedat directario, accedente » reductione canonis, et qua mensura.

HI. » An potius cedat domino utili, salvo canone omni ex parte » persolvendo.

» Quatenus negative ad utrumque.

IV. » An sit locus reparationi inter directarium et dominum » utilem et qua mensura in casu »

RESPONSIO. —Emi Patres die 28 Iulii 1865 rescripserunt-***Dilata et ad D. Pro-Secrelarium cum SSmo*** -Hoc significat, R. D. Pro Secretarium rem agere debere cum Summo Pontifice pro opportuna resolutione ineunda. Facta autem relatione a R. P. D. Pro-Secretario SSmo D. N. Pio Papae IX. in audientia habita die 4 Augusti eiusdem anni, Sanctitas Sua per haec verba (latine hic reddita) rescribi mandavit - ***Ad mentem: et mens est, constanter retinendam esse hanc normam , ut pretium fundorum emphyteuticorum expropriatorum, spectantium ad causas pias, debeat reinvestiri vel in acquisitione fundorum rusticorum , vel schedularum debiti publici Pontificii*** (vulgo Consolidato) ***rinculati, et inscripti directario cum mentione domini utilis , cuius in utilitatem debeant cedere fructus sortis capitalis hac ratione investiti pro toto***

tempore, quo duraverit emphyteusis. Sartum tectum directario remanet ius exigendi pristinum canonem, laudemia, et quindemnia in casibus prout de iure tam supra sortem capitalem investitam, quam supra partem fundi non expropriatam -.

Ex ius COLLIGES:

I Pretium redactum ex venditione coacta partialium bonorum emphyteutieorum ad directum ecclesiae dominium pertinentium, ut viae-ferreae transitus ad publicum bonum aperiantur, investiendum esse acquisitione bonorum rusticorum vel schedularum debiti publici Pontificii.

II. Novam eiusmodi acquisitionem sive bonorum sive schedularum subrofgatam intelligi parti fundi emphyteutici ex coacta venditione divulsi; proindeque naturam induere emphyteutici fundi cuius loco subrogatur.

511. Quare novam hanc acquisitionem iisdem contractus legibus intelligendam esse subiectam.

IV. Colliges demum schedulas debiti publici Pontificii loco fundorum posse identidem subrogari.

DISPENSATIONIS.

***Die i Februarii* 1867.**

Compendium facti. Pia quaedam mulier suis ultimis testamenti tabulis die 27 Sept. 1632 iussit, in Cathedrali templo ecclesiasticam Cappellaniam canonice erigi, adsignatis a se bonis, adiecto Cappellanis onere ***celebrandi, seu celebrare faciendi quando aliquo impedimento distenti sint,*** Missas duas singulis hebdomadibus, et unum singulis annis anniversarium. Nullum omnino de patronatu passivo verbum fecit: quod vero ad activum pertinet, nominandi praesenlandique Cappellanos facultatem ac ius reservavit ***ad favorem Ioannis... et suorum filiorum ac descendentium ex utraque linea, quibus non extantibus, et quo-***

Mes non extiterint, ad favorem dicti Capituli Cathedralis in perpetuum. -

Canonica cappellaniae erectio suo tempore locum habuit: quae tamen primis temporibus observantia fuerit circa modum ac personas patronorum in iure patronatus exercendo, ab actis nequaquam colligebatur; tantummodo tres ultimi status apprime innotescebant. Namque anno 1738 Clericus M. nominatus fuerat a familia M., familia P., et familia L.; anno 1778 Sacerdos C. nominationem consecutus fuerat dictarum duarum familiarum M. et P.; anno 1788, puer C, dispensationis ope, cappellaniam obtinuit per nominationem dictae familiae M.

Ex huiusce ultimi Cappellani morte, die 14 Ianuarii 1865 defuncti, vacavit cappellania, ac biduo post Ordinarius patronos ad ius nominationis exercendum publice invitavit. Ingens, ac pene incredibilis patronorum multitudo ad numerum 285 emergit, quae nominationis ius exercere arbitrabatur, prout reapse exercuit. Praeterea uti ex actis constabat, nominarunt masculi cum foeminas, patres cum filiis, patrui cum nepotibus; itidem aliquis ex patronis, facultate variandi usus nedum ter, sed quater nominationem in diversis personis repetiverat. Aliqua denique simoniae umbra intercessisse dictitabatur.

Quatuor fuerunt ab hoc patronorum numero nominati, quorum primus Sacerdos erat a familia per testatricem ad ius «ominandi vocata prorsus extraneus, qui voces 112 praeseferebat.

Alter erat Antonius, puer annorum novem, ad familiam vocatam pertinens absque tonsura, qui voces numero 83 iactabat.

Tertius erat Ioseph annorum 11., et ipse a familia vocata derivans, sine tonsura, sed habitu clericali incedens, 64 vocibus instructus, qui dispensationem ab aetate exorabat.

Quartus denique erat Ioachim ortum a familia vocata ducens, in aetate annorum 16 constitutus, octo vel novem vocum suffragio nixus, qui Cappellaniae assecutionem a S. C. Ep. et Reg. deprecabatur.

Exquisita de more Ordinarii informatione et voto, Sacri Ordinis iudicio sese Episcopus omni ex parte remittebat. Partes vero singulae suas certatim ***deductiones*** produxerunt. Ultimi tres .totam suae defensionis vim in eo collocabant, quod a familia

vocata ad iuspatronatus descenderent: alias etiam addebant rationes, quas referre arbitramur inutile.

Sacerdos autem maioritati vocum innitebatur; utque tres competitores suos repellerei, animadvertebat, cum testatrix ne unum quidem de patronatu passivo verbum fecisset, eos nullum praesidium mutuari sibi posse a descendentia familiae vocatae, iure tantum activo praeditae; ideoque sese in una eademque cum illis conditione versari : quo posito concludebat, eosdem (quippe cappellaniae eo in rerum statu incapaces ob defectum nedum Sacerdotii, sed et Clericatus, et aetatis) canonicam non praeseferre causam, ad dispensationem assequendam, eamque non concedi in damnum tertii, ipsius Sacerdotis videlicet, qui ol> vocum maioritatem ius ad rem acquisierat.

Disceptatio synoutiea.

QUID EX OFFICIO PERPENDERETUR. — Itaque statuebatur in primis, Cappellaniam de qua agimus esse ***ecclesiasticam;*** ideoque verum beneficium; cum adessent duae ad verum beneficium aestimandum characteristicae notae, videlicet canonica Cappellaniae erectio, eiusque in singulis vacationibus per ecclesiasticum superiorem facta collatio, iuxta ea quae diximus ***pag.*** 327: quo posito inter quatuor competitores, Sacerdotem unice habilem ad eam adipiscendam reperiri.

Insuper eamdem ***Sacerdotalem*** esse videri et quidem probabilius ***in actu,*** idest, ita sacerdotalem esse ut Cappellanum exigeret iam ad Sacerdotium promotum. Testatrix enim Cappellano onus celebrandi iniunxerat. Quod si eadem facultatem ***celebrare faciendi*** addiderit, ad conditionem id alligaverit, quod Cappellanus ***impedimento*** distinentur: at vero impeditus nonnisi ille dicitur, qui celebrandi potestatem ian? habet, sed eam exercere aliquam ob causam nullatenus possit. Qui ea potestate caret, non impeditus, sed incapax et inhabilis proprie appellatur. Quod si etiam cappellania ***sacerdotalis in habitu*** dici vellet, quatenus scilicet ab eo obtineri valeat, qui in via est adipiscendi sacerdotii; attamen animadvertebatur, nullum, excepto Sacerdote, clericatu decorari, qui primus est gradus, ut quis ordines minores maioresque suscipiat.

Praeterea in praesenti casu consanguineos quidem fuisse nominatos cum Sacerdote extraneo; at vero exinde consanguineos sibi praelationem vindicare non posse, cum Testatrix de iure passivo altum servaverit silentium : quamvis autem caeteris paribus, aliquoties canonica aequitas consanguineos extraneis praeferendos esse suadeat, attamen ex rigore iuris consanguineos nullam contra extraneos praelationem arrogare sibi posse. Quapropter hac in re quatuor competitores pares in conditione esse.

Cum autem quidam patroni intra utile quadrimestre tempus nominationem iam factam variassent, non praetermittebatur observatio, laicales patronos iuxta Auctorum doctrinam posse quidem variare ***cumulative*** non autem ***correctoria*** idest postquam unum praesentaverit, posse et alterum praesentare, non ita tamen ut primo praesentatus privetur eo iure per praesentationem acquisito. Quam tamen variandi facultatem semel exercitam, iterum favore tertii, quarti, et sic deinceps exerceri nequaquam posse.

Praeterea, Sacerdotem praeter necessarias qualitates, quibus praeditus prae caeteris esset ad cappellaniam consequendam, vocum maioritate frui visum esse. Nam in praesenti themate patres cum filiis, patrui cum nepotibus, foeminae cum masculis simul nominare posse videbantur, iuxta doctrinam quam cum aliis tradit Fargna ***de iure patr. p.*** 2 ***can.*** 1 ***et*** 2 ***eas.*** 6, S. Rota in ***Pisana lurispalr.*** 26 Iunii 1709 ***coram Priolo §. Procedendo,*** quaeque refertur ab eodem Fargna ***loc. cit. n.*** 58. in quo traditur concursum filiorum cum patre sibi vindicare locum in iurepatronatus gentilitio reservato favore agnationis domus vel familiae quam fundator in genere et per modum universitatis consideravit.

Compertum insuper esse subdebatur, S. Sedem dispensationum gratias iis minime concedere, quae in detrimentum alterius acquisiti iuris vergere videantur: id tantummodo aliquando indulgere, si ille, qui gratiam postulat passivo iure gaudeat. Hoc enim in casu impedimentum Summus Pontifex tollit, quod passive vocato ad beneficium adipiscendum obsistit: ac proinde qui extraneus est, seu iure passivo non fruitur, merito lamentari non posse, ut explicatur in folio causae ***Perusinae, Cappellaniae,*** die 14 Maii 1774 §. ***Praesentis*** apud S. C. C

Extremo loco non omittebatur animadversio, ex eo magno patronorum numero neminem adhuc descendentiam suam a familia vocata concludenter probasse : et suspicionem simoniae a patronis, qui Sacerdotem nominaverant, admissae vehementiorem fieri visam esse per quaedam testimonia deinde adducta.

His aliisque animadversis propositum fuit dirimendum

Bubium.

« An et cuius favore SSmo supplicandum sit pro petita di-
» spensatione: seu potius locus sit canonicae institutioni favore
» Sacerdotis in casu.»

RESPONSIO: S. Congregatio Epis. et Reg. causa discussa in comitiis habitis die 16 Martii 1866 respondere censuit: ***negative in omnibus ad primam partem ; quoad secundam partem dilata, et scribatur Episcopo... ad mentem*** (1).

CAUSAE CONTINUATIO. — Iuxta mentem S. Congregationis respondit Ordinarius: videri scilicet sibi dubitandum non esse, quin aliqui saltem, qui Sacerdotem nominaverant, legitimis probationibus, suam a familia vocata descendentiam demonstrarent. Reapse enim ex arbore genealogica plene iustificata, constare, eos proxime ortum ducere a personis patronorum , qui in ultimis tribus statibus pacifice ius nominandi exercuerant.

Quod vero ad simoniam respicit, examini subiecit Ordinarius tum patronum illum qui in Simoniae crimine partem habuisse traducebatur, qui simoniace se Sacerdoti suffragatum esse declarabat, in cuius rei confirmationem asserebat Sacerdotem ***adpromisisse daturum sibi ad colendum quosdam beneficii fundos, simulque nonnullas frumenti subministrationes ;*** tum duos alios testes, ex quibus probabatur ad summum, Sacerdotem adpromisisse uni vel alteri patrono, se quosdam agros excolendos traditurum , si cappellaniam consequeretur.

Hic nonnulla iuris principia ab eo qui munere fungitur con* scribendi Consultationes in medium adducebantur, nominatim vero doctrina quam tradit De Amoeno ***de Delict. et poenis tit.*** 8

(1) Mens s. Congregationis fuit, ut Episcopus referret, an inter illos, qui nominavere Sacerdoie,n, aliqui essent, qui ad id indubio iure pollerent, et an fundatae essent deductiones circa dietam simoniam.

§. 7 ***de Simonia n.*** 31, ubi scripsit: « Difficilis probationis est crimen hoc ***(simoniae),*** ut tradunt Decius, Cravetta, et Rodoanus; » proinde praesumptionibus ac coniecturis probatur, sed istae » debent esse violentae ut resolvit Mascardus, et debent plene et » concludenter probari, ut firmant Anania et Felinus. » Et ***n.*** 33, idem Auctor tradit, socios simoniae criminis posse quidem accusare, haud tamen de hoc testificari iuxta cap. 10 ***Veniens de Testibus,*** quo legitur: « ***Nos tuam sententiam commendamus, eo quod ille qui eodem erat infectus crimine, inde contra eum testificari non posset, nullique de se confesso, adversus alium de eodem crimine sit credendum, nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicuius. »***

His aliisque animadversis proposita est secunda pars formulae dubii, quae insoluta mansit:

Dubium.

« An et quomodo locus sit canonicae institutioni Sacerdotis » in casu. »

RESOLUTIO. — Die 1 Februarii 1867 Emi Patres rescripserunt: ***affirmative in omnibus, et amplius.***

Ex **HIS COLLIGES:**

I. In iurepatronatus gentilitio ad instar universitatis constituto, omnes simul de familia a Testatore vocata ius nominandi habere, patres nempe cum filiis, patruos cum nepotibus, masculos cum foeminis.

II. Secluso iurepatronatus passivo, eos qui de familia patronorum forte praesententur, hoc unico titulo, ius praelationis in concursu extraneorum sibi vindicare non posse.

III. Quin imo hoc in casu nec esse in consideratione habendas consanguineorum nominationes, quoties hi qualitatibus careant requisitis tum a testatore, tum a iure.

IV. Quare eum, qui unice habilis nominatus reperiatur, in beneficio esse instituendum, quamvis forte non constet omnes Dominantes esse veros patronos.

V. Denique colliges, qui socium in simoniae crimine se fuisse fatetur, eius testimonium adversus socium vim testandi non habere: maxime si alia desint argumenta.

UTINEN.

DB SODALITATE S. PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS.

Die 9 *Decembris* **1862.**

In Utinensi Archidioecesi consensu et auctoritate Ordinarii institutum fuit sodalitium sub invocatione s. Petri Apostoli causa Sedis Apostolicae adiuvandae precibus et operibus: hoc Sodalitium aggregatum fuit Archisodalitati eiusdem nominis Romae erectae, ad lucrandas eas indulgentias plenarias, quibus romana Archisodalitas a Summo Pontifice donata est.

Cum autem preces et opera in Sodalitate Utinensi nullo modo essent determinata, sed relicta omnino Aggregatorum arbitrio, et contra in Statuto romanae Archisodalitatis designatae reperiantur preces quotidianae et oblationes menstruae, quaedam dubia exorta sunt quorum solutionem expostularunt Utinensis Sodalitii Confratres.

I. « An attentis Brevibus Pontificiis dierum 31 Octobris et » **4** Novembris ann. 1860 (1) possit in aliqua dioecesi de consensu

(1) Citatae Litterae in forma Brevis huius sunt tenoris.

PIUS PAPA NONUS

Ad perpetuare rei memoriam.

« Cum sicut accepimus in hac Urbe Nostra pia utriusque sexus Christifidelium Sodalitas sub titulo s. Petri Apostolorum Principis nuper erecta sit, quae id habet propositum, ut precibus et operibus, hoc praesertim difficillime tempore, Apostolicam sedem adiuvare satagat; Nos ut Sodalitas huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei Misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius Auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam sodalitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes et confessi SSmum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam, nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Sodalitatis Confratribus et Consororibus, etiam vere poenitentibus et confessis, ac sacra Communione refectis, qui quamlibet Ecclesiam publicam tribus diebus festis, nempe Sanctorum Petri

» Ordinarii institui Sodalitas sub titulo s. Petri Apostolorum
» Principis, quae romanae Archisodalitati eiusdem nominis ag~
» greganda, id habeat propositum, ut precibus et operibus Apo-
i) stolicam Sedem adiuvare satagat, quin tamen preces et opera
» specialiter designentur, relictis hisce omnibus arbitrio aggre-

Bt Pauli Apostolorum , item Cathedrae s. Petri Apostoli qua primum Romae sedit , ac tandem s. Petri ad Vincula a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi , singulis annis, devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia , haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper omnibus utriusque sexus Christifidelibus dictae Sodalitati adscriptis, qui quolibet die corde saltem contrito Orationem Dominicam Salutationem Angelicam , ac Trisagium , nec non Symbolum Apostolorum devote recitaverint, septem annos totidemque quadragenas ; pro quolibet vero opere , quod peregerint, tercentos dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus; quas omnes et singulas Indulgentias , peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes etiam Animabus Christifidelium , quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum Suffragii applicari posse etiam in Domino impertimur. In contrarium facient, non obstantibus quibuscumque; Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis , seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

»Datum Romae apud sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xxxi. Octobris MOCCCLX. Pontif. Nostri auno XV.»

Loco f Sigilli.

G. CABD. DE GENGA.

PIUS PAPA NONUS

Ad perpetuam rei memoriam.

« Qua« ad fovendum Religionis studium, atqueerga hanc Apostolicam Sedem pietatem ac fidem excitandam conducere videantur, ea impertiri libenti animo solemus. Iam vero nuper in Alma Urbe Nostra pia utriusque sexus Sodalitas erecta est sub titulo ac patrocinio s. Petri Apostolorum Principis, quae id habet propositum, ut Sanctam Sedem hoc praesertim difficillime tempore, tum precibus tum operibus, adiuvandam curet, eiusdemque piae Sodalitatis nomine preces Nobis sunt exhibitae, ut illam in primariam Sodalitatem, sive in Archisodalitatem erigere velimus, cum facultatibus eiusdem finis atque instituti Sodalitates ubique existentes aggregandi , eisdemque Indulgentias quibus ex concessione Apostolica ipsa gaudeat, communicandi. Nos igitur sperantes ex eadem Sodalitate uberes, pietatis fructus in bonum Religionis fore percipiendos , porrectis huiusmodi precibus adnuendum existimavimus. Itaque hisce Litteris Auctoritate Nostra Apostolica memoratam utriusque sexus Sodalitatem, sub titulo ac patrocinio B. Petri Apostolorum Principis in Urbe erectam, in Archisodalitatem erigimus et instituimus, eiusdemque Sodalitatis in Archisodalitatem sic

» gate-rum designandis, quae pro eorum libitu variae etiam esse-
» possint pro variis vicibus.

II. » Utrum ad lucrandas Plenarias Indulgentias aggregatio
» per Breve diei 31 Octobris concessas, preces debeant esse quo-
» tidianae, et stipis oblationes mensiles, et quidem quoad pre-
» ces, eaedem quae in Statutis romanae Archisodalitatis prae-
» scriptae inveniuntur.

III. » Utrum Statuta Sodalitatis alicuius, romanae Archiso-
» dalitati iam aggregatae, possint de consensu Ordinarii refor-
» mari in iis quae ad preces et opera praescripta spectant, quin
» novum Aggregationis decretum a romana Archisodalitate ex-
» postuletur. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio indulgentiis sacrisque Reliquiis-praeposita die 9 Decemb. 1862 respondere censuit:

Ad I. ***Affirmative.***

Ad II. ***Negative.***

Ad III. ***Affirmative.***

Adnotationes Consultoris.

Satis superque soluta quaestio Consultori visa est ex notissima Constitutione Clementis VIII; ita ut vix dubio locum esse autumaret. In praefata enim Constitutione data die 7 Dec. 1604, decernitur circa statuta Confraternitatum prout sequitur « ***Statuta autem pro regimine Ordinum, Religionum, et Institutorum erigentium et instituentium et communicantium, seu Archiconfraternitatum et Congregationum aggregandum edita, Confraternitatibus et Congregationibus erigendis instituendis et aggregandi*, et quibus communicationes privilegiorum, et aliorum praedictorum fiunt, impertiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo Dioecesano examinata et pro ratione loci approbata fuerint: quae nihilominus***

erectae primoribus , seu officialibus facultatem elargimur alias eiusdem Instituti Sodalitates ubicumque, de consensu tamen Ordinariorum, existentes , sibi aggregandi, eisque omnes et singulas Indulgentias , poenarumque relaxationes, tum pleuarias quam partiales , quibus ipsa directe ab hac Apostolica Sede ditata sit, communicandi. Hoc concedimus atque indulgemus contrariis speciali licet, atque individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

» Datum Romae apud s. Petrum sub Annulo Piscatoris die iv. Novembris anno MOCCCLX. **Pontificatus Nostri anno XV.»**

Loco f **Sigilli,**

G. CAIÌD. **Dii** GEINGA

eiusdem Episcopi decretis, ac moderationi, et correctioni in omnibus semper subiecta remaneant. » Porro Ferraris ***Verbo Confraternitas art.*** 6 ***n.*** 37 scribit «De mutatione statutorum Contra-» ternitatum frequentes in foro quaestiones sunt. Regula vero-» est, quod possit Ordinarius ea mutare; Monacen", ***in formul. Iur.*** » ***Eccl. p.*** 21 ***adnot. ad form.*** 1 ***n.*** 49.»

Iamvero in statutis condendis pro qualibet Sodalitate, dummodo substantialis finis eiusdem Sodalitatis generatim servetur, reliqua prorsus arbitrio Episcopi ***moderanda vel corrigenda*** subiacere. In casu autem nostro finem praecipuum tum Archiconfraternitatis tum Confraternitatis aggregatae, plane eumdem esse affirmabat, qui quidem est adiuvare Sanctam Sedem precibus et operibus; idque sane concordare cum verbis Summi Pontificis in Breve erectionis expressis, videlicet, Sodalitas ***v. id habet propositum, ut precibus et operibus, hoc praesertim difficillima tempore, Apostolicam Sedem adiuvare satagat. »***

Archiconfraternitatem porro Romae subsistentem pro bono ordine et regimine certa statuta fecisse, in quibus modus adiuvandi S. Sedem confratribus declaratur et proponitur: statuunt enim ut Confratres quotidie unum ***Pater, Ave, et Gloria et Credo*** recitent, et necessitatibus temporalibus s. Sedis per menstruas oblationes succurrant. Statuta vero Utinensia in hoc a Romanis differre, quod nullas certas orationes nec oblationes mensiles praescribant, sed satis habeant ut Christifideles , iuxta verba Brevis Apostolici, orationibus et operibus sive eleemosynis S. Sedem adiuvent; utraque vero prout quisque pro sua devotione iudicaverit. Id autem ad normam iuris fieri cernere facile esse, iuxta articulum Constitutionis Clementinae supra relatum.

Quoad secundum dubium , prosequebatur Consultor, recitatio illarum precum, pro quibus datur Indulgentia, non est quasi conditio necessaria, nec talis habetur in statutis Archiconfratei'« natis; unde Confrater illas omittens indulgentias quidem non lucratur, sed non desinit esse membrum Confraternitatis; ideoque reliquas Indulgentias caeteris bonis operibus adnexas consequitur.

Ex dictis pariter tertii dubii solutio inferebatur.

Cum igitur tota quaestio versaretur in mutatione statutorum; quamvis ea his quae ex Constitutione Clementis VIII. deducuntur, non consonarent, satis esse animadvertebat id quod legitur in

ipsis statutis Archiconfraternitatis in Titulo III. de Aggregationibus (1), ubi datur plena facultas Ordinariis quolibet ordine et forma suas Confraternitates instituendi ee. Quae statuta praeterea cum a S. Congregatione Epis. et Reg. fuerint adprobata, nihil esse videbatur quod possit amplius desiderari.

Ex HIS COLLIGES:

I. Firmo manente fine alicuius sodalitatis, statuta quae ordinem respiciunt, preces, et modum praestandi opera, quae ad finem praestitutum conferant, esse in prudenti Episcopi arbitrio iuxta indolem personarum et locorum.

II. Neque .esse necessarium ad indulgentias communicalas lucrandas, ut sodalitas aggregata eadem sequatur Archisodalitatis statuta, preces, atque modum exercendi opera: non enim per haec, sed per finem quem sodalitas sibi praestituerit, aggregatus eidemque indulgentiae communicatae censentur.

III. Quod si indulgentiae inter caeteras habeantur, quae peculiaribus precibus, vel cuidam praescripto modo opera exercendi adnexae sint, sodales, his non impletis, ex defectu dumtaxat iniuncti operis eas indulgentias non lucrari.

URBIS ET ORBIS

Ex audientia SSmi die 18 ***Septembris*** 1862.

DECRETUM. — « Est hoc in more positum, quod ab animarum Pastoribus Sanctissimum Eucaristiae Sacramentum in aliquibus tantum infra annum praecipuis festivitatibus ad fideles habitualiter infirmos chronicos , ob physicum permanens aliquod impedimentum e domo egredi impotentes, solemniter deferatur; proindeque huiusmodi fideles tot Plenariis Indulgentiis privantur, quas consequerentur, si conditionibus iniunctis adimpletis ad Sacram Eucharisticam Mensam frequentius possent accedere. Itaque

(1) **Vid. Appendicem XVI.**

quamplures animarum Curatores, aliique permulti Ecclesiastici viri humillimas preces perrexerunt Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. IX. ut de Apostolica benignitate super hoc providere dignaretur; factaque per me infrascriptum Secretariae S. Congregationis Indulgentiarum Substitutum Eidem Sanctissimo de his omnibus fideli relatione in Audientia habita die 18 Septembris 18652., Sanctitas Sua spirituali gregis sibi crediti utilitati prospiciens clementer indulsit, ut praefati Christi fideles, exceptis tamen illis qui in Communitate morantur, acquirere possint omnes et singulas Indulgentias Plenarias iam concessas vel in posterum concedendas, quasque alias acquirere possent in locis in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione praescripta sit Sacra Communio et visitatio alicuius Ecclesiae vel publici Oratorii in locis iisdem, dummodo vere poenitentes Confessi, ac caeteris omnibus absolutis conditionibus, si quae iniunctae fuerint, loco S. Communionis et Visitationis alia pia opera a respectivo Confessario iniungenda, fideliter adimpleant. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

» Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum.»

Loco Signi

F. Card. ASQUINIUS Praefectus

A. ARCHIP. PRINZIVALLI Substitutus.

TURRITANA*

***Die* 28 *Novembris* 1855.**

DECRETUM, a Quamvis in tota Sardiniae dictione, ac praesertim in Turritana Provincia singularis semper effulserit Christifidelium^ devotio erga patronos suos, Sanctos scilicet Gavinum, Protum ac Ianuarium, quorum corpora , sicut ecclesiastica monumenta testantur, a Christianis incolis in Ecclesia eorum nomine consecrata, collocata fuerunt, id unum tantum supererat ad eamdem fidelium in ipsos Martyres religionem augendam, quod nempe ex incerto eiusdem Ecclesiae loco ut eorumdem Sacrorum Martyrum sacra Lypsana invenirentur. Modernus itaque Turritanus Antistes R. P. D. Alexander Dominicus Varesini, quod erat in votis feliciter absolvit: vertente enim anno salutis millesimo octingentesimo quadragesimo octavo, effossis loculis sub inferioris Sacelli altare, quod extat in insigni ac pervetusta Turritana Basilica eisdem sanctis Martyribus dicata, ac servatis omnibus rite servandis iuxta praescripta tum a Sacra Tridentina Synodo,- tum a Decretis huius Sacrae Indulgentiarum, sacrarumque Reliquiarum Congregationis, eorumdem Sanctorum Corpora proprio uniuscuiusque nomine distincta invenit, eaque inventa authentice recognovit, prout ex authentico Processu huic S. Congregationi exhibito satis superque colligitur. Quapropter eadem Sacra Congregatio Indulgentiis sacrisque Reliquiis praeposita, praememoratum Processum approbavit, atque in actis eiusdem Sacrae Congregationis referri mandavit.

)) Datum Romae ex Secretaria praefatae Sacrae Congregationis die 28 Novembris 1855.»

F. Card. ASQUINIUS Praef.

Loco Signi

A. ARCHIP. PRIISZIVALLI **Substitutus.**

Amplior rei enarratio ex adprobato processu deprompta*

Firma ac constans vigebat traditio circa existentiam earumdem ss. Reliquiarum, quin tamen suppeterent documenta, quae singillatim locum in quo eaedem depositae essent in insigni Basilica indicarent. Itaque quod iam erat in votis Archiepiscopus Turritanus feliciter complevit.

Nullo praetermisso studio, quadam relatione Hispanico idiomate scripta prae oculis habita, quae typis tradita fuerat Matriti anno 1514. quo tempore earumdem Reliquiarum inquisitio pariter facta fuerat, ad novam inquisitionem faciendam Archiepiscopus per suos delegatos initio devenit omnibus singulisque actis minutissime per episcopalem Cancellarium descriptis, testium plurium subscriptione firmatis, post effossiones in cappella, quae sub insigni Turritana Basilica estet quidem sub Altare, quod in eadem cappella extat, urna tandem detecta est, quae includebat quidecim capsulas plumbeas sequentes inscriptiones in laminis praeseferentes: in prima legebatur: RELIQUIAS DE LA 2ª RODOMA-in secunda - RELIQUIAS DELLA 1* ROOOMA DONDE SE ALLÒ LA ESPINOLA DE PLATA - in tertia-s. INCOGNIT* - in quarta - s. INCOCNIT⁸-. Hae quatuor capsulae extabant in cornu Epistolae.

In cornu autem Evangelii, in prima legebatur-s. INCOCNIT⁸- in secunda - B^s COMITA REX - in tertia et quarta unica aderat lamina duabus literarum lineis inscripta in quarum prima clare legebatur - RELIQUIAS - reliquae literae maiusculae quidem esse dignoscebantur, legi nihilominus non poterant.

In aliis quatuor capsulis, in prima erat inscriptum-s. GAUDETI EPS. in secunda s. IUSTINUS EPS - in tertia - s. FLORENTI EPS. — in quarta - s. LUXORI^s EPS. -

In medio urnae extabat capsa quadrilatera unius palmi cum dimidio latitudinis; duorum vero palmorum altitudinis; laminam autem praeseferebat distinctam ornamentis auctam , literisque ditioribus inscriptam in qua legebatur-s. GAVINUS M.-ad sinistrum latus in cornu Epistolae altera capsula cui erat inscriptum - s. IANUARIUS M.-ad dexterum latus in cornu Evangelii similiter et capsula aderat **inscriDta** - s. PROTUS M. EP^s.

Archiepiscopus vestibus pontificalibus indutus sacra pignora ex his tribus capsis propriis manibus extraxit, et in alias transtulit suis distinctas nominibus, sigillisque munitas : ac tandem populi venerationi ingenti fidelium concursu eaedem Reliquiae solemnissima pompa octo dies expositae in diviti urna fuerunt.

Idem autem Archiepiscopus recognitionem ss. Reliquiarum prosequens, lapidibus aliis sublatis, alias plures capsas in aliis urnis, adstante Capitulo aliisque testibus, invenit, quibus praeter indicationes ***ss. Incognitorum,*** haec nomina erant inscripta —

S. EOESI[s] PRESBYTER - S. GABIN[s] CR1SPUL[s] ET CRESCENTIAN[s] M. — S. PETRON1A V. M. - © S. COM. £5S°. C1LI - S. AMANTI[s] - S. MARCELI/[s] M. - S. PISANA V. M. - B. M. MARTIN[s] - S. FELIX DIACON[s] M. — SANCT[s] FORTUN*AT[s] M. IN—VENT[s] A. D. MDCXUII. ET HIC RECONDIT[s] A.D.MDCXXU. -

Denique idem Archiepiscopus inventione ac recognitione completa, easdem Patronorum inventas reliquias eodem in loco reposuit ex quo fuerant asportatae, omnibus cautelis adhibitis ne extrahi inde possent, suisque sigillis sacrum thesaurum munivit,

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM.

NEAPOLITANA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

YEN. SERVI DEI

FR. RIGIDI I A SANCTO IOSEPHO

LAICI PROFESSI ORDINIS MIN. STRICTIORIS OBSERVANTIAE

EXCALCEATORUM SANCTI PETRI DE ALCANTARA

PROVINCIAE LYCIENSIS.

DECRETUM. « Instante Rmo Patre Fr. Donato Antonio a Corde Iesu Procuratore Generali Alcantarensium Familiae, et Postulatore Causae praefati Ven. Servi Dei Fr. JEgidii Mariae a Sancto Iosepho, anno 1864 per particulares Litteras Sacrorum Rituum Congregationis iniunctum fuit Rmis Ordinariis dioecesium Neapolitanae, Tarentinae, Hydruntinae, Lyciensis, et Isclanae ut iuxta Instructiones Sanctae Fidei Promotoris in iisdem Litteris occlusas diligentissime perquirerent in respectivis Civitatibus et dioecesibus omnia et singula Scripta praelaudato Servo Dei quocumque titulo tributa. Quamvis autem religiosissime iniunctum munus expleverint Ordinarii dioecesium Neapolitanae, Tarentinae Lyciensis et Isclanae, nullum tamen scriptum praedicto Servo Dei tributum adinveniri potuit ; Processiculos nihilominus diligentiarum iidem Ordinarii conficere non praetermiserunt, illosque clausos et sigillis munitos Romam transmiserunt ad Sacram Rituum Congregationem. In Archidioecesi autem Hydruntina illi Rmo Ordinario quatuor Epistolas praedicti Servi Dei datum est reperire, aliena tamen manu conscriptas, ipsum enim illiteratum fuisse constat: has autem una cum authentico Processiculo diligentiarum a se peractarum misit ad memoratam Sacram Congregationem. Praefatarum autem Epistolarum hic elenchus adiungitur, nimirum.

«Epistola I. in parte dextera primae lineae habet Litteras ***I. MI.*** tum in medio-Neapoli Marzo 1810. Deest dies mensis, eum charta in eo puncto corrosa sit. Deinde in alia linea-Caro mio Fr. Giacinto-Et statim exorditur Epistola per haec verba-Con piacere sento esser-Explicit haec Epistola-ed a tutti di sua famiglia-mi soscrivo. Deinde-Affmo Fratello e Servo-Fr. Egidio di S. Giuseppe - Extra - Al Caro Fratello Fr. Giacinto di S. Francesco Religioso Professo degli Alcantarini - Lecce p. ***Marfano*** — La Consolazione.

«Epistola II. In summitate haec Epistola profert Litteras J. ***M. 1.*** deinde in medio eiusdem lineae: Napoli 6 Novembre 1810. Incipit - RiveritaSignora, et statim prosequitur in eadem linea-Donna di poca fede - In fine primae paginae adsunt haec verba -le maledette mode scomposte - Alia vero pagina incipit: scomposte e scandalose - et post tres lineas explicit per verba-dal Cielo - et statim prosequitur D. V. S. Illma, et in fine paginae adest haec subscriptio - V. Servitore indegnis ° e peccator Fr. Egidio di S. Giuseppe Laico Professo Alcantarino - Extra - A Sua Signoria Illma la Signora Donna Marianna Salvatore. Lecce p. Martano.

«Epistola III. Habet haec Epistola consuetas Litteras ***L M. L*** deinde-Napoli 25 Marzo 1811. in prima linea - Incipit per verba -Riverita Sig. D. Marianna-Mi compiaccio sentirvi incinta insieme colla vostra Sig. Madre. Vostro servo indegniss°. Fr. Egidio di S. Giuseppe - Extra-A sua Signoria Illma - La Sig. D. Maria Salvatore. Lecce p. Martano.

«Epistola IV. Habet in medio haec Epistola-Napoli 22 Giugno 1811. Incipit autem - Veneratissima Sig\ Et prosequitur statim - Dopo aver reso a Dio le dovute grazie-explicit - passo colla dovuta stima a rassegnarmi-Di V. S. Illma. In fine extat subscriptio: Obb. Servo Fra Egidio di S. Giuseppe.

«Quum vero Emus et Rmus Dominus Cardinalis Alexander Barnabò huius Causae Ponens in Ordinariis Sacrorum Rituum domitiis hodierna die ad Vaticanum habitis retulisset, in diligenti examine harum Epistolarum se nihil invenisse quod ulteriorem Causae ipsius cursum praepedire posset, Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, audito etiam voce R.P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt:

- -Nihil obstare quominus procedi possit ad ulteriora, reservato tamen iure Sanctae Fidei Promotori obiiciendi si et quatenus de iure. Die 9 Februarii 1867.

« Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio PA PAE IX. a subscripto Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habuit et confirmavit.»

Die 14 iisdem Mense et Anno.

C. Ep. Portuen. et s. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco)^ Signi

D. BARTOLINI S. R. C. Secretarius.

TOLETUA

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS

VEN. SERVI DEI

FR. ALPHONSI DE OROZCO

SACERDOTIS PROFESSI"ORDINIS EREMITARUM SANCTI AUGUSTINI

PROVINCIAE HISPANAE.

DECRETUM. — Quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de validitate duorum Processuum Apostolica Auctoritate constructorum super Miraculis quae a Deo Optimo Maximo patrata perhibentur, Ven. Servo Dei Alphonso de Orozco praefato intercessore adhibito, subscriptus Cardinalis , eiusdem Congregationis Praefectus huius Causae Ponens, instante Rmo P. Nicolao Primavera Sacerdote Professo memorati OrcHnis Postulatore Causae ipsius, sequens proposuit Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis.

« An constet de validitate Processuum Apostolica Auctoritate con» ***structorum tum Matriti in Toletana Dioecesi tum in Civitate et Dioecesi lnteramnensi super Miraculis in specie: Testes sint nec ne rite recteque examinati, et iura legitime compulsata in casu, et ad effectum de quo agitur*** » Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque R. P. D. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, rescribere rati sunt: ***Expunctis sessionibus in quibus actum est de exhumatione et recognitione Corporis Ven. Servi Dei, consulendum Sanctissimo* pro sanatione defectuum utriusque Processus.*** Die 9 Februarii 1867.

«Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro-**Pio** PAPAE IX. per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sanationem defectuum utriusque Processus benigne elargiri dignata est.»

Die 14 iisdem Mense et Anno.

L. * S.

C. Episc. Portuen. et s. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

D. BARTOLINI **S. R. C. Secretarius.**

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

***Die* 22 *Februarii* 1867.**

Inter caetera in Consistorio secreto habito die xxii. Februarii, ea quae sequuntur gesta sunt.

Sanctissimus D. N. brevi Allocutione desiderium ostendit Sanctorum catalogo accensendi Beatum Léonardum a Portu Mauritio, Missionarium Apostolicum Ordinis Minorum S. Francisci strictioris observantiae in recessu, qui Romae est, S. Bonaventurae.

Tum SSmus voluit, ut Emus Cardinalis Patrizi, qui ss. Rituum Congregationi praeest, summatim de eiusdem Beati causa referret, ut Rmi DD. Cardinales super eadem suam sententiam expromerent. Quod cum ille perfecisset, idem Summus Pontifex, eosdem rogavit, utrum procedi posse existimarent ad solemnem eiusdem Beati Canonizationem, qui omnes singillatim annuerunt verbo: ***Placet.***

Inde Sanctissimus Pater suam patefecit voluntatem procedendi ad solemnem Canonizationem; quae antequam fìat, dio statuendo caetera Consistoria indicenda curabit, in quibus suffragium non modo Emorum Cardinalium, sed et Episcoporum, qui Romam invitati sunt pro aliis canonizationibus antea statutis, expresse rogabit, ut in re tanti momenti pro Ecclesia catholica ea qua par est consilii maturitate procedat.

Praeterea, post habitam Allocutionem quam retulimus ***pag.* 44 1,** pluribus ecclesiis prospexit, quae suis erant viduatae Pastoribus.

Hactenus cum de Episcoporum proclnmationibus in nostris ephemeridibus egimus, indicavimus nominatim personas, quae ecclesiis propositae fuerunt, quin de statu quem vocant materiali ecclesiarum aliquid innuerimus: deinceps solliciti quoque erimus, atque indicabimus aliquid de statu materiali singularum ecclesiarum, quem ex Consistorialibus Propositionibus ***ex officio*** compositis desumemus (I). Eiusmodi enim materialis ecclesiarum status non modo aliquam cognitionem affert cuiusque de qua agitur dioecesis; sed materiam etiam exhibet easdem dioeceses ad invicem comparandi, et in qua re conveniant, aut discrepent, cognoscendi.

In praesenti de quo, agimus Consistorio opportuna sese offert, occasio, cum non sine singulari providentia multi Episcopi proclamati sint.

(1) ***Propositio Consistorialis*** appellatur quoddam folium typis traditum coutinens brevem notionem tum personae Sedi episcopali vacanti praeficiendae, tum status materialis eiusdem ecclesiae vacantis. Eiusmodi folia distribuuntur Emis Cardinalibus priusquam Consistorio assistant ut cognoscant per summa capita id quod in eodem Consistorio' Romanus Pontifex sit ***propositurus:*** unde ***propositiones*** dictae videntur.

ECCLESIAE SUIS PASTORIBUS VIDUATAE

QUAS

IN SACRO CONSISTORIO SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER

PROPOSUIT.

ECCLESIAM CATHEDRALEM TUSCCJLAN. vacantem per obitum ei. mem. Antonii Mariae Cardinalis Cagiano de Azevedo, quam ecclesiam optavit Nicolaus tituli s. Petri ad Vincula Presbyter Card. Clarefli Paracciani, dimisso prius praedicto titulo presbyterali.

Tusculum olim Latii, nunc Campanae romanae urbs in montis declivio aedificata, duodecim passuum millibus Roma distat, in eius ambitu unius fere nulliarii, mille domos, et quinque circiter millia continet incolarum.

Cathedralis ecclesia s. Petri Apostolorum Principis titulo gloriatur, bonae est structurae, et Apostolicae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum tres enumerat Dignitates, quarum post Pontificalem prima «st Archipresbyteratus, septemdecim cum utraque praebenda Canonicos, octo BexieGciatos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis officiis inservientes.

Animarum cura est penes Capitulum, «t a dicto Archipresbytero, cui modo unus ex Canonicis, modo ex Beneficiatis a Capitula electus et ab Episcopo adprobatus, auxilium praestat, in Cathedrali exercetur. Habet fontem baptismalem , <jui unicus in urbe est; sacrarium omni supellectili sacra optime instructum ; plures Sanctorum reliquias decenter adservatas; duplicem chorum, organum , turrem cum campanis , atque extra urlem coemeterium.

Palatium episcopale aliquantulum a Cathedrali distans optimum est aedificium.

Alia tantum in urbe reperitur paroecialis ecclesia; quatuor virorum, et duplex mulierum monasterium ; quatuor laicorum sodalitates ; item orphanotrophium , nosocomium , mons pietatis, et seminarium.

Dioecesis ambitus ad vigiuti quatuor plus minusve passuum millia protenditur , sextjue sub se complectitur oppida.

ECCLESI AS CATH ED RALES NE PESI N . ET SUTRIN. invicem perpetuo canonice unitas SSmus proposuit, vacantes per obitum bo. mem.Laurentii Signani, ad quam provectus est R. D. Julius Lenti Presbyter Romanus; qui in sacra Theologia doctorali laurea donatus, in functionibus ecclesiasticis obeundis, praecipue utriusque sexus confessiones sacramentales excipiendo, Deique verbum vel in sacris missionibus vel in piis exercitationibus praedicando, maxime emicuit. In Pontificio seminario romano humaniorum literarum scholae suffectus , inter cultores academiae theologicae, atque inter magistros pontificiarum coeremoniarum supranumerarios cooptatus: denique in perinsigni Basilica s. Laurentii in Damaso Canonicus ac simul Vicarius perpetuus.

Nepet, vel Nepete ac Sutrium urbes in provincia patrimonii s. Petri sitae reperiuntur , quarum prima plano in loco aedificata, in suo unius circiter milliarii

ambitu ducentas et ultra quinquaginta continet domos , atque a duobus incolarum millibus habitatur: altera vero in colle posita uno pariter milliario per circuitum extenditur , trecentas fere enumerat domos et ultra duo incolarum millia complectitur.

Cathedralis Ecclesia Nepesina sanctis Romano, et Ptolemaeo eiusdem civitatis antiquis Episcopis et Patronis dicata optimi ac recentis est aedificii: Sutrina vero Assumptionis B. V. M. ac sanctae Dulcissimae V. concivis et Patronae titulis decoratur, bonum pariter praefert aedificium : utraque S. Sedi est immediate subiecta.

Capitulum Nepesinum una tantam constat Archipresbyteri dignitate, septemdecim Canonicis cum utraque praebenda, poenitentiaria scMicet, et theologali, et tribus Beneficialis: Capitulum autem Sutrinum unicam itidem Archipresbyteri habet dignitatem, atque quatuordecim Canonicos, quos inter Theologus et Poenitentiarius ac duos Beneficiatos: Htrobique nonnulli alii Presbyteri et Cleriei divinis officiis dant operam.

Habitualis cura animarum est penes unumquodque Capitulum, quae exercetur per proprium Parochum canonicali praebenda donatum, per concursum electum, atque ab Episcopo adprobatum : baptismalem habet utraque Cathedralis fontem etc. atque coemeterium quod Sutrii extra urbem nuper aedificatum est.

Episcopales aedes Cathedralibus proximae optimum habent aedificium.

Praeter Cathedralem Nepete duae reperiuntur paroeciales ecclesiae sine baptismali fonte: duo virorum et unum mulierum monasterium: Sutrii vero altera extat paroecia : unum virorum et aliud mulierum monasterium : utrobique nosocomium praesto est, plures laicorum sodalitates, mons pietatis et seminarium.

Dioeceses unitae ad septuaginta cirtiter militaria sese protendunt, et sex supra triginta continent loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM MONTISFALISCI vacantem per obitum bon. mem. Aloysii Iona ad quam evectus est R. D. Ioseph Maria Bovieri Presbyter dioecesis Ferentinae, in sacra Theologia et in utroque iure laurea donatus, SS. D. N. ab intimo cubiculo, Protonotarius Apostolicus ad iustar Participantium, olim in Helvetia S. Sedis negotiorum gestor etc. in Patriarcali Basilica Vaticana inter Beneficiatos hucusque adnumeratus.

Mons Physi3on urbs est provinciae Patrimonii s. Petri supra montem posita unius fere milliarii est ambitus , mille domos, ac septem mille incolas complectitur.

Cathedralis ecclesia sub invocatione s. Margaritae V. et. M. bonum praefert aedificium et S. Sedi est immediate sabiecta.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum prima post pontificalem est Decanatus, novem Canonicos cum utraque praebenda, duodecim Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Animarum cura est penes Capitulum, eaque per Decanum a Concurato Canonico adiutum in Cathedrali exercetur, in qua adest fons baptismalis , Sacrarium omni supellectili sacra sufficienter instructum; inter plures Reliquias caput s. Margaritae titularis religiosissime adservatur , chorus etc. atque extra urbem coemeterium.

Palatium episcopale e conspectu Cathedralis positum , optimi elegantisque est aedificii.

Praeter Cathedralem duae aliae reperiuntur in eadem urbe paroeciales ecclesiae baptismali fonte destitutae: tria virorum et duo mulierum monasteria : plura laicorum sodalitia: puellarum conservatorum , nosocomium , mons pietatis et seminarium.

Ad octodecim circiter milliaria protenditur dioeceseos ambitus, et plura sub se continett loca,

ECCLESIAS CATHEDRALES RECINETEN, ET LAURETAN. invicem perpetuo canonice unitas vacantes per translationem R P. D. loseph Cardoni ad Archiepiscopalem ecclesiam Edessen. in partibus infidelium : ad illam promotus est R. D. Thomas Gallucci Presbyter Anconitanae dioecesis, qui in sacra theologia et iure canonico laurea doctorali donatus in ecclesiasticis functionibus obeundis, praesertim sacramentales fidelium confessiones excipiendo, Deique verbum praedicando laudabiliter emicuit: Imolensi in Cathedrali Cauonicus, eiusque civitatis ac dioeceseos Vicarii. Generalis munere perfunctus , ac inter SSmi D. K. cubicularios honorarios adscitus.

Reciuetum ac Lauretum Piceni urbes quarum prima unius milliarii ambitu sexcentas domos et novem incolarum millia continet ; altera vero satis nota ex B. V. Mariae aede sacratissima , per eius circuitum unius fere milliarii quingentas complectitur domos, atque ab octo incolarum millibus habitatur.

Recinetensis Cathedralis sub titulo s. Flaviani Kp. et M., Lauretana sub invocatione B. M. Virginis utraque Basilicae titulo houestata s. Sedi est immediate subiecta.

Capitulum Recinetense quatuor enumerat dignitates, quarum post pontificalem prima est Prepositura, sexdecim Canonicos cum utraque praebenda , et quatuordecim Beneficiatos : Lauretanum \ero quinque recenset dignitates, earumque prima est Archidiaconatus, novemdecim Canonicos , collegium Poenitentiariorum , duodecim Beneficiatos , totidemque Clericos Beneficiatos, et utrique ecclesiae nonnulli Presbyteri, et Clerici famulatum praestant.

Per Beneficiatum-Altaristam animarum cura exercetur ia cathedrali Reciuetensi, et in Lauretana est penes Capitulum et a duobus administratur Beneficialis ad Episcopi nutum amovibilibus. Utrobique vero adest baptismalis fons.

Aedes pro Episcopi habitatione adiacent ecclesiis cathedralibus.

Praeter cathedralem quatuor recensentur Recineti paroeciales ecclesiae fonte baptismali munitae, earumque una est etiam collegiata; aliquot virorum ac mulierum monasteria , nonnulla laicorum sodalitia, nosocomium, mons pietatis et seminarium. Laureti vero nulla alia adest ecclesia parochialis, sed tantum aliquae domus religiosae pro viris ac mulieribus, unum conservatorum, nonnullae laicorum sodalitates,duplex orphanotrophium, mons pietatis, et collegium lllirycum.

Dioeceses unitae ad triginta milliaria sese extendunt et sub se nonnulla complectuntur loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM SENOGALLIEN. vacantem per obitum cl. mem. Dominici Presbyteri Card. Lucciardi extra Romanam Curiam defuncti, ad quam promotus est R. P. Fr. Ioseph Aggarbati Presbyter Firmanae archidioeceseos et Ordinis Eremitarum s. Augustini professus, qui pluribus praeclaris muneribus Perusii functus est, ac demum totius Ordinis Procurator Generalis constitutus et inter facultatis theologicae Collegiales in romano Archigymnasio cooptatus.

Senogallia , vel Sena Gallica urbs Umbriae transapenninae ad fines Marcirne Anconitanae, et ad ostia fluvii Kigolae secus mare Adriaticirm aedificata in planitie , duorum circiter passuum millium est ambitus, bis mille ac ducentas cum suburbiis continet domos, eaque decies pene mille cives habet.

Cathedralis ecclesia sub invocatione s. Petri Apostolorum Principis, optimi est modernique aedificii , Urbinatensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum tribus constat dignitatibus, quarum post pontificalem prima est Archipresbyteratus, septemdecim Canonicis cum utraque praebenda, tresdecim Mansionariis, aliisque Presbyteris et Clericis divinis inservientibus.

Habitualis animarum cura extat penes octo Canonicos seniores, et per Presbyterum ab eisdem Canonicis electum et ab Episcopo adprobatum, atque a duobus Cappellanis-curatis adiutum in Cathedrali exercetur, ubi fons adest baptismalis in ea urbe unicus ; sacrarium •opulenter instructum: plures Reliquiae, •et in primis Brachium s. Paulini Episcopi Nolani et civitatis eiusdem Patroni, munificentia SSmi D. N. eidem ecclesiae donatum, ac summa veneratione reconditum: chorus insuper organum, etc. caemeterium.

Episcopale palatium Cathedrali proximum satis amplum optimae est structurae.

Praeter Cathedralem duae aliae insunt Senogalliae paroeciales ecclesiae ; tria virorum coenobia in urbe, et duo extra urbem: unum mulierum monasterium , ac praeterea collegium , conservatorum, nonnulla Laicorum sodalitia , ©rphanotrophium , nosocomium cum adnexo brephotrophio, mons pietatis, aliaque pia instituta , ac seminarium cum alumnis.

Dioeceseos ambitus ad quinquaginta passuum millia protenditur , et plura sub se complectitur loca.

ECCLESIAS CATHEDRALES SAVONEN. ET NADLEN.. invicem perpetuo canonice unitas, vacantes per translationem R. P. D. Alexandri Riccardi a Netro ad Metropolitanam Sedem Taurinensem : ad illam promotus est R. P. D. Ioannes Baptista Cerruti dioecesis Savonensis , qui in ecclesiasticis obeundis functionibus laudabiliter emicuit: Canonicus ad •honorem atque in dioecesibus tum Alatrina , tum Seuogalliensi Vicarius Generalis adlectus, Vicarii quoque Apostolici Administratoris Pisaurensis dioecesis munere perfunctus est: inter Sanctissimi D. N. domesticos antistites , et Protonotarios Apostolicos supranumeratfios adscitus, Delegatus Apostolicus Urbevetanus, atque supremi Tribunali* Signaturae Iustitiae Iudex renunciatus fuerat.

Savo vel Savona et Naulum Liguriae Urbes, quarum prima ad litus Tyrrheni maris plano in loco aedificata trium circiter passuum millium ambitum habet, eaque una cum suburbiis treceutas supra mille continet domos atque a quindecim fere incolarum millibus habitatur; altera vera in ora occidua Ligustici maris in planitie sita, trecentas supra mille complectitur incolas.

Cathedralis Savonensis ecclesia B. V. M. in coelum assumptae; Naulensis vero s. Petri Apostolorum Principis titulis decorantur : utraque Ianuensi Archiepiscopo suffragatur.

Savonense Capitulum quatuor enumerat dignitates, quarum post pontificalem prima est Praepositura, octo cum utraque praebenda Canonicos totidemque Cappellanos de massa : Naulense vero unica constat Archipresbyteri dignitate, septem Canonicis absque theologali ac poenitentiaria praebenda , et nonnullis Beneficialis ; utrobique alii Presbyteri et Clerici rei divinae inserviunt.

Penes unumquodque Capitulum extat animarum cura , quam Presbyter Curatus a Capitulo electus, et ab Episcopo adprobatus Savonae administrat, quamque Nauli Archipresbyter exercet. In utraque Cathedrali fons adest baptismalis etc. , et nominatim inter Reliquias Savonensis Cathedralis sunt corpora s. Xisti I. P. et M. et B. Octaviani ipsius civitatis Episcopi; Naulensis autem corpus s. Eugenii Episcopi et civitatis patroni.

Episcopale palatium Savonense Cathedrali adnexum, et Naulense aliquantulum a sua Cathedrali distat.

Tres aliae recensentur Savonae Paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae: sex pro viris, et duo pro mulieribus monasteria: tria conservatoria, duplex nosocomium, mons pietatis, et pro utraque dioecesi seminarium : Nauli autem nosocomium tantum est et mons nietatis.

Dioeceses unitae ad quatuor supra triginta nnlliaria sese extendunt et plura complectuntur loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM S. MINIATI SSmus proposuit vacantem per obitum bon. mem. Episcopi Francisci Mariae Alli-Maccarani , ad quam promotus est R. D. Hannibal Barabesi Presbyter Grossetanae dioeceseos , qui in sacra theologia doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis officiis se laudabiliter exercuit ; Canonicus theologus in Grossetana Cathedrali renunciatus, ac theologiam moralem Clericos inibi assidue docens, illaque Sede vacante Vicarii Capitulari munere hucusque perfunctus est.

Miniatura vel Fanum s. Miniatis Teutonis urbs Hetruriae in colle ad Arnum fluvium , inter Florentiae et Pisarum urbes posita est, quae in suo ultra duorum passuum millium ambitu octingentas domos ac tria incolarum millia continet.

Cathedralis ecclesia B. M. V. in coelum assumptae titulo gloriatur, suffragaturque Archiepiscopo Fiorentino.

Illius ecclesiae Capitulum unam tantum habet dignitatem scilicet Praeposituram , duodecim praeterea Canonicos cum utraque praebenda, decem insuper Cappellanos, aliosque Presbyteros et clericos.

Per ipsum Praepositum, cui alius Presbyter Cappellanus Curatus nuncupatus auxilium praestat, animarum cura in eadem Cathedrali exercetur , in qua tantum fons baptismalis pro ea civitate est , et inter Sanctorum pignora corpus s. Concordi! M. religiose asservatur: epL scopaies aedes cathedrali proximae, et coemeterium extra urbem extat.

Praeter Cathedralem quatuor sunt in ea urbe paroeciae: tria virorum coenobia , nonnullae laicorum sodalitates , unum mulierum conservatorium, nosocomium et seminarium; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad centum circiter milliaria protenditur et nonaginta habet paroecias.

ECCLESIAM CATHEDRALEM GBOSSETAN. vacantem per obitum bon. mem.Episcopi Ioannis Dominici Mensini, ad quampromotus estR. P. Fr. Anselmus a s. Aloisio, Presbyter Pratensis dioeceseos et Ordinis Carmelitarum discalceatorum professus, qui in ecclesiasticis obeundis functionibus maxime emicuit: sacrae theologiae Lectoris, Definitoris provincialis, et Definitoris Generalis officiis in suo* Ordine perfunctus , Examinator quoque synodalis pro Fiorentina archidioecesim renunciatus est.

Grossetum vel Rosetum Hetruriae urbs ad dexteram oram Umbronis fluminis plano et maritimo in loco aedificata in suo unius circiter milliarii ambitu quingentas fere continet domos eamque ter fere mille incolunt cives.

Cathedralis ecclesia s. Laurentii Levitae et Martyris titulo illustratur, et Archiepiscopo Seneusi suffragatur.

Eius Capitulum una constat Praepositum dignitate et undecim Canonicis-cum utraque praebenda, Sacrista , octo» Cappellanis, aliisque Clericis inibi Divinis inservientibus.

Per ipsum Praepositum animarum-cura in Cathedrali exercetur in qua sola fons baptismalis pro eadem civitate est,, ac inter plures sacras Reliquias nominatim corpora ss. Martyrum Adriani, et Feliciani decenter adservantur; palatium) episcopale aliquantulum distat a Cathedrali, et extra moenia est coemeterium.

Praeter Cathedralem nulla alia est Grosseti paroecia, nec virorum aut mulierum monasterium, nec mons pietatis, neque seminarium: sed tria tantum insunt laicorum sodalitia.

Dioecesis ambitus ad sexaginta circiter milliaria protenditur , et plures, habet paroecias.

ECCLESIAM CATHEDRALEM ARETIN.— vacantem per obitum bon. mem. Eoi-

scop! Attilii Fiascaini, ad quam promotus est R. D. Iosephus Giusti Presbyter Pisanus, qui in utroque iure doctorali laurea donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus, praecipue Dei Verbum praedicando, fideliumque, sacramentales confessiones excipiendo, assidue impendit operam: ecclesiasticam historiam in academia theologica Seminarii s. Catharinae plures per annos tradidit, tum inter illius Curiae Archiepiscopalis Censores adnumeratus, Canonicus theologus atque pro-synodalis examinator ad praesens usque renunciatus est.

Aretium antiquissima Hetruriae urbs partim in monte, ac partim in planitie aedificata, trium circiter milliarium ambitum habet, ultra mille et sexcentas continet domos, eamque duodecim incolunt civium millia.

Cathedralis ecclesia gothicae formae s. Petri Apostolorum Principis titulo gloriatur et est S. Sedi immediate subiecta.

Eius Capitulum quatuor enumerat dignitates quarum prima est Praepositura, octodecim cum utraque praebenda, poenitentiali nempe et theologali, habet Canonicos octo Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos.

Per unum ex Canonicis concursu electum et ab Episcopo adprobatum animarum cura iD Cathedrali exercetur, in qua adest fons baptismalis, duplex sacrarium omni supellectili sacra opulenter instrutmn : inter sacras Reliquias inprimis corpora B. Gregorii PP. X. ac s. Donati Episcopi civitatis Patroni religiose adservantur: extra urbem extat coemeterium.

Episcopale palatium e conspectu Cathedradis surgit.

Tresdecim praeterea recensentur Aretii paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae, earumque altera s. Mariae de Plebe titulo est etiam Collegiata: quinque virorum, ac septem mulierum monasteria : plures laicorum sodalitates, nosocomium, Seminarium, et hi dioecesi collegium ; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad centum fere milliaria protenditur, plusquam tercentum sexaginta paroecias, et plura sub se complectitur loca.

ECCLESIAS CATHEDRALES LUNEN. - SARZANEN. AC BRUGNATEN. — invicem perpetuo canonice unitas vacantes per obitum bon. mem. Episcopi Francisci Agnini, ad quam promotus est R. Iosephus Rosati Presbyter Senensis, qui in ecclesiastica obeunda officia laudabiliter incubuit , dignitate Decanatus in cathedrali Aretina praeditus , eiusque Aretinae Sedis vacantis Vicarii Capitularis munere hucusque perfunctus.

Luna, cui Sarzana in Episcopatu successit, urbs Hetruriae ad Liguriae fines et ad ostia Macrae fluvii sita , in suounius fete milliarii ambitu duo millia circiter domorum continet et ab octoincolarum millibus et ultra inhabitatur.

Brunetum vero, vel Bruniacum Liguriae urbs ad fluvium Votrum et ad Apen. nini radices extructa quingentos circiter complectitur cives.

Cathedralis Sarzanensis Assumptionis B. V. Mariae titulo Apostolicae Sedi est immediate subiecta : Brugnatensis sub invocatione s. Petri Apostolorum Principis lanuensi Archiepiscopo suffragatur^

Sarzanense Capitulum duas receuset dignitates, quarum prima Archidiaconatus, et quatuordecim cum utraque praebenda Canonicos : Brugnatense autem unica constat Archidiaconi dignitate, et septem absque theologo et poenitentiario-Canonicis: utrobique demum alii Presbyteri et Clerici divinis inserviunt.

Penes utrumque Capitulum residet animarum cura, quam Sarzanae per duos Curatos a Capitulo electos et ab Episcopo* adprobatos in Cathedrali exercetur, licet ad proximum s, Andreae Apostoli templum fons baptismalis adservetur eamdemque curam unus ex Canonicis in ecclesia Brugnatensi baptismali fonte m u-

nita administrat: Sarzanae, non autem Bruneti, Sacrarium supellectili sacra satis instructum reperitur, et inter sacras Reliquias brachium sancti Andreae Apostoli decenter asservatur.

Episcopale palatium Sarzanae haud procul a Cathedrali distat, Bruneti vero Cathedrali adhaeret.

Praeter Cathedrales nulla alia reperitur paroecialis aut collegiata ecclesia; sed tria Sarzanae virorum monasteria, plures laicorum Sodalitates, nosocomium, mons pietatis, et pro utraque dioecesi seminarium : Bruneti vero unum dumtaxat pro viris monasterium, et laicorum sodalitium.

Dioeceses unitae ad quinquaginta circiter milliaria sese protendunt et plura •complectuntur loca.

ECCLESIAM ARCHIEPISCOPALEM CATANIEN. ad hunc honorem evecta m per literas Apostolicas datas pridie nonas Septembris 1859 quae incipiunt: *Romana ecclesia omnium ecclesiarum Mater,* vacantem per obitum bon. mem. Archiepiscopi Felicis Regnano : ad eam promotus est R. D. Ioseph Dusmet presbyter Panormitanus ac professus Ordinis s. Benedicti congregationis Cassinensis, -qui in ecclesiasticis obeundis functionibus praesertim Dei Verbum praedicando maxime emicuit: philosophiae, sacraeque theologiae in suo ordine Professor, ac Prior tum Neapoli ad ss. Severinum ac 3osium,tum in urbe Calatanisiadensi ad s. Flaviam adlectus, nec non Abbas Catanae ad s. Nicolaum de Aretina ad praesens usque renunciatus est.

Catana Siciliae urbs, quam Amenes fiuvioius alluit, in valle Demona ad radices Ethnae in ora litorali maris Ionii aedificata quinque circiter milliariorum habet ambitum plus novies mille continet domos, eamque plusquam sexaginta incolunt civium millia.

Priscu m cathedrale templum s. A galliae V. et M. titulo ex praecitatis Literis Apostolicis Archiepiscopatus honore decoratum Sanctae Sedi est immediate subiectum.

Eius Capitulum quinque enumerat dignitates, quarum prima Prioratus, duodecim cum utraque praebenda, poenitentiaria nempe et theologali, Canonico* habet, totidemque Mansionarios qui secundarii Canonici nuncupantur, sex Beneficiatos, quatuor Cappellanos, hoc est Cappellae magistros, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Presbyterum - Cappellanum concursu electum et ab Archiepiscopo adprobatum animarum cura in Archiepiscopali ecclesia exercetur, in qua adest fons baptismalis etc. atque inter sacras Reliquias corpus praesertim s. Agathae concivis et Patronae Archidioeceseos religiosissime adservatur: extra urbem coemeterium habet.

Palatium Antistitis est Ecclesiae archiepiscopali aduexum.

Octo aliae recensentur Catanae paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae, earumque altera s. Mariae ab Eleemosyna dictae, est etiam Collegiata; quatuordecim pro viris, ac sex pro mulieribus monasteria : sexaginta circiter laicorum Sodalitates: duo nosocomi», duo montes pietatis, atque Seminarium.

Archidioec. ambitus latissime patet.

ECCLESIAM CATHEDRALEM GATTELLI NEN.- NOREN. vacantem per obitum bon. mem. Emmanualis Morongiu Episcopi, ad quam evectus est R. P. Fr. Salvator Angelus Demartis professus Ordinis B. M. V. de Monte Carmelo antiquae observantiae, Presbyter Turritanae archidioeceseos, Doctor in sacra Theologia, qui in ecclesiastica obeunda officia r aviter incubuit; Romae ad s. Mariae Transpontinae monasterium studiorum regens, in archigymnasio romano theologiae moralis Professor , inter Consultores cum S. Congregationis Univ. Inquisitionis, tum alterius negotiis eccles, extraordinariis praepositae, atque inter romani Cleri examinatores adnumeratus est.

Residentia Episcopatus Galtellinensis t)b aeris insalubritatem ac civium paucitatem iamdudum constituta manet in urbe JNora, quae in Sardinia supra montem aedificata optimo sub dio, unius milliarii est ambitus, fere sexcentas continet domos et a quatuor incolarum millibus inhabitatur.

Cathedralis ecclesia Norae titulo sanctae Mariae ad Nives recens praefert aedificium, ac Archiepiscopo Calaritano suffragatur.

Eius Capitulum constat unica Archipresbyteratus dignitate, octo Cauonicis cum utraque praebenda, duobus Beneficialis aliisque Presbyteris et Clericis Divinis inservientibus.

Archipresbyter, cui antedicti Canonici auxilium praestant, animarum curam exercet in Cathedrali in qua fons adest baptismalis etc. E conspectu Cathedralis conspicitur domus pro Episcopi habitatione.

Praeter Cathedralem nulla alia paroecialis ecclesia, nec nosocomium reperitur, sed unum virorum coenobium, nonnullae laicorum sodalitates, mons pietatis, «t Seminarium.

Ampla est dioecesis et ultra viginti •sub se loca complectitur.

ECCLESIAM CA.IHEDRA.LEM TARANTASIEN. vacantem per dimissionem a R. P. D. Ioanne Turinaz libere et sponte factam in inanibus SSmi, ab eodem admissam, ad quam promotus est R. D. Franciscus Gros ex benignitate SSmi ad nominationem Serenissimi Gallorum Imperatoris, idem promotus Presbyter Archidioeceseos Camberiensis, qui in ecclesiasticas obeundas functiones naviter incubuit, Camberiensi in Archidioecesi Parochi munere perfunctus, Canonicus, atque Vicarius Generalis hucusque in eadem Archidioecesi renunciatus est.

Tarantasia, vel Forum Claudii, hodie vulgo *Moutiers* nuncupata, Sabaudiae urbs ad lsaram flumen sita a duobus incolarum millibus ac ducentis et ultra inhabitatur sub temporali gallico dominio.

Cathedralis satis ampla mixtaeque structurae s. Petri Apostolorum Principis titulo gloriatur, et Camberiensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates, quarum prima Praepositum, septem cum Poenitentiario tantum Canonicos, duos insuper Beneficiatos aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per Canonicum honorarium utraque voce in Capitulo gaudentem , et Archipresbyteri nomine insignitum animarum cura exercetur in Cathedrali, in qua est fons baptismalis etc. inter sacras Reliquias nominatim brachium s. Petri olim Tarantasiensis Aichiepiscopi decenter ibi asservatur: coemeterium habet extra urbem. Episcopale palatium cathedrali est contiguum.

Nulla praeter Cathedralem reperitur paroecialis ecclesia; unum virorum, alterum mulierum Institutum pro pueris, puellisque instruendis: nosocomium,quae" dam laicorum Sodalitates, ac maius et parvum Seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus satis late patet, complectiturque sub se ultra septuaginta quatuor incolarum j£»Uia.

(prosequitur sequentibus fasciculis)

APPENDIX XVI.

STATUTO M ARCHISODALITATIS S. PETRI APOSTOLORUM PRINCIPIS *m* *vmE* EXISTENTIS.

A resolutione allata circa Confraternitatem Utinensem s. Petri Apostoli et ab Apostolicis Literis in forma Brevium ibid. relatis *pag.*537 consilium cepimus integrum hic dandi Statutum (quod ex italico idiomate in latinum vertimus) Archiconfraternitatis eiusdem nominis, tum ut plenissima de hac re notitia lectoribus praebeatur, tum ut norma quaedam prae oculis habeatur si forte similis Confraternitas aliquibus in locis erigenda occurrat. Integrum autem Statutum, quod fuit confirmatum etiam a S. Congregatione Epis. et Reg., sequentis est tenoris:

«Adeo calamitosa currunt tempora , ut quotidie magis teterrimam excrescat bellum , quod perditi homines in Ecclesiam excitare non desinunt, et plurimi sint qui Religioni, sanctisque operibus per eam praescriptis misere adversantur.

»Ad malorum colluviem aliqua ex parte cohibendam , et confirmandum in coeptis piis consiliis magnum bonorum hominum numerum, Sanctus Pater per litteras Apostolicas datas diebus 31 Octobris et *k* Novembris 1860, in Archiconfraternitatem erigere dignatus est sub titulo et patrocinio s. Petri Societatem , cuius finis praecipuus est vacare precibus et christianae charitatis operibus , quouiam *in hoc cognoscent omnes quia discipuli meieslis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

»In precibus autem hoc propositum esse debet; Dominum videlicet exorare, ut suis IJinistris opportunas vires infundat lumenque suppeditet, quo non modo contra incredulitatis atque indifferentismi spiritum strenue praebentur, verum etiam populos verbo doceant et exemplo. Precibus praeterea implorandum ut Fides ad loca ubi non existit extendatur ; et floreat firmeturque in locis ubi hominum mentes vel sublimes Fidei veritates non satis intelligant, vel praecepta aspernantur. Implorandum denique, ut Deus Sanctam Sedem tueatur, Fidei Catholicae centrum , supernisque suis consiliis atque omnipotenti dextra suum hic in terris Vicarium adeo substentet , ut patienter et fortiter valeat inter undarum procellas tutus incedere, quibus nunc magis quam alias mystica Petri navis iactatur et quatitqr.

«Inter vero charitatis opera non est illud negligendum, quod eo spectat , ut Ecclesiae libertas propu— gnetur, et Summi eiusdem Rectoris independentia adseratur, quem hominum perversitas iam fere univer-

sa ditione temporali expoliavit, ut Ali in christiano grege gubernando •difficultates crearet. Hinc est ut buie fini assequendo omnes qui piae Unionis participes esse velint, dabunt profecto operam , quantum unicuique per propriam conditionem socialem licebit, et pietas suggeret, ut exemplum illorum Fidelium •et magnanimitatem sectentur, qui rerum veritate compulsi, suo comuni Parenti opitulari minime dubitarunt.

«Ut autem dicta Archiconfraternitas normis certis innitatur sequens Statutum redigi visum est.

TITULUS I.

DE OFFICIIS ARCHICONFRATERNITATIS.

1. » Preces quibus Sanctitas sua iu relatis Brevibus indulgentias adnexuit ibi expressas, sunt recitatio Pater, Ave,Gloria et Credo quotidie peragenda, pro qua septem anni •et totidem quadragenae Indulgentiarum lucrifiant, dummodo corde •contrito et devote fiat. Plenaria Indulgentia pro societati adscriptis in •quolibet ex tribus diebus Cathedrae s. Petri Romae (18 Ian.) ss. Petri et Pauli (29 Iun.) et s. Petri ad Vincula (1. Augusti) dummodo in dictis diebus fideles Societati adscripti •confessi , et s. communione refecti •devote aliquam publicam ecclesiam visitent a primis vesperis festivitatis usque ad occasum solis festi ipsius, orantes iuxta intentionem s. Patris , io Brevi expressam, videlicet pro concordia Principum Christianorum,, haeresum extirpatione, et Sanctae Ecclesiae exaltatione. Pro quolibet bono opere ad finem eiusdem Societatis directo tercentorum dierum indulgentiam item Sanctitas sua elargitur.

2. «Hae omnes Indulgentiae animabus defunctorum per modum suffragii sunt applicabiles.

3. «Quisque fidelis utriusque sexus in Societatem cooptari potest; et cuilibet pro suo libito ab ea recedendi est facultas; cum nihil sit in ea societate quod obligationem pariat.

4.» Ad pietatis opera superius expressa , aliud accedit, opitulari videlicet extraordinariis Sanctae Sedis necessitatibus, iuxta mensuram uniuscuiusque devotionis. Archiconfraternitati curae erit in respectivis paroeciis Collectores huiusmodi piarum oblationum praeficere, quarum ratio in apposito Regesto servabitur, ut annuatim collecti aeris summa publice annuntietur, simul cum ulterioribus notitiis quae ad rem facere iudicabuntur. Inter pias oblationes munera etiam admittentur, quae oblatoribus libuerit pecuniariae elemosynae anteferre.

5.«Quilibet Romae Societati nomen daturus, alicui ex Collectoribus vel alicui ex Membris Consilii Archiconfraternitatem moderantes, suam pandet voluntatem; Collectores vero et Consiliarii in generalibus Comitiis per singulos menses habendis novorum Adscriptorum nomina, domicilium, et oblationes patefacietit.-

6.» Si quis extra Urbem directe archiconfraternitati Romanae adscribi velit, eumdem inter socios cooptari nil prohibet. Oblator suum nomen, si velit, occultet, cum agitur de aliqua facienda per typos publicatione; opus tamen est ut aliquam significet sententiam vel pseudonymum quod oblationi publicandae praefigatur.

7. «Praeter preces et oblationes , ii, qui inter adscriptos operibus scribendis sunt idonei, laudabile erit si tot illustrium Scriptorum vestigiis inhaerentes, sanctae Sedis iura tueri pro viribus conentur. Patresfamilias optime se gerent si filios speciali amore reverentia et obsequio s. Sedi devincire studeant.

TITULUS II.

DJE GUBERNIO ARCHICONFRATERNITATIS.

1. «Societas subest auctoritati et regimiui Eminentissimi in Urbe Vicarii.

2. «Societatem moderatur Consilium quod constat Praesidente, Vicepraesidente, Thesaurario generali, et octo Consiliariis. Consilio adsistent Secretarius et Vicesecretarius. Negotia ad Societatem pertinentia inter Consiliarios peragenda dirhibebunlur.

3.«Praesidens, aliique Officiales et Consiliarii ad triennium officio fungentur. Si quis autem velit ab eo prius abscedere, rem ad Consilium referet, a qup alius substituetur usque ad finem triennii.

4. » Consilium, quandocumque opus fuerit, coibit, non minus vero» quam semel in mense; quod Praesidens, aut, eo impedito, Vicepraesidens convocat, eique praeest.

5. «Res omnes dummodo moram patiantur, a Consilio discutientur, et iuxta maiora suffragia resolventur. Suffragia publica et verbalia erunt, praeterquam si agatur de officiis dandis , vel personis substituendis. Praesidenti ius est duplicis suffragii dandi in suffragiorum paritate.

6. «Singula acta per Praesidentem et Secretarium subscribantur.

7. «In Consilium adsciscantur probi honestique viri tam ecclesiastici quam laici, et munera Praesidentis Vicepraesidentis et Thesaurarii semperlaicis conferri poterunt,, si electoribus libuerit.

8. «Coetus constans ex Praesidente , aliis Officialibus , Consiliariis,, et duodecim Collectoribus antiquioribus, elapso triennio, ad novas electiones per suffragia secreta deveniet. Qui pluribus suffragiis potietur, is electus censebitur. Praesidens , Vicepraesidens , Thesaurarius generalis et Secretarius generalis ab Eilio Vicario erunt in officio confirmandi.

9. «In qualibet urbis Paroecia unus aut plures Collectores constituentur, qui duos libros asservabunt ; in quorum altero nomina Confratrum et Consororum adscribent, in altero pecuniam menstruam» solvendam ac solutam.

10.«Quilibet ex Consilio, etiam Collector iure suo est.

II.» Quaestuatio quaelibet ad domicilium, et sollicita et importuna pecuniae postulatio omnino interdicitur. Collector qui id ausus fuerit officio etiam destitui poterit.

12.» Oblationes Communitatum minime respuentur, maxime tamen praeferentur oblationes individuales et nominales; cum offerentis meritum non solum in solvendo sit, sed in suo nomine dando ; id enim perinde est ac aperte et publice erga sanctam Pontificatus Romani causam, suum profiteri obsequium.

13.» Collectores quoties requisiti fuerint pecuniae acceptae syngrapham tradent.

14.» Singulis mensibus Praesidens statuta die, Consilio probante, convocat Collectorum coetum, eique praesidet ac moderatur: in quo eorum quisque aeris recepti rationem reddet quod diebus immediate sequentibus deponet apud Thesaurarium syngrapha recepta.

15,. » Vis pecuniae collecta Pontificio aerario deponetur ; huiusque actus scriptum testimonium ad Summum Pontificem singulis mensibus deferetur per delegatos qui erunt Thesaurarius generalis, alternatim Praesidens et Vicepraesides, unus ex Consiliariis per turnum, duo ex Collectoribus quibus id sorte ob-» tigerit.

16.«Ubi Deus, quod sperare licet , huic Archisodalitati incrementum ac patrocinium tribuerit, singulis annis, si fieri possit, mensc- Iunio die appropinquante Principi Apostolorum sacra, solemnis et publicus habebitur conventus, quo tum collectarum oblationum, tum piae societatis accurata pandetur ratio.

17. «Unusquisque conventus sive Consilii, sive Generalis, statis precibus aperietur, et similiter claudetur.

,18.» Nihil ex Societatis gestis publicari poterit nisi ex Consilii consensu.

19.» Etsi pietatis opera ad lucrandas Indulgentias in conventu fieri non oporteat : tamen Praesidenti facultas est proponendi Consilio sacras functiones, seu religiosos conventus, aut alios pios actus, quos pro rerum adiunctis in communi conventu peragendos esse arbitrantur, Ordinarii consensu accedente.

TITULUS III.

SUPER AGGREGATIONIBUS.

1. » Archisodalitas privilegio fruitur alias aggregandi sodalitates, quibus idem sit propositum , iuxta Literas Apostolicas in forma Brevis diei 4 Novembris 1860.

2.» Fideles extra Urbem, qui Archisodalitati adscribi cupiant, instituent , venia et directione Ordinarii, in quavis Orbis dioecesi, Sodalitatem seu piam Aggregationem eidem fini inservientem sub titulo s. Petri. Ordinariis autem plenissima erit facultas, quovis ordine et quavis forma suas sodalitates

constituendi. Verum utilius erit conformitatis causa, si huic romanae Archisodalitati sese accomodent, quae easdem sibi aggregabit, unde participes evadaut omnium spiritualium bonorum iuxta privilegium in Brevi concessum die 4 Novembris 1860: caeterum ipsa» ad fOrmam regiminis quod attinet, sibi consulant, salva auctoritate Ordinarii iuxta ss. canones, et Apostolicas Constitutiones.»

« DECRETUM. Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum S.R E. Cardinalium Negociis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, suprascripta Statuta Archisodalitatis sub titulo, et patrociuio S. Petri Apostolorum Principis in hac Alma Urbe erectae, praesentis Decreti tenore approbat, atque confirmat.

» Datum Romae ex Secreteria Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium «sub die 19 Aprilis 1861.»

N. Card. PARACCIANI CLARELLI Fraef.

L. * S.

A. Archiep. Philippen Secretarius.

EX S, CONGREGATIONE G01ILII,

FIDEIUSSIONIS.

Die 27 *Ianuarii* **1866.** *Sess.* **25** *e.* **11** *de Ref.*

Coiiipeiiiiium facti. Livius debitor erat scutator. 1000 cuidam haereditate quae ad securitatem crediti scriptiones hypothecarias susceperat super bonis Livii. Ad eiusmodi debitum solvendum, Livius aliud constituit debitum sequenti ratione : scutata 800 obtinuit a pia Sodalitate A., et scut: 200 a Capitulo B., ita ut hac summa scutat: 1000 constitueretur creditum fructiferum, quod pro rata portione tum Sodalitati, tum Capitulo redderet fructum annuum scutatorum sex pro singulis centenis.

Livius praeterea promisit seque obligavit ad restituendam integram sortem spatio quatuor annorum, et deinceps beneplacito eorumdem Locorum piorum, ita tamen ut quoties Livio placuisset eandem sortem restituere, sive intra quadriennium, sive eo elapso, restitutionem huiusmodi per actum Cursoris intimare deberet ante tres menses; secus, tum pia Sodalitas tum Capitulum recusare possent sortis restitutionem, non retardata interim fructuum solutione: initis pactis circa modum solutionis fructuum, conventum etiam est, ut si in solutione fructuum Livius moraretur , in facultate Sodalitatis esset sortem repetere etiam quadriennio nondum elapso ; atque idem Livius fideiussorem dedit, qui his verbis se ex amicitia obligavit: ***N. N. tanquam solidalis fideiussor accedit, semet obligat pro fructibus dumtaxat simul et in solidum cum eodem Livio favore piae Sodalitatis et Capituli, ita ut idem obligetur modo et forma quo obligatur Livius, idque usque ad realem et effectivam restitutionem integrae sortis fructiferi crediti. »***

Loca pia tum Sodalitas tum Capitulum, quamvis ex conventione subingredi debuissent in veterem hypothecam quam su-

pradicta haereditas in securitatem crediti inscripserat; tamen hoc neglexerunt, et novam potius inscriptionem hypothecariam habendam curarunt: at contigit, ut ob alias iam susceptas inscriptiones super bonis Livii , eadem bona pignoris loco haberi facile non possent, novumque debitum plene saltem sustinere non viderentur.

Cum praeterea nihil in Instrumento actum esset de Apostolico Beneplacito, paulo post Rectores Sodalitatis absque ullo interventu Livii debitoris, aut fideiussoris, oblatis precibus Romatio Pontifici supplicarunt ac obtinuerunt gratiam sanationis- et confirmationis contractus usque dum tempus expiraret arbitrio Ordinarii.

Verum praestitutum quadriennium elapsum est, quin aliqua spes affulgeret debitum a Livio solutum iri , qui aliis credito rum actionibus iam premebatur. Quamvis autem Sodalitas Livium in ius rapuerit, ac propitiam obtinuerit sententiam, nihilominus eam nec redigi, neque Livio notam facere curavit.

Novis precibus Sodalitatis Moderatores a Summo Pontifice gratiam prorogationis contractus ad aliud triennium obtinuerunt, si tamdiu causae perduravissent: idemque fecit ac obtinuit Capitulum.

Inde Livius in fructuum etiam solutione morari coepit, quo factum est ut Sodalitas pluries Livium, eiusque fideiussorem in iudicium vocaverit, et post sententias fideiussor fructus pluries solverit.

Demum pertaesus fideiussor S. Pontifici semel hisque supplicavit, ut non amplius prorogatio temporis ad solvendam sortem concederetur, quod oscitantia Sodalitatis in damnum cederet fideiussoris ipsius, qui semet obligaverat ad solvendos dumtaxat fructus; quod praestita ex amicitia fideiussio coarctaretur intra quadriennii spatium; quod prorogatio iam concessa se inscio non posset in sui detrimentum cedere, ac proinde ipse ab obligatione liber existeret etc. et suam protestationem emisit.

At nova petita prorogatione, cum de credito fructifero cum requisitis castrensibus ageretur, perpensis utrinque precibus, auditoque Ordinario ut antea factum fuerat, quaedam nova temporis prorogatio concessa est, ita tamen ut Sodalitas acta i u-

dicialia incoepta omnino ad exitum contra debitorem perducenda curaret.

Verum cum res longius adhuc protraheretur , et fideiussor fructus solvere cogeretur, tandem quaestionem ipse movit contra Sodalitatem petens non modo ut ipse declararetur liber ab obligatione, sed etiam sibi fructus Sodalitati solutos restituendos esse, quasi indebite eos solvisset.

Causa itaque proposita est coram S. Congregatione Concilii sub dubiis quae prostant in calce.

Disceptatio synoptiea.

EA QUAE FAVORE FIDEIUSSORIS ADDUCERANTUR.—Nimirum inter caetera advertebatur fideiussionem contractibus stricti iuris accenseri , ideoque eius obligationem non posse porrigi ultra ea quae diserte in stipulationem fuerint deducta, iuxta /. 99 ***ff. de verb. oblig.,*** ubi de contractibus stricti iuris legitur: ***Quidquid adstrigendae obligationis est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum intelligendum est.*** Iamvero dicebatur, obligationem fideiussoris in nostro themate diserte cohibitam esse ***usque ad realem et effectivam restitutionem integrae sortis:*** integram autem sortis restitutionem promissam a Livio fuisse ***intra spatium annorum quatuor:*** elapso ergo praestituto quadriennio fìdeiussionis obligationem cessare dicendam esse. Haec confirmabantur pluribus legibus nominatim vero Z. 25 ***ff. §. idt. de Receptis, qui arbit., l.*** 27 ***Cod. de fideiuss., l.*** *7* ***Cod. de Locat. et Conduci,*** in qua legitur: « ***Si cum Hermes vectigal octavarum in quinquennium conduceret, fidem tuam obligasti, posteaque spatio eius temporis expleto, cum idem Hermes in conductione ut idoneus detineretur, non consensisti, sed cautionem tibi reddi postulasti, non oportere te de posterioris temporis periculo adstringi competens Iudex non ignorabit.*** » Item /. 47 ***et*** 38 ***ff. de Admin. Tutor.*** Ex bis enim legibus eruitur, expleto temporis spatio, quo obligationem debitoris principalis perdurare conventum fuerit, si inde obligatio protrahatur aut innovetur, fideiussorem non adstringi periculo innovati contractus.

Id autem cornigere subdebatur non solum si agatur de prorogatione obligationis, aut de contractus innovatione, sed etiam si agatur de prorogatione termini solutionis; si enim creditor debitori, ignorante fideiussore, tempus ad solvendum praestitutum

prorogaverit, fideiussorem liberari docent Speculator ***lib. &p.% tit. de fideius.*** §. 1 ***vers. illud autem quaeritur,*** et ibi Ioan. Andr. ***in addit. Ferr. in form. libell, cont. plur. reos debend. §. solutionem.***

Cum porro prorogationes in nostro themate supervenissent post lapsum constituti termini, nullatenus detineri fideiussorem concludebatur, qui non solum nunquam fuerat interpellatus, sed etiam, precibus et protestationibus, prorogationis restitit.

Constare autem eiusmodi prorogationes inscio et invito fideiussore concessas in ipsius praesertim detrimentum cessisse. Dum enim contractus protraheba tur, novi etiam in dies fructus augebantur, et obligatio fideiussoris praegravabatur, qui generatim non tenetur ad maiorem obligationem quae ex dilatione solutionis oriatur, nisi in omnem casum fidem suam interposuerit, prout tradunt Paulus Voet. ***ad*** g. 3 ***Inst. quibus modo re contr. oblig. num.*** 8 Sand. ***decis. lib.*** 8 ***tit.*** 10 ***de fin.*** 5 Berli ch. ***conclus, pract.part.*** 2 ***conci.*** 25. Mascard. ***deprob. part.*** 2 ***conci.*** 1113 ***num.*** 9.

Maxime vero cum, concessa temporis prorogatione, quoniam Livii patrimonium non excutebatur a RectoribusSodalitatis, in dies aere alieno ac expensis litium absumeretur, et Livii conditio ex negligentia creditoris mutaretur et deterior fieret; quo casu ceu cum aliis tradit Card. De Luca ***de credit, disc.*** 94 ***n.*** 6, ***et discur.*** 96 ***n.*** 7 non competit actio adversus fideiussorem non morosum post immutatam debitoris principalis conditionem ex negligentia creditoris.

Idque praesertim locum habere videbatur in praesenti casu, quia Sodalitas debitorem excutere debebat etiam ex lege in Apostolicis Rescriptis imposita.

Quod si fideiussor in hoc casu a sua obligatione solutus non existimaretur, aequum videri subdebatur, ut Iudicis officio nunc eximeretur; scitum namque esse fideiussorem, qui diu steterit in fideiussione recte liberationem petere posse: diu autem in obligatione eum stetisse intelligi, qui per decennium in **a perseveraverit: fideiussorem vero in praesenti themate vjltr*< vicennium in fideiussione stetisse; meritoque concludi pòsse videri cum Voet. ***adpand. I.*** 46 ***Ut.*** 1 ***n.*** 39. «Posito quod fideiussor dn ste-

» terit iri fideiussione, creditor quotannis a reo sortis usuras
» percipiens, sortem haud repetat, idoneae fideiussionis fiducia
» secure quiescens, permittenda videtur fideiussori facultas inter^
» pellandi creditorem ut debitorem excutiat, aut pignora distra-
» hat sibique vigilet, protestatione addita se adstrictum alio-
» quin haud fore creditori ad damnum quod ex ulteriori actio-
» nis mora, atque dilatione expectandum est, ita suggerente rei
» aequitate, licet hic forsan iure defìciamur.»

Sed praeter liberationem a suscepta obligatione videbatur fideiussor exquirere posse refectionem damnorum a Sodalitate tum ob neglectum subingressum in tutum hypothecarium locum primi creditoris dimissi, tum ob neglectam excussionem Livii, Rescripto urgente, quo Sodalitati praecipiebatur ut iudicium ad exitum contra debitorem Livium perduceret.

EA QUAE DEDUCEBANTUR FAVORE PIAE SODALITATIS.— Adductis quibusdam Doctorum opinionibus quae aliquatenus variae sunt in eiusmodi quaestionibus, inter caetera adducebatur doctrina Vinnii qui in opusculo ***de Quaest, iuris selectis I.*** 2 c. 42 quaestionem ex professo pertractat, quae cum nostra affinitatem quandam habet: an prorogatione termini solutionis, idest si creditor debitori, ignorante fideiussore, tempus ad solvendum praestitutum prorogaverit, fideiussor liberetur: eamdemque negativo responso resolvit addens sequentem rationem: « Nullus in iure no-
» stro locus produci potest quo contrarium probetur sive fide-
» iussio tempore determinata, sive indeterminata. Abutuntur au-
» tem interpretes locis quibusdam , veluti ***lege Si cum Hermes***
» ***Cod. de locai, lege. Item quaeritur*** 13 §. ***ult. ff. eodem:*** quippe
» quibus locis non agitur de prorogatione solutionis, sed de obli-
» gationis, pro qua fideiussor intervenerat, finitae renovatione :
» nec illud dicitur fideiussorem renovata obligatione liberari ;
» sed renovatae obligationis periculum ad eum non pertinere.
» Caeterum ex priore contractu obligatus esse propterea non
» desinit... Igitur si debitori, qui ad certum diem se soluturum
» promiserat, eoque nomine fideiussorem dederat, creditor in-
» scio fideiussore facultatem solvendi in longius tempus proro-
» gavit, negamus idcirco fideiussorem liberatum videri, ***cum prin-***
» ***cipalis obligatio salva maneat.*** Non enim tempus in obligatione ii-
» deiussoris appositum est ad finiendam aut limitandam obligatio-

» nem, quo casu aliud dicendum esset respectu periculi sequen»
» tis temporis ***d. I. Si cum Hermes C. de locat.,*** sed ad faciendam
» solutionem et exactionem...

» Hoc igitur posito quod prorogatio termini solutionis tan-
» tum differat exactionem, et manente principali obligatione
» moram debitoris dumtaxat tollat, quae alias et fideiussori,
» maxime in omnem causam obligato, noceret, ***I Si quis*** 24 §. 1
» ff. de Usur. I. Morae 88 ***ff. de Verb. oblig. I. Quaero*** 54 ***ff. lo-***
» eat., necessario sequitur prorogatione non liberari fideiusso-
i> rem, sed manere obligatum , sive simpliciter , sive cum ad-
» iectione temporis se obstrinxerit : prorogatio fit cum omni-
» bus suis accessoriis et qualitatibus— nec ulla hic inter-
» venit aut obligationis finitae repetitio, ut possit dici in futu-
» rum liberatus sicut in casu ***I. Si cum Hermes C. de locat.,*** aut
» novatio , per quam prior obligatio tollatur, et nova in locum
» sublatae verbis stipulationis substituatur, ut possit dici pie—
» nissime ac etiam in praeteritum liberatus, qui novationis ef-
» fectus est, ***I. Novatione*** 18 ***ff. de Novat. I. Ubicumque*** 60 ***ff. de***
» Fideiuss. I. 4 ***Cod. eodem: »***

Sed magis ad praesentem casum accedendo observabatur quadriennium ad restitutionem integrae sortis constitutum ac limitatum fuisse favore praesertim Livii debitoris, ita ut hic neque restituere sortem posset nisi eiusmodi restitutionem se facturum intimasset ante tres menses per publicum Cursorem: et poenae dumtaxat titulo, quatenus si in solutione fructuum Livius moraretur , in facultate Sodalitatis fuisse sortem repetere etiam quadriennio nondum elapso. Quare cum coarctatio temporis favore Livii fuerit assignata , fideiussorem qui in solidum accesserat et eo modo et forma qua Livius semet obligaverat, solutum dici non posse, quadriennio elapso, a suscepta obligatione.

Hinc ad extinguendam fideiussionem non iuvare dicebatur socordia creditoris, quatenus hic dilationibus indulgens patrimonium Livii imminui permiserit in damnum fideiussoris. Distinctione enim indicata inter fideiussorem subsidiarium, quem vocant etiam indemnitatis, et simplicem fideiussorem, advertebatur, fideiussorem indemnitatis posse quidem repellere actionem creditoris, qui opportune monitus ab excutiendo debitore diu abstinuerit eiusque fortunas disperdi passus fuerit, Z. 41 ***ff. de***

fideius.; hoc enim casu fideiussor non eadem obligatione ac debitor tenetur, sed ad id dumtaxat quod creditor consequi non possit a debitore iuxta L 166 ***ff. de Verb. oblig.:*** at idem dici non posse de simplici fideiussore, qui eadem obligatione ac debitor teneatur, iuxta Z. 62 ***ff. de fideiuss.*** in qua legitur: « ***Si fideiussor creditori denuntiaverit, ut debitorem ad solvendam pecuniam ^compelleret, vel pignus distraheret, isque cessaverit, an possit eum fideiussor doli mali exceptione submovere? Respondit: non posse.))*** ibique Doctores.

In facto autem observabatur, praesentem fideiussionem non •quidem subsidiariam, sed constitutam fuisse in solidum, et ita ut fideiussor eodem modo et forma ad solvendos fructus se obligaverit ac Livius.

Maxime cum pia Sodalitas magna prudentia usa inter nomina plurium creditorum, nullimode negligentiae et socordiae nota redargui posset, si interdum patrimonii Livii excussionem distulerit, prout documentis ad rem adductis ostendebatur.

Circa liberationem autem quam fideiussor postulabat a Sodalitate quod diu steterit in fideiussione, observabatur, eiusmodi remedium fideiussori competere non quidem contra creditorem, sed contra debitorem principalem vel contra alium fideiussorem quem forte debitor fideiussori dedit in securitatem indemnitatis. Ad hunc enim effectum fideiussori tribui vel mandati, vel negotiorum gestorum actiones, quod pluribus legibus et auctoritatibus confirmabatur. Harum autem actionum vigore exigere fideiussor posse ut idonea pignora sibi tradantur, vel ipse in possessionem bonorum debitoris immittatur, vel demum ut eadem bona venundentur in demissionem crediti prouti colligitur ex Z. 10 ***Cod. Mandati*** et Gloss, ***ad leg.*** 38 ***ff. mandati.*** Cardin. I)e Luca ***de Cred. disc.*** 103 ***n.*** 3. S. Rota ***in Beneventana Excussionis*** 24 ***Aprilis*** 1818 §. 3 ***coram Isoardo, in Romana fideiussionis*** 15 ***Iunii*** 1857 §. 4 ***coram Sbarretti.***

His aliisque ampie animadversis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An et a quo tempore competat Oratori liberatio a fideius-* sione in casu.

II. » An et quae indemnitas praestanda sit fideiussori ir* » casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii causa discussa die **27** Ianuarii 1866 respondere censuit:

Ad I. ***Negative.***

Ad II. ***Provisum in primo.***

Ex **HIS COLLIGES:**

I. Ad iudicandas quaestiones circa contractuum obligationes, quammaxime conferre sapientia veterum iurisconsultorum responsa, quae ad normam iustitiae tradita nunquam vim suam amittunt (1).

II. Eum, qui in solidum fideiusserit pro fructuum solutione ex legitimo fructifero credito, ab obligatione solvendi fructus non liberari si principalis debitor fructus non solvens, morosus sit etiam ad restituendam sortem.

HI. Neque creditorem stricto iure teneri ad excutiendum debitoris principalis patrimonium pro sortis restitutione ut fideiussor, qui pure fidem suam pro fructibus obligavit, a solvendo liberetur.

IV. Solidalis enim fideiussor in eo quod promisit eadem obligatione obstringitur ac principalis debitor cui ex contractu obligatio in praesenti casu inerat solvendi fructus quousque sortem non restituisset.

V. Quare si fideiussor aliquo iuris beneficio uti facile non potuerit adversus principalem debitorem, ut hic aut fructus solveret aut sortem restitueret, ille ad solvendos fructus iugiter adstringebatur (2).

VI. Neque creditorem obligari ad pignora seu hypothecas pro sorte obiigatas in eiusmodi fideiussorem transferenda, cum hic

(I) Contractuum quaestiones saepe difficiles sunt. Ad cognoscendas et accurate definiendas eorumdem obligationes, confert quammaxime studium veteris illius iuris quod ex pluribus sapientum responsis coalescens et plurium saeculorum decursu firmatum , ad normam iustitiae iudicandum assuefacit animum.

(2) « ***Si a Colono stipulatus fideiussorern accepi, una stipulatio est plurium pensionum, et ideo in universis pensionibus fideiussor tenetur. Cum facto suo reus principalis obligationem perpetuat, etiam fideiussoris durat obligatio, veluti si moram fecerit in stick» solvendo, et is decesserit.*** **» 1. 8 ff- de fideiuss.**

nori pro sorte fidem suam obligaverit, sed pro fructibus dumtaxat (1).

VII. Colliges demum Apostolicum Beneplacitum, aut Apostolica Rescripta a Loco pio postulata et obtenta in contractus confirmationem et prorogationem, conditiones contractuum nort irrjrmtare.

THEOLOGALIS.

Die **1** *Decembris* **1866.** *Sess.* **5** *c.* t *de Reform.*

CoBMg»endiH«n facti. Munificentia cuiusdam Exiiiae Dynasticae familiae plura minora beneficia ecclesiastica instituta reperiebatur in urbe N. Aderant etiam beneficia parochialia iurispatronatus familiae eiusdem; nominatim vero in ecclesia parochiali sub titulo s. Ioannis Baptistae inter plures Beneficiatos duo numerabantur, quorum uni officium inerat coadiuvandi Parochum, alteri vero ad instar Theologi officium erat exponendi populo diebus festis sacram Scripturam

Cum autem in desiderio esset Cleri et populi ut tot disparata et disiuncta beneficia colligerentur veluti in unum corpus y ita ut ecclesia s. Ioannis populo commodissima evehetur ad Collegiatae honorem, Gregorius XVI. Apostolicis Litteris anno 184? his votis cessit.

Ad praebendam theologalem quod attinet in Litteris Apos o» '"cis haec legebantur: *«ex Quibus* (Canonicatibus instituendis) ***Ani sacram Scripturam, prout antea a Beneficiario theologo fiebat,***

(I) « *Creditori qui pro eodem debito et pignora et fideiussorem accepit, licet (si malit) fideiussorem convenire in eam pecuniam iti qua se obligaverit. Quod cum fecit, debet ius pignorimi in eum transferre. Sed cum in alia quoque causa, eadem pignora vel hy~ pothecas habet obligatos, non prius compellendus est transferre pignora , quam omne debitum exsolvatur.* « **1.12„ Cod. de lideiuss.**

populo explanandi onus insit. » Et rursus: « ***Uni ex Canonicis erigendae Collegiatae onus insit sacram Scripturam popido exponendi prout antea a Beneficiario theologo fiebat.»***

Mandatum quoque in iisdem Literis est Episcopo ut « ***ius patronatus et praesentandi. . ad instituendos... Canonicatus et Beneficiatos in quibusvis illorum vacationibus nobili et illustri famu liae*** (Dynastae) ***eodem prorsus modo, quo in paroecias et beneficia unienda actu gaudebat... perpetuo quoque deinceps reservaret.))***

Mortuo primo Canonico theologo, qui ante Collegiatae erectionis fuerat theologus Beneficiatus, duo quorum unus Canonicus, alter Beneficiatus, a familia patrona petierunt, ut nominarentur ad theologalem praebendam. Cum autem Dynasta Beneficiatum nominasset, Canonicus reclamavit, et interposito in Curia episcopali impedimento quod audit; ***nihil transeat,*** a S. C. C. postulavit ut irrita declararetur nominatio tum ex iure ex allegatis Litteris Apostolicis derivante, tum etiam ex dotibus quas sacri canones exigunt, quibus dictum Beneficiatum destitutum esse affirmabat.

Audita informatione et voto Ordinarii, auditoque Patrono, reliquisque quorum id intererat, sub dubio quod in calce prostat quaestio proposita est.

IMsceptatio synoptiea.

Quoniam autem in habitis relationibus quaedam umbrae interserebantur circa ius optandi, nec non circa designationem peculiaris praebendae pro Theologo, quae non videbatur facta, quamvis praescriptum esset officium; haec ante omnia recolebantur: Concilium Tridentinum ***Sess.*** 5 c. 1 de ***Reform,*** sequentia edixisse: « ***ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, statuit et decrevit*** (sacrosanta Synodus), ***quod in illis ecclesiis , in quibus praebenda aut praestimonium , seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur, Episcopi... eos qui praebendam... huiusmodi obtinent ad ipsius sacrae Scripturae expositionem et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis_____eligendum, etiam per subtraclionem fructuum cogant et compellant. De caetero vero praebenda, praestimo-***

nium aut stipendium huiusmodi nonnisi personis idoneis, et quae per se ipsas id munus explicare possint, conferantur, et aliter facta provisio nulla sit et invalida. In ecclesiis autem metropolitanis vel populosa ac etiam in collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido. . . . si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi nulla praebenda aut praestimonium seu stipendium huiusmodi deputatum reperitur, praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vocatur a cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. »

Porro subiungebatur cum in ecclesia s. Ioannis iam extiterit Beneficium cum officio explicandi sacram Scripturam, cumque illud per litteras Apostolicas aliis proventibus fuerit unitum, praebendam canonicalem firmatam esse, ita ut in eum Canonicum officium explicandi s. Scripturam incumbat, qui eam peculiarem praebendam deinceps obtineat. Unio enim praebendae cum officio Theologi non est accidentalis et personalis, sed realis et perpetua ut eruitur ex allegato Tridentini Decreto, idque docet Card. Petra in ***Constit.*** 2 ***Innoc. VI. n.*** 26. Cui etiam in Apostolicis Litteris pro Collegiata erigenda in casu vacationis fuerat satis consultum per verba inibi expressa: ***Canonicus, Theologo haud excepto, Praedecessoris fruitur Beneficio.***

Circa ius optandi praebendas vacantes, quod in quibusdam Capitulis viget, observabatur, ius optandi posse consistere etiam cum iurepatronatus: quoties enim Canonicus sua relicta praebenda ad vacantem ascendat, ultima quae vacua remanet praebenda nominationi Patroni subiecta erit. At vero si de Praebenda theologali agatur, cum haec theologali officio perpetuo unita intelligenda sit, eam optioni subiectam esse non posse: quod quietem pluribus auctoritatibus confirmabatur, et nominatim id declaravit S. C. C. in ***Bellunen.*** 14 ***Dec.*** 1647 ***lib. Decret.*** 18 ***p.*** 432 quo legitur: « ***optio locum non habet in praebenda theologali.»*** Item in ***Massen.*** 16 ***Septemb.*** 1656 ***lib. Decret.*** 20 ***p.*** 163 Ius autem optandi pinguiorem praebendam Canonico theologo interdum fuisse permissam in Capitulis in quibus ius optandi vigeat, ita tamen ut ad aliquam ex pinguioribus Theologus ascendens, haec perpetuo ad theologale officium firmata intelligeretur, uti rescriptum fuit die 8 Maii 1688 his verbis: ***Caeterum, ut necessitati,***

qua praebenda paenitentialis et theologalis laborat provide consulatur, Sacra Congregatio auctoritate sibi per SSmum specialiter attributa benigne indidsit, ut Poenitentiarius, et Theologus cathedra-» lis Sebenicen. praebendas optare possint, sicut caeteri Canonici, donec ad aliquam ex pinguioribus praebendis adscendant, quae perpetuo affecta Poenitentiario, et Theologo pro tempore esse intelligatur ac sit.

E**A QUAE ADDUCEBAT CANONICUS SUI FAVORE**. — Canonicus querimonias movebat contra insignis Patroni praesentationem favore Beneficiati factam duplici praesertim ex capite, tum quia non idoneum nominatum Beneficiatum renunciabat ad theologi officium. Namque haec idoneitas quae labore studiorum acquiritur, in Theologo exigitur, quamvis praebenda theologalis per concursum in praesenti casu non esset conferenda. Concilium enim Tridentinum decrevit ut ipsa ***nonnisi personis idoneis et quae per se ipsas id munus expedire possint conferatur.*** Et Benedictus Xlii. in sua Constitutione pro Italia anno 1725 edita, quae incipit ***Pastoralis officii,*** non solum Episcopos excitare curavit ut in suis ecclesiis theologalem praebendam erigerent, sed praeterea iussit eamdem dignioribus conferri, eisque solum, qui magisterium et lauream in s. theologia vel consecuti iam essent vel infra annum consequi possent.

Recolebatur quaedam Responsio quae data est in ***Amerina*** die 2 Iunii 1860 per ***summaria precum*** exposita; agebatur de erectione praebendae theologalis; cum autem Amerinus Episcopus Canonicatum Aloisi nuncupatum statuere pro theologali praebenda proposuisset, qui iuspatronatus laicorum erat subiectus, contradicentibus Patronis, S. Congregatio respondit: ***erigendam esse praebendam theologalem ex Canonicatu Aloisi, ita tamen ut Patroni nominare debeant actu idoneum ad munus obeundum.*** Porro Beneficiatus ad theologalem nominatus , neque laurea doctorali, neque licentiatu donatus esse dicebatur: cum e contra Canonicus lauream doctoralem in utroque iure consecutus esset.

Contendebat secundo deesse in Beneficiato nominato qualitatem requisitam in Apostolicis erectionis Litteris. Affirmabat enim ex iisdem Litteris Theologum esse eligendum inter Canonicos, et esse debere actu Canonicum, ut nominari possit.

EA QUAE BENEFICIATUS SUI FAVORE DEDUCEBAT. — Hic autem nominationem sui favore factam validam esse contendebat tum <ex parte sui ipsius, tum ex parte Patroni. Nominationem sustineri ex parte Patroni quia laicus Patronus lege concursus ad nominandum non impeditur. Beneficia enim patronatus laicalis concursui non sunt subiecta: maxime autem in praesenti casu, in quo ius nominandi ad omnes canonicatus, theologali praebenda non excepta, sartum tectumque servatum sit Patrono in Litteris Apostolicis.

Sustineri ex parte nominati, quia satis est ut constet de idoneitate nominati eiusdem, quin alia requirantur.

Neque in Litteris erectionis exclusos fuisse Beneficiatos ad assequendam immediate theologalem praebendam , sed dumtaxat statutum esse, ut theologi officium quod antea Beneficiatus «bibat, modo spectaret ad unum ex Canonicis, ita ut Theologus praesentatus eo ipso praebendam theologalem quae canonicatus -est consequi debeat.

His aliisque animadversis proposita sunt resolvenda

Dubia.

I. « An sustineatur electio favore ***(N. N. Beneficiati)*** ad Ca-» nonicatum theologalem in casu.»

Et quatenus ***negative***

H.% An et quomodo attendi debeat oppositio facta a Cano-» nico ***(N. N.)*** in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii die 1 Decembris 1862 respondere censuit:

Ad I. ***Sustineri praesentationem, et institutionem dandam esse*** {N. N. Beneficiato) ***facto experimento idoneitatis.***

Ad II. ***provisum in primo.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Theologalem praebendam, quae ex Tridentino iure determinata esse oportet, ita coniungi theologi officio, ut ab alio, «uam a Theologo possideri non possit (1).

(I) Circa **eiusmodi** arctam **unionem** •**officii cum praebenda videsis** aliam **quaestiunculam quam exposuimus** in ***Vol. I.*** ***pag.*** **6i0, cui titulus** ***Praebendae poenUentialis.***

II. Neque eam proinde subiici iuri optionis: ei enim praeponenda est persona ex iure idonea ad praestitutum officium obeundum.

III. Quamvis ex Constitutione Benedicti XIII. theologalis praebenda in Italia insulisque adiacentibus per concursum sit conferenda ad instar parochialium ecclesiarum; huic tamen legi praebendam iurispatronatus laicalis non esse subiectam.

IV. Hoc enim in casu satis esse, ut Ordinario, qui in praebenda instituturus sit praesentatum a Patrono, de simplici eiusdem praesentati idoneitate constet.

IUBILATIONIS QUOAD DISTRIBUTIONES.

Bie* 28 *Iulii* 1866** ***Sess. 24 c.* 12 *de Reform.

Compenti i u m facti. Canonici collegiatae ecclesiae N. exposuerunt: in sua ecclesia ex pervetusta consuetudine omnia emolumenta ex funeribus, Anniversariis, Missis cum cantu, similibusque functionibus provenientia, sive fixa sint sive adventitia, ab eo qui haec solvere tenetur, fixam ratamque portionem dirhiberi tantum illis, qui praesentes adsunt ; absentibus autem nihil solvi quamvis hi infirmitate etiam gravissima detinerentur. Cum autem duo Canonici in praesens haberentur qui Iubilationis indulto gaudentes existimarent in sua absentia ius sibi esse emolumenta percipiendi ex Missis cum cantu et Anniversariis fixis, declarari ideo postulabant, an hi duo Canonici eadem emolumenta percipere possent.

Iuxta morem requisitus Ordinarius pro informatione et voto, atque ut moneret tum Capitulum tum Canonicos iubilationis indulto donatos, ut quisque probationes coaudiuvaret praesertim super consuetudinis existentia; quaedam testimonia deducta sunt ex parte Capituli, quae vetustam consuetudinem confirmabant, nihil autem ex parte duorum Canonicorum.

Proposita itaque est quaestio sub dubio quod in calce prostat.

Disceptatio synoptica.

Plures Resolutiones ***ex officio*** indicabantur quae datae sunt circa eiusmodi quaestiones. Advertebatur enim eos, qui iubilationis indulto donati sunt, eo ipso eximi a lege residentiae in beneficii loco, et fictione iuris reputari tamquam residentes, quin imo etiam actu praesentes divinis officiis prout tradit Benedici XIV. ***de Syn. dioec. L*** 13 c. 9 ***n.*** 15. ex quo pronum esse colligere iubilationis indultum Canonico suffragari ad percipiendos omnes sui beneficii fructus et quaecumque emolumenta ut pluries declaratum està S. C, ideoque eiusmodi Canonicum ordinarias omnes lucrari distributiones quae ratione servitii et laboris Canonicis obveniant, iuxta ea quae docet Moneta ***de Distrib. p.*** 2 ***q.*** 3 ***n.*** 13 et S. C. C. in ***Patavina Indulti*** die 9 Iulii 1714; ac praeterea etiam punctaturas seu fallentias aliorum absentium Canonicorum, ut in ***Aquipendien.*** 1 Aprilis 1719 ***ad I. dubium, et in Spoletana et Reatina*** 3 Aprilis 1841 Quin imo et ipsas extraordinarias distributiones percipere, ut in ***Burgi S. Donnini*** die 19 Aprilis 1704; et emolumenta quoque quae proveniant ex Anniversariis, uti in ***Novarien. Iubilationis*** 2 Octobris 1677.

At vero ad emolumenta quod attinet quae derivant ab extraneis aut extraordinariis functionibus, facta consueta distinctione inter ***incerta adventitia,*** ut dici solet, et ***incerta fixa,*** advertebatur eiusmodi indultarios Canonicos non quidem percipere prioris generis emolumenta; percipere vero secunda, dummodo tamen non obstet testatorum vel dantium voluntas, ut probant Pignatell. ***t.*** 9 ***Consult.*** 134 Fagnanus ***in Cap. Licet de praeb.*** Card. Petra ***ad Const. Apost. tom.*** 2 ***Const.*** 12 ***Innoc. III. sect.*** 2 ***num.*** 27, et S. C. C. passim.

Quamvis autem haec generalis sit norma, tamen subiungebatur, peculiares constitutiones aut consuetudines in singulis Capitulis peculiare ius inducere posse, et ad rem allegabatur vetus causa ***Tudertina anni*** 1573 ***Lib.*** 1 ***Decret, p.*** 86 in qua expositum fuerat: « Est antiqua Constitutio in dicta ecclesia ut Canonici » qui infirmantur, durante eorum infirmitate, percipiant fructus » tam praebendae quam quotidianarum distributionum, sed conto suetudo introducta est, ut ipsi infirmi fructus tantum prae- » bendae consequantur, non autem quotidianas distributiones.

D Quaeritur in hoc casu an constitutio, vel potius consuetudo sit servanda.» Cui sacra Congregatio respondit: ***consuetudinem, si legitime praescripta est, tollere constitutionem.***

Item in ***Cathacen. Distributionum*** die 27 Ianuarii 1866 ***per summaria precum*** exposita agebatur de immemorabili consuetudine, qua Canonici etsi infirmi distributiones non perciperent ex fixis Anniversariis derivantes, cum autem de hac consuetudine con<juereretur aegrotus Canonicus, S. C. respondit: ***servetur consuetudo.***

Magnam autem vim habere consuetudinem in re de qua agimus circa Canonicos iubilationis indulto donatos aliis similibus Resolutionibus ostendebatur; saepe enim dubium propositum est an Canonico iubilato debeantur vigore indulti iubilationis distributiones et fallentiae, etiamsi choro non intersit; et responsum est: ***affirmative dummodo non obstent constitutiones et consuetudo ecclesiae,*** uti animadvertitur in ***Reatina Iubilationis*** 28 Aprilis 1770 ***§. Haec autem.***

Pariter in ***Aquilana Indulti*** diei 26 Iunii 1745 ratione aegritudinis indultum concessum fuit Archidiacono; proposito autem dubio: « an, et quibus emolumentis perfrui debeat in casu.» S. C. respondit: ***Deberi omnia emolumenta exceptis iis, quae sive ex dispositionibus testatorum sive ex statuto, et consuetudine ecclesiae debentur tantum actu inservientibus, et amplius.***

His animadversis propositum est dirimendum

nubium.

« An et quibus emolumentis perfrui debeant Canonici iubi-
» lati in casu. »

RESPONSIO. — S. Congregatio Concilii re cognita die 28 Iulii 1866 respondit: ***servetur consuetudo.***

Ex ius **COLLIGES.**

I. Eos, qui iubilationis indulto donantur, (quod in laboris et diligentiae proemium aequitate suadente conceditur) huius indulti vi considerandos esse choro praesentes divinisque officiis inservientes, quamvis absint.

II. Ex hac consideratione seu iuris fictione , eos ius habere ad anania emolumenta, quae diligentes Canonici percipiunt divinis officiis inservientes.

HI. Eiusmodi tamen facultatem ex indulto derivantem aliquam limitationem accipere posse ex legitimis capitularibus constitutionibus, ex dispositione testatorum vel dantium, et ex consuetudine legitime praescripta.

IV. Facultatem tamen iisdem induitariis non fieri emolumenta percipiendi, quae ex adventitiis functionibus derivent : his enim percipiendis, inspecta eorundem indole, ipsa voluntas dantium resistere videtur.

H S, CONGREGATIONE INDULGENTIARUM.

CENOMANEN.

DE SEPARATIONE RELIQUIAE SANCTISSIMAE CRUCIS **A U E i b M S** SANCTORUM RELIQUIIS.

***Die* 22 *Feb.* 1847.**

Ut consuleret sacrarum Reliquiarum cultui Cenomanensis Episcopus Sacrae Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae exposuit: se in sua dioecesi statuisse, ut particulae SS. Crucis D. N. 1. C. non collocarentur in iisdem capsis -cum Reliquiis Sanctorum, quia cultus Sanctorum Reliquiis exhibendus, idem non est ac cultus SSmae Crucis et aliorum passionis D. N. 1. C. instrumentorum.

Ad haec praeterea statuenda ducebatur Decreto S. Congr. SS. Rituum diei C Maii 1826, et testimonio Cardellini in Indice 7° expresse dicentis: ***Crucis Reliquia retinenda separatim a Reliquiis Sanctorum.***

Cum autem animadverteret idem Praesul plures in sua dioecesi parvas circumferri thecas Romae habitas in quibus simul

includeretur Reliquia SSmae Crucis cum Sanctorum Reliquiis,, ideo congruum non iudicabat ut tales Reliquiae venerationi Fidelium exponerentur, nisi prius facta fuisset separatio Reliquiarum SSmae Crucis a Reliquiis Sanctorum : quare proponebat quod sequitur

« An praxis separandi Reliquias SSmae Crucis D. N. I. C. a » Reliquiis Sanctorum sit accurata et servanda. »

RESPONSIO. — S. Congregatio re cognita die 22 Februarii 1841 respondit: ***affirmative et ad mentem*** (1).

.&«9ifiotaf iones Consultoris.

Ex diversitate cultus Christo Domino et Sanctis tribuendi» totam quaestionis solutionem pendere animadvertebat Consultor. Crucem enim Dominicam ut plures docent Theologi, relativo latriae cultu colendam esse: Sanctos autem relativo Duliae cultu : Beatissimam Virginem Mariam suum specialem habere hyperduliae cultum, eumdemque relativum. Ab hac cultus diversitate inductum esse aiebat varietatem quoque coeremoniarum in ss. Reliquiarum veneratione. Sic ex. gr. in exponenda Crucis Dominicae particula publicae fidelium venerationi Liturgia exposcit, ut sub umbella ponatur, et quod thurificatio a caeteris Sanctorum Reliquiis sit diversa, et coram transeuntes genuflectant.

Iamvero si Crucis Reliquia in theca cum aliis Sanctorum Reliquiis composita reperiatur, eiusmodi reverentiae actus, qui specialem cultum designant SSmae Cruci debitum intuitu Agni Immaculati qui in eadem pependit, videri posse exhibitos caeteris Sanctis, qui tali veneratione non sunt colendi. Vel e contra, si exponatur alicuius Sancti, puta s. Petri Reliquia, quae simul sit o u m Dominica Cruce in theca reposita; dum solummodo venerationis actum exhibemus iuxta Duliae cultum, irreverentiam Cruci Dominicae irrogare, eamdemque negligere videremur quae excellentiorem cultum merito exposcit.

(1) S. Congregatio scilicet prospexit Romae in sacris Reliquiis tradendis observantiae Decretorum, quae forte quoad separationem negligerentur.

Nihil autem officere addebat Consultor, plures circumferri tbecas, in quibus cum Sanctorum Reliquiis Crux Dominica reperiatur. Eiusmodi enim thecas ob specialem favorem esse traditas ad privatorum dumtaxat pietatem fovendam.

Eiusmodi Consultoris animadversionibus ad rei plenitudinem Decretum adiicimus ss. Rituum Congregationis, quod Remus Cenomanensis Antistes allegaverat.

DECRETUM GENERALE. — « Pluries Emi Patres Sacrorum Rituum Congregationi praepositi ad sibi allatas quaestiones, liceret necne publicis in solemnibus supplicationibus, quae fiunt occasione celebritatis Sanctorum Patronorum principalium per Civitates et Loca, horum Reliquias, vel Spinam Sacratissimae Coronae Domini Nostri Iesu Christi aut Lignum vivificae Crucis sub Baldachino deferre? Responderunt, SSmae Eucharistiae dumtaxat Baldachini usum competere, ad tradita per Coeremoniale Episcoporum, Rituale romanum aliosque rituales Libros: ideoque , habita ratione disparitatis ritus et cultus , neque Instrumenta Dominicae Passionis, neque Sanctorum Reliquias sub Pallio seu Baldachino hastato deferri licere, huiusmodi delationem abusum declarantes, huncque improbandum , et eliminandum. Quia vero et Lignum SSmae Crucis, et Sacratissimae Spineae, Coronae Domini , prout alia quaedam Instrumenta Passionis Dominicae contactu immediato SSmi Corporis Domini Nostri Iesu Christi sanctificata fuere , eiusque pretiosissimo Sanguine conspersa, proindeque speciali honoranda cultu; insuperque ea fere universali ubique locorum et gentium invecta consuetudine, sub Baldachino deferri obtinuerint , ideo illarum circumductionem sub Baldachino tolerandam censuerunt : congruum quippe et rationi consonum videbatur, ea reverentiae argumenta esse exhibenda Domino, quae Sanctis nullatenus praestari debent.

» Sed quoniam, hisce non obstantibus sanctionibus, abuso, qui irrepserant, sensim alicubi invalescere persentiatur, et nonnulli existant, qui pia quadam fraude legem eludere in animum induxerint , superimponentes Reliquiis Sanctorum vivificae Crucis Reliquias, ut illas sub Baldachino huius praetextu deferant, prout ex repetitis ad Sanctitatem Suam , et Sacram Congregationem datis adversus huiusmodi abusus pie-

(Cibus : hinc ne debitus turbetur ordo , et in extrinsecis etiam honorificis , licet non essentialibus, significationibus , congrua xatio servetur, utque vigentes adhuc abusus opportune abscidantur, et eliminentur, quaeque praescripta sunt debitae exequutioni mandentur , re mature diligenterque perpensa in Ordinario Conventu habito die 6 Maii currentis Anni 1826. Emi Patres fuerunt in voto : Dandum esse Decretum generale, quo Iuxta alias resoluta caveatur , et per modum regulae ubique servandae praefiniatur , ne in posterum alicubi per quoscumque, quolibet sub praetextu solemnitatis, devotionis, pietatis, privilegii , indulti, concessionis , tolerantiae , consuetudinis licet immemorabilis^ quam abusum non ferendum declararunt, liceat unquam Sanctorum Reliquias processionaliter sub Baldachino circumferre: tolerari tamen posse , et permitti, quod Lignum SSmae Crucis aliaque Instrumenta Dominicae Passionis peculiari horum attenta veneratione , habitaque ratione fere universalis consuetudinis , deferantur sub Baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim, et disiunctim a Sanctorum Reliquiis , quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit ; et ad Secretarium cum SSmo (1).

Facta igitur de praemissis omnibus et singulis Sanctissimo Domino Nostro Leoni XII. Pont. Max. relatione per me infrascriptum eiusdem Congregationis Secretarium , Sanctitas Sua Sacrae Congregationis sensum adprobavit, confirmavit, iussitque promulgari, et in Acta Sacrorum Rituum Congregat, referri , Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut eliminandis abusibus, qui irrepserint, incumbant, et Decreti huius observantiam solertissime urgeant. Die 27 Maii 1826.

IULIUS M. Card. Episcopus Ostien. et Velitern. delia Somagiia S. Eccl. Yice-Cancellarius, et S. R. C. Praefectus etc.

Loco Sigilli.

I. Gr. FATATI S. R. C. SECR. COAD.

(i) t **Reliquias Sanctorum circumferendas non esse in Processionibus sub Baldachino decisum iam fuerat in Sacra Congregatione coacta die 23 Martii 1686 in Calaguritana, et nuperrime, in Novarien. 25 Septembris 1820. Ad eliminandum autem abusum, quem pluribus in Dioecesibus inolevisse delatum est, eadem Sac. Congregatio nedum opportunum , sed necessarium etiam duxit**

Ex HIS COLLIGES:

I. Inter sacras Reliquias dignitate principem obtinere locum SSmae Crucis lignum quo pependit aftìxus Immaculatus Agnus,

II. Quare specialissima veneratione intuitu tantae Victimae, **a** Fidelibus prae caeteris Sanctorum Reliquiis universali consuetudine cultum fuisse atque coli.

III. Huic venerationi provehendae, auctoritate Ecclesiae ac cedente, proprios peculiaresque ritus fuisse probatos.

IV. Congruum proinde nullatenus esse, ut sacrum lignum publicae venerationi exponatur cum Reliquiis Sanctorum in eadem capsa commixtum, et vicissim.

DE PRIVILEGIO MODERATORUM SODALITATUM FILIARUM MARIAE IN NUMISMAT1BUS BENEDICENDIS.

***Die* 26 *Martii* 1867.**

Parochus ad Basilicam s Agnetis extra Urbis moenia Moderator Sodalitatis Filiarum Mariae in Primariam nuper erectae in eadem Basilica, sub patrocinio B. M. Virginis Immaculatae, et inclytae V. et M. Agnetis, a SSmo D. N. declarari petiit: utrum a Moderatoribus Piarum huius nominis Unionum, quae dictae Primariae aggregatae sint benedici possint cum applicatione Plenariae Indulgentiae (iuxta literas in forma Brevium diei 16 Ianuarii et 16 Februarii 1866) quaecumque numismata B. V. Mariae, vel ea tantum de quibus, uti tessera Primariae? mentio lit in dictis Apostolicis Literis (1).

generalem legem edicere, quam Sanctissimus Dominus Noster adprobavit, confirmavitque, et insuper locorum Ordinariis stricte praecepit, ut in eiusdem observantiam sedulo incumbant » Haec adnotatio exposito Decreto adiecta reperitur in Gardelliniana collectione, ex qua Decretum ipsum excripsimus.

(L) Apostolicas Literas de quibus heie fit mentio adduximus in *pag.* 358 *et seqq.*

Eiusmodi preces ad SSmum relatae sequenti Rescripto fuerunt remissae.

RESCRIPTUM. « ***SSmus D N. Pius Papa IX. in Audientia habita ab Emo Card. Praefecto die*** 26 ***Martii*** 1867 ***proposito dubio rescribi mandavit, posse tantum benedici numismata, in quibus inscidpta sit imago B. Mariae Virginis et S. Agnetis prout in tessera Primariae Unionis, de qua agitur. Contrariis quibuscumque non obstantibus.***

» Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die 26 Martii 1867.))

A. Card. BIZZARRI Praef.

Loco ^ Signi

A. COLOMBO **Secretarius.**

U SACRA COKGISUTiONE ECCLESIASTICAE lllifUMTATIS

IMMUNITATIS.

***Die* 29 *Maii* 1838.**

Compendium facti. In urbe N. Pontificiae Ditionis duo homicidia in rixa patrata erant : incoepto regulari processu in Tribunali criminali eiusdem urbis inter coeteros praesumptos reos duo erant , qui fratrem Presbyterum habebant.

Contigit autem ut exarata acta incoepti processus non amplius invenirentur, subtracta enim secreto fuerant.

Inquisitione instituta ad reum huius subtractionis feperiendum , constitit , Officialem quendam eiusdem tribunalis , ea acta transmisisse dicto Presbytero. Hoc autem initio constabat ex iudiciali confessione eiusdem Officialis , qui fassus est, se acta processus illi Presbytero tradidisse, quod ab eodem rogatus esset, ut ex iisdem actis in cognitionem causae idem Presbyter deveniens supplices preces conscribere, ac admovere posset Supremo Principi favore suorum fratrum: in processus

autem traditione Presbyterum spopondisse se statim processum «sse redditurum ; hunc tamen non amplius reddidisse.

Post eiusmodi iudicialem confessionem Tribunal non omisit eiusmodi incidentalem quaestionem , sed inquisitionem est prosequutum ac testes adversus Presbyterum deponentes audivit, quibus expletis , cum super dolosa processus subractione iudicium esset ferendum, Defensor illius Officialis qui processum subtraxit, opposuit exceptionem fori declinatoriam, contendens, Tribunal illud criminale incompetens esse ad eiusmodi causam iudicandam , eo quia implicitus in ea erat Presbyter.

Cum autem Iudicum opiniones non convenirent in eo quod esset in hac quaestione agendum , rem detulerunt Supremo tribunalium Moderatori, qui ut iuris erat, huiusmodi incidentalem quaestionem iudicandam tradidit S. Congregationi ecclesiasticae Immunitati praepositae.

Ut res accurate definiri posset requisita est confecti processus transmissio , ex quo clare apparebat plures testes interrogans fuisse circa Presbyterum, quorum aliqui fassi erant ab eodem Presbytero se accepisse, eum igni acta processus studiose ab Officiali obtenta tradidisse.

EA QUAE EX OFFICIO ADNOTABANTUK. — Exposita facti enarratione breviter adnotabatur , praxim esse S. Congregationis, ut in iudiciis criminalibus , quibus implicitus sit vir ecclesiasticus, laicum Tribunal sese immiscere non possit , quin facultatem procedendi obtinuerit per S. Congregationem Immunitatis: eaque non obtenta causam ecclesiasticae Curiae transmittere debere , ut in ***Bottonieri.*** 23 Novembris 1833, item in ***Faventina*** 17 Iunii 1834, in qua Gubernator cum excepisset quandam querelam cui implicitus erat Presbyter, ad inquirendum processit, et se iure agere posse sibi suaserat ob emissam protestatione!!), se id animo inquirendi adversus ecclesiasticam personam nequaquam suscipere: attamen S. Congregationem iudicasse actum fuisse adversus ss. canones et vigentem disciplinam, et contractas fuisse censuras.

His animadversis , proposita sunt derimenda

Dubia.

I. « An laesa fuerit Immunitas ecclesiastica in confectione **a**> processus Tribunalis saecularis (N. N.) in casu.

» Et quatenus ***affirmative.***

II. » An acta quae laesionem sequuta sunt, sint nulla » in casu.

» Et quatenus ***affirmative.***

III. » An et quomodo sit providendum in casu. »

RESOLUTIO. — S. Congregatio Ecclesiasticae Immunitati praeposita, visis processus actis, causaque discussa die 29 Maii 183& respondere censuit.

Ad I. et H. ***affirmative.***

Ad III. ***consulendum SSmo pro sanatione actorum ad effectum emittendae sententiae adversus homicidii reos tantum: et causae decisionem super processus subraclione Curiae ecclesiasticae esse remittendam.***

EXINDE COLLIGES:

I. Laicum Tribunal omni iurisdictione destitutum esse ad inquisitionem instituendam quae ecclesiasticam personam respiciat.

II. Iuxta ss. canones, si laicum Tribunal huiusmodi inquisitionem instituat, processus acta utpote Immunitatem ecclesiasticam laedentia , nulla esse, et reliqua quae forte in uno» eodemque processu subsequuta sint , nullitatis censura infici.

III. Quare criminalem causam, in qua crimine implicitus vir ecclesiasticus adpareat, in Curia ecclesiastica esse ventilandam.

IX PRAXI SECRETARIAE Eli IN URBE VICARII.

CIRCA CLERICOS ALIARUM DIOECESIUM IN URBE COMMORANTES ET AD ORDINES PROMOVENDOS.

Quaedam specialis praxis in Vicariatus Secretaria Romae- viget ex RR. Pontificum Decretis originem ducens, ob quam Clerici qui quasi-domicilium Romae contrahunt (quod ad hunc effectum per quatuor mensium moram contractum intelligitur),- ut quamvis suorum Ordinariorum amplissimas obtineant dimissoriales Literas ad Ordines suscipiendos ; tamen promoveri ab aliis Episcopis non possint nisi praevio in Urbe examine et obtenta ab Emo Urbis Vicario licentia. Negligere nimirum et declinare haud possunt Romae examen, et Ordines quos dum hic morantur suscipere cupiunt; si secus se gerant, in suspensionem suscepti Ordinis ipso facto incurrunt a qua relaxari non possunt nisi a Romano Pontifice.

Clericis itaque, qui quidem permulti sunt, (ex longinquis etiam regionibus alacri animo demigrantes) Romam omnium catholicorum Urbem venientibus, rem gratam facere existimavimus , si eiusmodi praxim non admodum notam heic exponeremus : idque facimus ipsis verbis, quibus Romualdus Ilonorante in suo opere ***Praxis Secretariae Tribunalis Urbis Vicarii*** exponit, nonnullis adiectis animadversionibus. Sic autem in ***cap.*** 16 hic Auctor loquitur:

« Clerici ultra quatuor menses in Urbe commorantes, extra eamdem Urbem ad Ordines promoveri minime possunt, etiam vigore dimissorialium suorum Ordinariorum , vel cuiusvis alterius facultatis, nisi praevio examine ab Examinatoribus Urbis fuerint adprobati, et licentiam ab Emo Vicario in scriptis obtinuerint; alias suspensioni Papae reservatae eo ipso sunt obno-

xii ex Edictis Summorum Pontificum Clementis VIII. et Alexandri VII. ***sub diebus*** 24 ***Novembris*** 1603 ***et*** 15 ***Maii*** 1664 (1).

«Quinam vero dicantur Clerici in Urbe degentes, quasque conditiones servare debeant tum quoad examen circa scientiam , tum quoad Beneficium etc. satis declaratum fuit sequenti Decreto Congregationis particularis deputatae ab eodem Alexandro VII. anno 1668 registrato in libro ***Bandirnentorum ab anno*** 1662 ***usque ad an.*** 1673 ***fol.*** 221 in Secretaria Tribunalis. »

Dubia, et declarationes circa Ordinandos extra Urbem.

In Congregatione particulari de mandato Sanctissimi habita coram Eminentissimo D. Cardinali Vicario, super Edictis, ne Clerici in Urbe degentes, extra Urbem se promoveri faciant, nisi in Urbe examinati, et approbati, Ab Illuslrissimis , et RR. DD. D. Archiepiscopo de Angelis Vicesgerens, D. Archiepiscopo de-Vecchis. D. de Rubeis, et ab admodum RR. PP. De Comitibus Societatis Iesu, De Lauria Ord. Min. Conventualium, fuerunt disputata infrascripta dubia, et resoluta, ut infra.

I. «Qui dicantur Clerici in Urbe commorantes ad hoc, ut » in praefato Edicto comprehendantur?

Resp. ***Qui habitant in Urbe, et in ea saltem per quatuor Menses moras iraxerint.***

(i) Eiusmodi Edicta quae tantum indicat heic Honorante inquisivimus et reperivimus in Archivio Secretariae Vicariatus Urbis in Libro ***Bandirnentorum an.*** **1662** ***usque ad*** **1673** ***pag.*** **221** ***a tergo.*** **Iisdem verbis haec duo Edicta sunt expressa , ita ut alterum non aliud sit nisi reno\atio prioris. Primum autem Edictum Clementis VIII. sequentis est tenoris.**

« Universis et singulis Clericis nunc et in futurum pro tempore in Urbe commorantibus, et ad Minores vel Sacros etiam Presbyteratus Ordines promoveri volentibus de mandato SSfni D. N. Clementis Papae VIII. vivae vocis •oraculo desuper facto edicimus et praecipimus , ne de caetero extra eamdem Urbem eliam vigore Literarum dimis•sorialium suorum Ordinariorum, et cuiusvis alterius facultatis ad dictos Ordines promovere, se faciant , nisi praevio examine ab Examinatoribus in Urbe deputatis idonei reperti et ad probati fuerint, et a nobis licentiam in scriptis obtinuerinUqui secus fecerint, ab Ordinum exsecutione eo ipso suspensi sint, nisi a Sanctissimo D. N. Papa et S. Sede Apostolica absolutionis et /labilità tionis gratiam obtinuerint, decernentes praesentium executionem , in locis solitis dimissis illarum copiis etiam impressis, ita quemlibet afficere, perinde ac si personaliter unicuique intimatae fuissent vel ostensae. In quorum fidem etc.

» Datum Romae die **24** ***Mensis*** **iVo«** ***vembris*** **1003. »**

Bi.ui.iNGimus Epis. Viceg.

IT. «An Clerici in Urbe commorantes, accedentes ad pro-
* prium Ordinarium, et ab eo suscipientes Ordines, absque eo » quod examinati fuerint in Urbe, afficiantur edicto supradicto?

Resp. ***Non afficiuntur edicto, si ab ipsomet Ordinario suscipiant Ordines; secus si ab alio ordinentur, etiam vigore dimissorialium proprii Ordinarii.***

III. « An Clerici in Urbe commorantes, et ab Examinatoribus » Urbis reiecti, recipientes Ordines a proprio Ordinario, incidant » in poenas Edicti?

Resp. ***Clerici ab Examinatoribus Eminentissimi Domini Cardinalis Vicarii reprobali incidunt in poenas Edicti, etiamsi a proprio Ordinario approbati, ab eodem suscipiant Ordines.***

IV. « An Clerici in Urbe commorantes possint ordinari etiam » ab Episcopis Domicilii, Beneficii, et ab eo, cui triennale ser- » vitium personaliter praestiterunt, ad formam Sac. Conc. Trid. » sess. 23 cap. 9 Reform, absque eo quod prius examinati, et -» approbati fuerint ab Examinatoribus Urbis, iuxta supradictum » Edictum ?

/ Resp. ***Clerici in urbe commorantes, bene recipiunt Ordines ab Episcopis Domicilii, Beneficii, et Triennalis Servitii praestiti, dummodo ab ipsismet Episcopis ordinentur ad formam Sac. Con. Trid.***

» Hodie tamen stante dispositione Conc. Rom. ***Tit.*** G ***de aetate, et qualitate Praeficiendorum cap.*** iv. qui extra Urbem promoveri volunt titulo Beneficii subire tenentur examen coram Examinatoribus Urbis, si ad hanc sint reversuri (1).

(1) Haec quae heic Honorante animaclvertit certa sunt cum de iis agitur «qui domicilium Romae habeant, od normam Constitutionis Innocentii XII., quae incipit *Speculatores ;* non autem tradi eadem saltem certitudine possunt , de iis, qui tantum Romae morantur, quique domicilium habent in alia Italiae dioecesi. Sequens enim est tenor *cap. 4 tituli* 6 Concilii romani :

« Quicumque autem domicilium in una Dioecesi habentes, in alia beneddum ecclesiasticum obtinuerint , et ad illius titulum ab Episcopo, in cuius Dioecesi est beneficium, promoveri petierint, praeter literas testimoniales super eorum natalibus, aetate, vita, et moribus, iuxta Constitutionem fel. rec. Innocentii Papae XII. quae incipit *Speculatores,* impetrandas, examen quoque coram Domicilii Episcopo , si in eius Dioecesim sint reversuri, super scientia, et idoneitate, ut dictum est, subire teneantur; neque testimoniales literas ullateuus concedi volumus, nisi, praevio antedicto examine, habiles ad Ordinem approbari meruerint. Beneficium autem ad congruam vitae sustentationem ita erit, ut absolute, iuxta taxam, moremve propriae Dioecesis , ad quam Ordinandus sit rediturus , sufficiens esse iudicetur. »

V. <r An Beneficium ad effectus praedictos esse debeat tale, » ut ex eo Clericus sustentari possit, vel sufficiat etiam Bene- » licium tenue, dummodo tenuitas Beneficii suppleatur per con- » stitutionem Patrimonii.

Resp. ***Sufficit etiam Beneficium tenue, dummodo Clericus ad Titulum sufficientis Patrimonii ordinetur.***

» Sed huic postremi dubii resolutioni pariter manifeste obstat Constitutio Innocentiana, cuius vigore Beneficium debet esse sufficiens, ac etiam decretum Sacrae Congreg. Conc. ***sub die*** 9 ***Iulii*** 1701 ***in Alatrina,*** quod decretum retulimus per extensum in antecedenti Cap. XV. **(1).**

(i) Haec non recte animadversa ab Honorante videntur ; licet enim in Constitutione Innocentii XII. *Speculatores...* legatur: *«Sublata quacumque facultate supplendi quod deficiet fructibus eiusdem Beneficii cum adiectione Patrimonii etiam pinguis:* » haec tamen referuntur ad Ordinandum , qui velit ordinari titulo Beneficii quod habet in alia dioecesi. Praeterea nec animadvertit idem Auctor, ignotam esse eiusmodi Constitutionem non potuisse Congregationi illi particulari, quae dubiis apprime uti assolet discussis, Resolutionem edidit, quae insuper confirmata fuit ab Alexandro VII. et deinde a Benedicto XIV. ut infra apparebit; nec ad rem praesentem facit Resolutio S. C. C. in *Alatrina,* cuius sequelis est facti species, prout ab ipsomet Honorante refertur:

ALATRINA, « Damianus Antonius Benedictinus Clericus Romanus, possidens in Dioecesi Alatrina Beneficium Ecclesiasticum , instituit penes Episcopum , ut eum ad Sacros Ordines promoveret ad titulum dicti Beneficii, sed reiectus fuit sub praetextu , quod licet redditus dicti Beneficii sint sufficientes iuxta morem Regionis, et Synodalem taxam Alatrii, nihilominus Orator promoveri non possit, nisi cum sufficienti congrua, iuxta morem Romanum, cum ipse natus , educatus , et usque adhucsit semper commoratus in Urbe.

» Unde dictus Damianus innixus clarae dispositioni Constitutionis sanctae mem. Innocentii XII. §. 5 supplicat declarari.

» An congrua sufficiens in praesenti » casu sit constituenda iuxta morem- » Regionis loci originis, seu potius iuxta » morem loci , in quo Beneficium est » fundatum. »

» Die 9 Iulii 1701. Sacra Congregatio Concilii etc. audita relatione Episcopi etc. instantiam reiecit, et censuit. *Patrimonium constituendum esse iuxta stylum Romanum.*

» Quod etiam eadem Sacra Congregatio Concilii declaravit in alia *Ariminen.* 19 *Januarii* 1705 et confirmavit recens Concilium Romanum *Tit.* 6 *de aetate, et qualitate Praeficiendorum cap.* 4. »

Haec ex Honorante: caeterum si de praesenti quaestione modo ageretur non essent praetereunda ea quae docet Benedictus XIV. in *Synod, dioec. I.* 12 *n.* 9; ibi enim scripsit : « Ad titulum enim Beneficii quod speciatim attinet, Innocentius XII. in celebri Constitutione *Speculatores,* sancivit, neminem posse ad titulum Beneficii in aliena dioecesi obtenti, ab istius Episcopo Ordinibus

VI. « An sub illis verbis Edicti ***vel cuiusvis alterius facultatis*** «comprehendantur Clerici in Urbe commorantes, qui vigore * Brevium Apostol. extra tempora nuncupat, extra Urbem pro- **ti** moventur?

Resp. ***In edicto praefato comprehenduntur etiam Clerici, qut vigore Brevium extra tempora nuncupatorum extra Urbem promoventur.***

» Et facta relatione Sanctissimo de praedictis dubiis, eorumque resolutionibus; Sanctissimus praedictas resolutiones benigne «approbavit, easdemque in posterum ab omnibus servari mandavit.

F. de Angelis Archiep. Urbinaten. Viscesgerens.

» At quia, praememoratis Edictis, ac declarationibus non obstantibus, nonnulli Clerici ad declinandas providas ordinationes a san: mem: Benedicto XIV. praescriptas in edicto ***sub die*** 2 ***Decembris*** 1740. . . . . . . .post moram quatuor mensium in Urbe habitam, non praemisso in eadem Urbe examine, neque obtenta ab Eminentissimo Vicario licentia, extra eamdem Urbem, Ordines suscipere non sunt veriti; idem Benedictus XIV. eadem Edicta, ac respective declarationes confirmavit, et innovavit alio Edicto , quod in principio huius libri per extensum retulimus (1).

initiari, nisi Beneficium tot ei annuos 'redditus subministret, qui detractis oneribus, ad congruam eiusdem sustentaSionem sufficiant. Excitata deinde controversia an sufficientia esset praefinienda *ad* normam taxae synodalis vigentis in •dioecesi domicilii, an potius in eadem dioecesi, ubi situm est Beneficium, Sacra Congr., ut eam dirimerei, hanc adhibuit distinctionem : aut Beneficium continuam exposcit et perpetuam residentiam ; aut eiusmodi obligationis viaculo BeneGciarium non obstringit: si secundum , sufficientia erit desumenda a taxa synodali, praefinita in loco , ubi Beneficiarius domicilium habet : si pri•mum a taxa praescripta in dioecesi, in qua Beneficium possidet. » Haec Bene•dictus XIV. eruit ex pluribus Respon%& S. C. C.

(i) Paullo severior fuit conGrmatio dictorum Decretorum facta a Benedicto XIV., per edictum quod sequentis est tenoris:

«-Cum inter Clericos alienigenas in hac Alma Urbe degentes, abusus irrepserit, ut ad declinandas providas Ordinationes a SS. D. N. Benedicto XIV. pro Promovendis in Urbe, nuperrime praescriptas, posthabitis sanctionibus san. mem. Clementis VIII. et Alexan. dri VII. sub diebus* 21 *Novemb.* 1603 *et* 15 *Maii* 1664 *una cum declarationibus particularis Congregationis de an.* 1668 *desuper respective editis , nullo praemisso examine coram Examinatoribus in Urbe deputatis, nullaque a Nobis reportata licentia ad Minores, et Sacros etiam Presbyteratus Ordines, sub obtentu dimissorialium suorum Ordina-

» Qui igitur contra formam praelaudata Edicti, extra Romanam Curiam ad Ordines promoventur, perpetuam suspensionem Apostolicae Sedi reservatam, ipso facto incurrunt, et si in susceptis Ordinibus ministrare praesumant, etiam irregularitatem contrahunt. Absolutio autem ab huiusmodi suspensione, et respective dispensatio ab Irregularitate, antiquitus per litteras Apostolicas in forma Brevis concedebatur, ut ex libris Decretorum Secretariae Tribunalis apparet; at non paucis ab hinc annis ad Sacram Congregationem Concilii recursus habatur, a qua,, audita prius informatione Emi Vicarii, eidem absolutio, et dispensatio committitur. Recurri etiam solet ad Summum Pontificem, qui pariter huiusmodi Censurae absolutionem, et irregularitatis dispensationem arbitrio eiusdem Vicarii remittit, a quo de stylo non absolvuntur recurrentes, nisi praevio eorum examine (1) coram Examinatoribus Urbis idonei reperti,et approbati fuerint, ac Exercitiis spiritualibus in domo Missionis per decem dies continuos vacaverint.

riorum, extra Romanam Cvriampromoveri inhiantes, propriam conscientiam censuris et poenis, per memorata decreta latis, illaqueare non vereantur : hinc ad occurrendum fraudibus eiusmodi de mandato Sanctitatis Suae, vivae vocis oraculo nobis facto, praefata decreta, atque declarationes innovantes; universis, et singulis Clericis, qui in hac Alma Urbe, ultra quatuor menses, quacumque ex causa , nunc et in futurum pro tempore commorati fuerint, districte praecipimus , et mandamus, ne de coetero extra eamdem Urbem, etiam vigore litterarum dimissorialium suorum Ordinariorum , vel cuiusvis alterius facultatis, ad dictos Ordines ascendere praesumant, nisi praevie ab Examinatoribus praefatis, idonei reperti et approbati, licentiam in seri ptis a nobis obtinuerint. Quod si secm fiat, nedum Episcopi promoventes ab usu Pontificalium ad annum se noverint interdictos , sed et sic promoti ab Ordinum executione eo ipso suspensi sint, et existant, donec a S. Sede Apostolica absolutionis, et habilitcttionis gratiam impetraverint. Licet, autem per praemissa non interdicitur Clericis», ab Urbe ad proprium Ordinarium remeantibus, ab ipsomet Ordines suscipere ; qui tamen a praedictis Examinatoribus Urbis semel fuerint reprobati, se sub eadem lege comprehensos etiam relate ad proprium Ordinarium noverint, et intelligant. Et ne praemissorum ignorantiam quomodolibet allegare queant, volumus, ut praesentes in consuetis locis affixae, ita quemlibet afficiant, ac si personaliter unicuique intimatae fuissent, vel ostensae. Datum Romae ex aedibus nostris /me- die 20 *Martii* 1743.

F. G. A. Card. Vic.

G. Archipr. Ori Secret.

(t) Hodie hoc non amplius servatur* et raro contingit id quod de Exercitiis spiritualibus hic traditur.

» Advertendum tamen est, quod si quis postquam in eadem Urbe ultra quatuor menses commoratus fuerit, negotiis seu studiis absolutis, patriam repetit, non ad finem praecise suscipiendi Ordines, sed animo inibi perpetuo permanendi, poterit in eo casu, proprio Ordinario impedito, vel Ordinationes non habente, cum litteris Dimissorialibus eiusdem, a quocumque alio Catholico Antistite, gratiam, et communionem S. Sedis Apostolicae habente, et in sua propria Dioecesi residente, vel in aliena de Ordinarii loci consensu, non praemisso in Urbe supradicto examine, neque obtenta a Vicario Urbis licentia, extra Romanam Curiam licite promoveri, quin poenas in praememorato Edicto* inflictas tam ipse, quam Episcopus ordinans incurrant; et ratio est: quia in eo casu, neque fraus, neque dolus ullo modo interveniunt. Praeterquamquod esset lex nimis dura, et gravosa, et multo magis respectu ultramontanorum, si post moram per dictum tempus in Urbe habitam, quocumque futuro tempore (proprio Ordinario legitime impedito, vel ordinationes per seipsum agere non valente, uti sunt omnes Abbates, et Priores etc. qui licet concedere possint litteras Dimissoriales ad Ordines, ipsos tamen Ordines saltem sacros conferre non valent, sed ad Episcopos viciniores, vel etiam ad alios, iuxta Apostolica Privilegia, proprios subditos dirigere tenentur) ad Urbem accedere pro Ordinibus suscipiendis, 'vel saltem pro examine subeundo, omnino obligarentur : neque existimandi sunt Summi Pontifices, ad hoc huiusmodi Promovendos, (nullo dolo, et fraude interveniente) cum tanto eorum incommodo, ac dispendio obligare voluisse **(1).**

(l) Sed haec ad abundantiam idem Auctor scripsit : non enim legis sententia est coercere Ordinariorum potestatem in suos subditos, qui io propria dioecesi sacros Ordines suscipere malint ; sed haec lata est lex ad reprimendos abusus , qui facile oriuntur ex nimia Ordinandorum vacandi libertate, et maxime ex spretu, qui inde oriri videretur, si obtentis litteris dimissorialibus a proprio Ordinario , post aliquod domicilium Romae contractum, spreta Urbe principe catholici Orbis , declinato Vicario Episcopi Episcoporum, neglectisque praestitutis sacrae Ordinationi legibus specialiter Romae servandis , alium extraneum quaererent Episcopum, a quo etiam facilius Sacram Ordinationem obtineaut.

Haec autem dici non possunt de iis qui ad proprium Ordinarium revertuntur: neque dici possunt fraude agere, qui ideo revertuntur ut forte examen Roniae declinarent: nam fraude agere dic ille non potest, qui ad declinandum aliquem legis effectum iure suo utitur; ius autem quisque habet suam petendi dioecesim , recipiendi que Ordines a suo Or-

» Advertendum insuper est, sub hac lege non comprehendi Regulares, neque laicos, cum de his nulla in edictis mentio fiat. Unde, qui jsrima Tonsura insigniti non sunt, etiamsi in Urbe filtra quatuor menses, et per quodcumque aliud tempus permanserint, supradicta lege non afficiuntur.

Ex **HIS COLLIGES:**

I. Qui Romam advenientes atque per quatuor menses hic morantes, si, literis dimissorialibus quamvis amplissimis a proprio Ordinario obtentis, ad Ordines promoveri cupiant, eos declinare non posse examen Romae subeundum, neque sacram, <juae hic peragitur, Ordinationem, sine licentia in scriptis obtinenda ab Emo Urbis Vicario.

Ii. Eum, qui vi earumdem literarum dimissorialium, ad proprium Ordinarium non revertens, alium extra Urbem quaerat dioecesanum Episcopum, ab eoque Ordines suscipiat, eo ipso ab Ordinum exsecutione esse et manere suspensum, donec a S. Sede censura non relaxetur.

III. Quin imo etiam eum in suspensionem incidere qui in «examine Romae exhibito reprobatus, nulla dein obtenta venia, nulloque examine Romae renovato, in suam dioecesim revertens ibi Ordinibus initietur.

•dinario, aut ab eo a quo ex facultate Ordinarii recipere eosdem potest, cum non amplius loco illi sit specialiter subiectus , unde impedimentum oriebatur. Quaedam vero haberetur fraus seu potius apertus auctoritatis spretus si aliquis in «xumine Romae reprobatus ad suum Ordinarium inde revertens, adprobaretur, et ordinaretur. Caeterum difficile contingit ut qui sufficienti scientia ad Ordines suscipiendos praerequisita sint instructi, in examine Romae reprobentur: magna enim est Examinatorum discretio et humanitas.

EX ACTIS COlISTORIAilBCS,

PROMOTIONES CONSISTORIALES.

Prosequitur expositio earum ecclesiarum vacantium quibus praefecti sunt Episcopi in sacro Consistorio die 22 Februarii 1867, ««t in altero die 27 Martii eiusdem anni habito. Sequentes autem «ecclesias SSmus proposuit:

ECCLESIAM METROPOLITANAM TAURINEN, vacantem per obitum bon. mem. Archiepiscopi Fransoni, ad eam translatus est R. P. D. Alexander Riccardi a Netro hactenus Savonensis ac JNaulensis Episcopus.

Taurinum, vel Augusta Taurinorum «celeberrima Pedemonti! urbs paullo a Pado distans in fertili planitie ac irrigua, -ubi Durium in Padum cadit sita, sex fere passuum millium ambitum habet, plus •quam triginta domorum millia continet, atque a centum quinquaginta incolarum «millibus habitatur.

Metropolitanae ecclesiae antiquae et 'optimae structurae s. Ioannis Baptistae titulo, undecim suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum sex recenset dignitates , quarum post pontificalem prima Praepositura est, duodecim cum utraque praebenda, theologali nempe et poenitentiaria , canonicos, nonnullos Beneficiatos-Cappellanos , aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum residet animarum .cura et a Vicario curato perpetuo in •metropolitano templo exercetur, ubi tons adest baptismalis etc. et inter sacras Reliquias sacratissima Sindon . et corpus s. Martiniani religiosissime asservantur.

Archiepiscopale palatium parum ab ecclesia distat et plures reparationes exposcit.

Praeter Metropolitanam tresdecim recensentur Taurini paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae, quaedam pro viris et duo pro mulieribus monasteria, plures laicorum sodalitates, nonnulla nosocomia , mons pietatis atque seminarium.

Archidioeceseos ambitus satis late patet, pluraque sub se complectitur loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM AUGDSTAN. provinciae Pedemontanae vacantem per obitum bo. mem. Episcopi Andreae Iourdain, ad quam promotus est R. D. Iacobus Iosephus Ians Presbyter Augustanae dioeceseos qui in sacra theologia et utroque iure laurea donatus in ecclesiastica obeunda officia maxime incubuit , Vicarius Generalis adlectus in eadem Cathedrali Praepositi dignitate honestatus, eaque sede vacante Vicarii Capitularis munere perfunctus est.

Augusta Praetoria urbs Pedemontana et Italiae limes montuoso fertilique in loco aedificata, trium circiter milliariorum habet ambitum, ultra mille continet domos et a quinque fere incolarum millibus inhabitatur.

Cathedralis Assumptionis B. M. V. titulo Taurinensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates quarum prima Prepositura est, novem cum utraque praebenda Canonicos, nonnullos Cappellanos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum residet animarum cura, quam unus ex Canonicis a Capitulo electus et ab Episcopo adprobatus in Cathedrali exercet, in qua extat fons baptismalis etc. et inter sacras Reliquias nominatim corpora ss. Grati et lucundi eius civitatis Antistitum et Patronorum , nec non mentum s. Ioannis Baptistae religiose adservantur-, coemeterium extra urbem habet.

Episcopale palatium proximum extat Cathedrali.

Praeter Cathedralem duae aliae sunt Augustae paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae; unum pro viris monasterium; orphanotrophium, plures laicorum sodalitates , nosocomium et seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus satis late patet, ac plures sub se complectitur paroecias.

ECCLESIAM METROPOLITANAM MESSANEN, vacantem per obitum ei. mem. Francisci de Paula S. R. E. Presbyteri Card. ad quam translatus est R. P. D. Aloisius Natoli hactenus Calatayeronensis Antistes.

Messana ampla et pervetusta Siciliae urbs in valle Demona ad ortum insulae cum portu aedificata , ob montes quibus premitur figuram praefert oblongam; in suo duorum fere passuum millium ambitu ultra mille continet domos, et una cum peramplis suburbiis septuagies quinquies mille complectitur [incolas.

Metropolitana ecclesia B. V. Mariae a sacra Litera nucupatae titulo gloriatur; eidemque tres suffragantur Episcopi.

Eius capitulum tres recenset dignitates , quarum prima Decanatus, quindecim cum Poenitentiario tantum Canonicos, tresdecim Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Animarum cura non exercetur in eametropolitana ecclesia , in qua tamen* adest fons baptismalis ad omnium beneplacitum ; plures ibi asservantur Sanctorum Reliquiae, quas inter ss. Caecilia ac Vietorii.

Palatium Archiepiscopi parum a metropolitana distat.

Tresdecim habentur Messanae paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae,, earumque duae sunt etiam Collegiatae;, octodecim virorum ac septemdecim mulierum monasteria; septem laicorum sodalitates , nosocomium, mons pietatis , atque seminarium.

Archidioeceseos ainoitus latissime pdtet ac plurima sub se coutinet loca.

ECCLESIAM CATHEBUALUM BAIOCEN. vacantem per obitum bon. mem. Episcopi Caroli Didiot, ad quam evectus est R. D. Flavianus Hugonin ex benignitate SSmi ad nominationem Serenissimi Gallorum Imperatoris. Idem promotus Presbyter dioecesis Gratianopolitanae in ecclesiasticis obeundis officiis praesertim Dei Verbum praedicando fideliumque sacramentales confèssiqìiès- excipiendo, sese laudabiliter exercuit t in Parisiensi universitate sacram theologiam per aliquot annos tradens ea in urbe praefuit tum Cappellanis s. Ge> novefae, tum scholae a studiis sublimioribus nuncupatae.

Baiocae , vel Baiocum urbs Normanniae, hodie vulgo *Calvados* dicta, ultra decem continet incolarum millia sub temporali gallico dominio.

Cathedralis ecclesia gotltieae structurae B. V.:Mariae titulo gloriatur, et Rothomagensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem cum theologo et poenitentiario recenset Canonicos titulares , quorum unus Magnus:Cantor nuncupatur; plures bonorarios, aliosquai Presbyteros, quibus othni alumni-de*»

rialis seminarii solemnioribus diebus in divinum servitium adiunguntur.

Per Canonicum-Archipresbyterum animarum cura in Cathedrali exercetur ubi fons adest baptismalis etc. inter Sanctorum Reliquias nominatim quorumdam Baiocensium Episcoporum , et corpus s. Eutichii Martyris in romanis cryptis repertum religiose adservantur: coemeterium habet extra urbem.

Cathedrali proximum extat episcopale palatium

Praeter Cathedralem duae aliae intra Baiocensem urbem , ac totidem extra eam recensentur paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae: tres mulierum communitates, sorores pro puellis instituendis infirmisque curandis. Fratres a doctrina christiana pro pueris educandis: aliquot laicorum sodalitia, nosocomium: magnum seminarili))) in ufbe, et alia tria in dioecesi : mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur provinciam *Calvados* et fere quingenta incolarum millia.

ECCLESIAM CATHEDRALEM EJTSTETTi-N. vacantem per obitum bon. mem. Episcopi Georgii de Oèttl, ad quam promotus est R. D. Franciscus Baro de Leonrod ex benignitate SSmi ad nominationem Serenissimi Bavariae Regis. Idem promotus Presbyter Archidioeceseos Bambergensis in ecclesiasticis obeundis officiis, solertem impendit .operam : cooperator adlectus in paroecia Eutenhósen, ac successive in Cathedrali Eystettensi, ibique dein Vicarius chori; simulque Concionator ordinarius renunciatus , Parochi munere ad s. Zeoonis in archidioecesi Monacensi ad praesens usque perfunctus est.

Eystadium , sive Eychstadium urbs districtus Franconiae mediae in Bavariae regno, angusta m valle prope fluvium Altmonium sita ultra mille continet domos, et a quingentis supra septem milli, bus incolarum wihabittfturi

Cathedralis ecclesia gothicae structurae B. V Mariae in coelum assumptae titulo , Bambergensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas habet dignitates, quarum prima est Praepositum, octo cum Theologo et Poenitentiario Canonicos , sex Vicarios aliosque Presbyteros- et Clericos divinis inservientes.

Per Capituli Vicarium animarum cura in Cathedrali exercetur, ubi adest fons baptismalis etc. ac corpus fere integrum s. Willibaldi religiose adservatur; extra urbem habet coemeterium.

Haud procul a Cathedrali distat episcopale palatium.

Altera praeterea habetur Eycstadii paroecialis ecclesia ad s. Walburgae fonte baptismali muuita : unum pro viris, ac alterum pro mulieribus monasterium: plura, laicorum sodalitia: pauperum hospitium cum paroecia sine baptisterio , nosocomium , atque seminarium ; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet , ducentas et ultra continet paroecias catholicas , et centum quinquaginta octo animarum millia.

ECCLESIAM CATHEDRALEM ALBA-REGALEN. vacantem per obitum bon, mem* Episcopi Emerici Farkas, ad quam promotus est R. I). Vincentius fekelfalusy ex benignitate SSmi ad nominationem Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Idem promotus Presbyter Archidioecesis Agriensis, Doctor in philosophicis facultatibus tres successive rexit paroecias in Strigoniensi Archidioecesi : in eo Metropolitano Capitulo Canonicus olim adlectus, antea vero inter Canonicos Collegiatae ecclesiae Posoniensis ad s. Martinum cooptatus, inibi Praepositus ad praesens usque renunciatus est: ad consilium regium *locumtenentiale* \\w\\-garicum plures per annos Consiliarii munere perfunctus est, et in eccleshisti»

cis obeundis functionibus navavit operam.

Alba-Regia, vel Alba-Regalis antiquissima regia urbs Hungariae, in eiusdem nominis Comitatu, olim sedes et xmausoleum Regum Hungariae, amoena in planitie sita, satis ampli est circuitus oiltra mille et septingentas continet domos, eamque sexies decies mille incolunt cives catholicam religionem profitentes sub temporali dominio dicti Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis ecclesia elegantis structurae sub invocatione est s. Stephani Regis, et Strigoniensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum octo recenset cum utraque praebenda Canonicos, quos inter quatuor dignitates, quarum post pontificalem prima est Praepositura Maior, sex insuper Canonicos bonorarios, pluresque alios Presbyteros et Clericos rei Divinae operam navantes.

Parochus, non de gremio Capituli, animarum curam exercet in eadem Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. ac inter Sanctorum Reliquias nominatim recensetur cranium s. Stephani Regis religiosissime adservatum: duplex insuper habet coemeterium.

Haud multum a Cathedrali distat episcopale palatium in media urbe situm.

Altera praeterea reperitur Albae-Regiae paroecialis ecclesia baptismali fonte munita: duplex pro viris et unum pro mulieribus monasterium: bina nosocomii, seminarium: mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus protenditur per Comitatum Alba-Regalensem, et unam partem Pest-Pilisensis, com plectiturque sub se nonaginta duas paroecias, ac sex supra triginta filiales.

ECCLESIAM METROPOLITANAM STRIGONIEN, vacantem per obitum *ei.* mem. Ioannis presbyteri Card. Scitovszky extra romanam Curiam Defuncti, SSmus proposuit ; cui suffectus est R. P. D. Ioannes Simon ex Iaurinensi ecclesia translatus ad nominationem sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris , Bohemiae, et Hungariae Regis Apostolici.

Strigonium Hungariae urbs in Cogitatu eiusdem nominis prope montem ad dexteram ripam Danubii sita , millenas circiter contiuet domos , ac duodecim pene millia habitantium enumerat romano-cafholicorum praefato serenissimo Imperatori ac Regi in temporalibus obtemperandum.

Metropolitana ecclesia, quae et Basilica , in colle posita B. V. Mariae in coelum assumptae, ac s. Adalberti Ep. et Mar. titulo gloriatur, amplam , eximiam ac recentem praefert structuram Decem eidem suffragantur Episcopi.

Eius capitulum septem enumerat dignitates, quarum prima post pontificalem est Maior Praepositura, quindecim Canonicos cum utraque praebenda^liosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per alterum ex Capitularibus animarum cura exercetur in Metropolitana, ubi extat fons baptismalis, sacrarium supellectili sacra abunde munitum, plures insignes Sanctorum reliquiae religiosissime adservatae, ac insuper chorus, organum, etc. et extra urbem coemeterium.

Duae insunt Strigonii domus pro Archiepiscopo non procul ab Metropolitana aptae atque commodae.

Praeter metropolitanam tres aliae sunt Strigonii paroeciales ecclesiae fonte baptismali munitae; duo virorum, et unum mulierum monasteria , aliquot nosocomia ; loco montis pietatis amplae fundationes pro egenis, orphanis , et ad fidem catholicam conversis, sub administratione Capituli metropolitani; atque seminarium.

Archidioeceseos ambitus per novem diffunditur Comitatus, ac pene nongenta decem coniDlectitur catholicorum millia.

ECCLESIAM CATHEDRALEM SZATHMARIEN. **vacantem per obitum bon. mem. Episcopi Michaelis Haas ad quam promotus est R. D. Ladislaus Biro de Kezdi-Polany ex benignitate SSmi ad nominationem S. C. M. Francisci Iosephi Primi Austriae Imp., Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici. Idem promotus Presbyter dioeceseos Szathmariensis, in philosophica ac theologica facultate Doctor, in ecclesiasticis obeundis functionibus operam navavit: studii biblici Cathedraticus et seminarii dioecesani Rector, inter Collegiatos Doctores regiae scientiarium universitatis Hungaricae cooptatus est: Sedis Consistorialis Szathmariensis Assessoris, instituti sororum s. Vincentii Superioris , Consiliarii aulici et ad regiam Hungarico-Aulicam Referendarii perfunctus muneribus, dioecesanae Cathedralis Cantor et Canonicus hucusque renunciatus, tum Protonotarii Apostolici honore condecoratus est.**

Zatmarium, vel Szathmar-Nèmethi urbs regni Hungariae, in Comitatu eiusdem nominis ad Samusium fluvium aedificata in ampla fertilique planitie, ultra quatuordecim incolarum millia continet , quorum quatuor circiter millia catholicam religionem profitentur sub temporali dominio dicti Serenissimi Imperatoris et Regis.

Cathedralis ecclesia pulchra et satis ampla sub titulo D. N. I. Christi ad Caelum ascendentes, byzantinam praefert structuram, ot Agriensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum sex enumerat cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos, quos inter quatuor dignitates, quarum post pontificalem prima est Praepositum Maior, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Parochum animarum cura exercetur in Cathedrali ubi fons baptismalis adest etc. et nonnullae sunt insignes s. Venusti martyris reliquiae: coemeterium extat extra urbem.

Cathedrali proximum existit episcopale palatium.

Nonnulla alia Zatrnarii reperitur paroecialis ecclesia latini ritus : uua pro viris, altera pro mulieribus est religiosa domus; nosocomium, convictus episcopalis , atque seminarium cum alumnis; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad quinque protenditur Comitatus , plures sub se complectitur paroecias, et ultra nonaginta octo catholicorum millia.

ECCLESIAM CATHEDRALEM MUNKACSIEN. **ritus Graeci S. R. E. uniti vacantem per obitum bon. mem. Episcopi Basilii Popovics , ad quam promotus est R.D. Stephanus Pankovics ex benignitate SSmi ad nominationem S. C. M. Francisci Iosephi Primi. Idem promotus Presbyter dioecesis Munkacsiensis ad sacramentales excipiendas graeco-catholn corum confessiones adlectus , in ecclesiasticis obeundis functionibus laudabiliter emicuit; apud sedem consistorialem Munkacsiensem Assessoris , in iure civili Professoris, et ad Consilium regium** *LocumtenenHale* **Hungaricum in rebus literariis Referentis muneribus est perfunctus.**

Unghvarinum , ubi sedes Antistitis Munkacsiensis constituta , oppidum est Hungariae Regni et caput comitatus eiusdem nominis in districtu Cis-Tibiscano, ad amnem Ungh in peramoena fertilique plaga situm, et in eius ambitu, qui quarta parte milliarii quadrati germanici constat, quinquaginta supra sexcentas continet domos et ab ultra novem incolarum millibus habitatur, quorum termille et quadringenti Graeco-catholici, sub temporali dominio sunt dicti Serenissimi Imperatoris.

Cathedralis ecclesia sub titulo Exaltationis s. Crucis structuram praefert Byzantinam, et Strigoniensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quatuor coustat dignitatibus quarum prima Archipresbyter est

seu Praepositus Maior; tribus cum Scholastica sive Theologo Canonicis, absque Poenitentiaria praebenda ; viginti insuper adsunt Presbyteri cum Clericis, qui divinis officiis inserviunt.

Per Parochum-Canonicum animarum cura exercetur in Cathedrali, in qua fons adest baptismalis etc.

Domus pro Episcopi habitatione Cathedrali est coniuncta.

Praeter Cathedralem in colle intrainsulmano sitam, altera in oppido Unghvarini paroecialis ecclesia baptismali fonte munita reperitur: praeterea sodalitas s. Ladislai, nosocomium, et seminarium cum alumnis : mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus ad septem protenditur Comitatus, et habet ultra trecentas et septuaginta paroecias, plusquam mille filiales, ac fere trecenta nonaginta tria graecorum-catholicorum millia.

ECCLESIAM EPISCOPALEM LYSTBEN. sub Archiepiscopo Iconiensi in partibus infidelium vacantem per translationem R. P. D. Iosephi Ignatii C beca ad sedem cathedralem Ibarensem , ad illam promotus est R. D. Conceptus Focaccetti Firmanae Archidioeceseos ; qui in Clerum Camerinensis Archidioeceseos adlectus, ibique Presbyter factus et in sacra theologia baccalaurei gradu donatus in •ecclesiasticis obeundis functionibus navam impendit operam ; inter Canonicos terrae s. Genesii Camerinensis archidioeceseos olim adnumeratus; uuper defuncti Viri Emi Forocorneliensis Episcopi adiutor ab Epistolis renunciatus.

Lystra urbs Lycaoniae, olim Isauriae in Galatia , modo pene diruta infidelium iugo adhuc miserrime detinetur.

ECCLESIAM EPISCOPALEM TRIPOLITAN. in partibus infidelium , vacantem per successionem R. P. D. Ioannis William ad Cathedralem sedem Bastoniensem , ad eam promotus est R. D. Philippus Manetti Presbyter Sutrinae dioeceseos in sacra theologia doctorali laurea in archigymnasio romano donatus, ibique licentiae gradum in utroque iure consequutus in ecclesiasticis obeundis muneribus operam navavit : Archipresbyter in ecclesia Montis Sancti in alma Urbe hucusque renunciatus.

Tripolis urbs episcopalis Phoeniciae ad fluvium Xanctum sita sub Archiepiscopo Tyrensi, ab infidelibus detinetur.

ECCLESIAM ARCHIEPISCOPALEMEDESSEN. in partibus infidelium vacantem per assignationem tituli presbyteralis s. Mariae Transpontinae factam Emo ac Rino Gustavo Adulpho Card. de Hohenlohe, ad quam translatus est R. P. D. loseph Cardoni Lauretanuset Recinetensis Antistes.

Edessa antiquissima et perampla Mesopotaniae urbs infidelium iugo adhuc miserrime subest.

Inter alia Summus Pontifex eorum Episcoporum qui ecclesiis vacantibus ab ultimo Consistorio per S. Congregationem de Propaganda Fide suffecti essent, notitiam dedit, nec non Antistitis qui per Litteras Apostolicas in forma Brevis primis sequentium ecclesiarum datus est.

ECCLESIIS METROPOLITANA COLOCEN, ET BACSIEN. canonice unitis in Ungaria suffectus est R. P. D. Ioseph Lanovics translatus ab ecclesia archiepiscopali Amasien. in partibus infidelium.

ECCLESIAE METROPOLITANAE ARMACAN. in Hibernia R. D. Michael Kieran.

ECCLESIAE ABCHIEPISCOPALI Bo« STRUIN. in partibus infidelium R. P. D "Walterus Steins translatus ab episcopali

ecclesia Nilopolitan. in partibus infide-
| ı u m

ECCLESIAE EPISCOPALI GERMANICO-POLITAN. in partibus infidelium R. P. D. Carolus Laroque translatus ab Ecclesia s. Hyacinthi in Canada.

ECCLESIAE CATHEDRALI GULBORNEN. in Australia Meridionali R. *D*, Guillel-
" " ' Lanigan.

Inde facta petitio est Sacri Pallii pro Ecclesiis metropolitanis canonice unitis Colocensi et Bacsiensi et pro Ecclesiis tum «Strigoniensi, tum Armacana.

EX CONSISTORIO HABITO DIE XXVII.MARTII MDCCCLXV1L

Postquam Sanctissimus de adscribenda Sanctorum Cathalogo Beata Germana Cousin Virgine saeculari oppidi Pibrac dioecesis Tolosanae egerit, sententiam ab Emis Cardinalibus exquisiverit iuxta consuetam formam solemnitatesque sequentes vacantes ecclesias proposuit :

ECCLESIAM METROPOLITANAM MEDIOLANEN, vacantem per dimissionem a R. P. D. Paulo Ballerini ultro libenterque in manibus Pontificis Romani factam, ab •eodemque admissam , ad quam translatus est R. P I). Aloisius Nazari de Calabiana hactenus Casalensis Antistes.

Mediolanum celeberrima Italiae urbs et Longobardiae caput inter Abduam ac Ticinium fluvios in planitie aedificata decem fere passuum millium habet ambitum, eamque plus quam centum et octoginta incolunt civium millia.

Ecclesia metropolitana, ob gothicam excellentemque structuram notissima, Nativitatis B. V. Mariae titulo gloriatur, eique octo suffragantur Episcopi.

E'»s Capitulum quatuor habet dignitates , quarum post pontificalem prima est Archipresbyteratus , quatuor et viginti cum Theologo , maiore Poenitentiario ac Doctorali, enumerat Canonicos, sex et viginti Beneficiarios , aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per eumdem Archipresbyterum a quinque Sacerdotibus adiutum animarum cura in Metropolitana exercetur ubi fons baptismalis est, etc. et inter Sacras Reliquias corpora Sancti Ambrosii Episcopi et Ecclesiae Doctoris, atque s. Caroli Borromaei eiusdem civitatis Archiepiscopi et Compatroni religiosissime adservantur : et plura extra urbem habet coemeteria.

Quatuor et viginti recensentur Mediolani paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae, earumque altera sub s. Ambrosii invocatione est etiam Basilica Collegiata : plura virorum ac mulierum monasteria : aliquot pro puellis educandis asceteria : quaedam laicorum sodalitates : tria nosocomia , aliquot montes pietatis, ac duo seminaria,

Archidioeceseos ambitus latissime patet ac plus quam septingentas sexaginta complectitur paroecias.

ECCLESIAS CATHEDRALES MELFICTEN. ICVENACEN. ET TEBLITIEN. invicem perpetuo canonice unitas vacantes per obitum Episcopi Ioannis Costantini, ad quam promotus est. R. D. Nicolaus Guida Compsanae Archidioecesis , qui pluribus praeclaris muneribus functus est, multisque meritis ditatus.

Melfictum, vel Molfetum ac etiam Morfitum, Apuliae urbs in provincia Barensi Regni Neapolitani ad oras Adriatici maris plano in loco aedificata trium milliariorum circiter habet ambitum, termille domos ac pene vicies mille continet incolas.

Iuvenacium, urbs altera eiusdem provinciae ad oras pariter Adriatici maris in colle posita in suo unius milliare ambitu, septem circiter incolarum millia habet.

Turricium , alias Terlitium urbs in dicta provincia sita unius milliarii circiter cum dimidio habet ambitum , bismille enumerat domos et a quatuordecim ferme millibus civium inhabitatur.

Unaquaeque ex hisce suam habet Cathedralem ecclesiam sub titulo Assumptionis B. V. Mariae et Apostolicae Sedi sunt immediate subiectae.

Melfictense Capitulum sex habet dignitates, quarum prima est Archidiaconatus, decem et octo Canonicos comprehensa utraque Poenitentiarii, et Theologi praebenda , quorum decem sunt ordinis presbyteralis, et octo Ordinis diaconalis , triginta sex Mansionarios seu Cappellanos Participantes , vel de Massa nuncupatos.

luvenaceuse Capitulum dignitates quatuor habet cuius maior est Archidiaconatus et sexdecim Canonicos quos inter Theologus et Poenitentiarius, cum viginti Mansionariis.

Terlitiense pariter quinque habet Dignitates, quarum prima Archidiaconatus, viginti duos Canonicos cum Theo~logo et Poenitentiario, totidemque Man*sionarios seu Participantes. In unaquaque Cathedrali alii recensentur Presbyteri et Clerici divinis inservientes.

Per unum ex canonicis ordinis presbyteralis Melficti, per proprios Archipresbyter tum Iuvenacii, tum Tertitii animarum cura in singulis Cathedralibus exercetur, in quibus est fons baptismalis etc. et inter sacras Reliquias Melficti nominatim corpus s. Conradi eiusdem civitatis patroni magna veneratione asservatur.

Praeter Cathedralem in Melfictenst et Terlitiensi urbibus duae sunt paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae , Iuvenacii vero extat Collegiata sub invocatione s. Spiritus: item in singulis habentur virorum et mulierum monasteria , unum puellarum conservatorum , plura laicorum sodalitia , nosocomium, mons pietatis, et Melficti conspicuum adest seminarium cum fere biscentis alumnis.

Dioeceses unitae ad novem circiter milliaria protenduutur et nonnullas continet paroecias.

ECCLESIAM CATHEDRALEM CASALEN vacantem per translationem R. P. D. Aloisii Nazari de Calabiana ad Metropolitanam Sedem Mediolanensem, ad quam promotus est R. P. D. Petrus Maria Ferre hactenus Papiensis Antistes.

Casale olim Sedula et Montis Ferrati caput liguriae Urbis, ad Padum fluvium plano in loco sita , ultra duorum passuum millium habet ambitum, ter mille circiter continet domos , eamque vicies mille incolunt cives.

Cathedralis ecclesia sub s. Evasii E. et M. titulo, Vercellensi Archiepiscopo* suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates quarum prima Praepositura est , quatuordecim cum utraque praebenda poenitentiaria scilicet et theologali, Canonicos, quinque Mansionarios, aliosque

Presbyteros et Clericos re- divinae operam navantes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, quae per Parochum a Capitulo electum et ab Episcopo adprobatum in eadem Cathedrali exercetur in qua fons est baptismalis etc. atque inter sacras Reliquias nominatim corpus s. Evasii dioecesis Patroni religiosissime asservatur ; coemeterium autem habet extra urbem.

Quatuor aliae recensentur Casale paroeciales ecclesiae fonte munitae, aliquot pro viris et unum pro mulieribus monasterium, plura sodalitia, nosocomium, mons pietatis atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad nonaginta circiter milliaria protenditur, et octo supra centum triginta paroecias complectitur.

ECCLESIAM CA.THEDHA.LEM IMOLEN. vacantem per obitum clar. mem. Presbyteri Card. Caietani Baluffi huius ecclesiae Episcopi, ad quam translatus est R. D. Vincentius Moretti hactenus Cesenatensis Antistes.

Forum Cornelii ccha et elegans Aemiliae urbs in Romandiola ad Vatrenum fluvium in planitie aedificata trium passuum millium ambitum habet, bis mille et quingentas continet domos , eamque plus quam decies mille incolunt cives.

Cathedralis ecclesia Bononiensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset dignitates quarum prima Praepositura est, novem cum utraque praebenda Canonicos, sexBeneficiatos-Mansionarios, duos Supranumerarios ex munificentia SSmi D. N. adauctos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per unum ex Canonicis animarum cura in Cathedrali exercetur, in qua est fons etc. et inter sacras Reliquias corpora s. Cassiani Martyris, et s. Petri Chrysologi Episcopi et Ecclesiae Doctoris religiosissime adservantur: extra urbem habet coemeterium.

Novem Imolue, seu Forocornein paroeciales recensentur ecclesiae , quarum-duae fonte baptismali munitae : tria pro viris et duo pro mulieribus monasteria, duplex cohservatorium , plura sodalitia, novum pro periclitantibus puellis institutum liberalitate Regnantis Romani; Pontificis antea Imolensis Antistitis ; nosocomium, mons pietatis , seminarium.

Dioeceseos ambitus ad quinquaginta circiter milliaria protenditur et plura sub se complectitur loca.

ECCLESIAS CATHEDRALES PISTORIEN IH PRATEN. invicem perpetuo canonice-ur.tas vacantes per obitum bo: me: Episcopi Leonis Nicolai, ad quam promotus est R. D. Henricus Bindi Presbyter Pistoriensis dioeceseos eiusdem Cathedralis-Canonicus praeclaris ditatus meritis.

Pistoria et Pratum Hetruriae urbes in planitie sitae reperiuntur, quarum prima ad amnem Stellam aedificata, in suo trium fere milliariorum ambitu tria circiter domorum millia continet, atque a duodecim incolarum millibus inhabitator ; altera vero ad Bisentium flumen posita mille et quingentas complectitur domos , eamque ultra decem mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia Pistoriensi^ s.Zenonis Episcopi et Martyris ; Pratensis autem s. Stephani Protomartyris titulis gloriantur, atque Fiorentino Archiepi'-scopo suffragantur.

Pistoriense Capitulum undecim recenset dignitates, quarum post pontificalem prima est Praepositura , et quindecim cum Poenitentiario Canonicos; Pratense autem quinque conflatur dignitatibus, ex quibus maior Primiceriatus est, et novemdecim cum Theologo ac Poenitentiario Canonicis: utrobique plures Cappellani chorales, aliique Presbyteri et Clerici divinis inserviunt.

Per unum ex Canonicis ab Episcopo adprobatum , cui Presbyter amovibilis ad nutum auxilium praebet, animarum cura in singulis Cathedralibus exercetur,.

ibique fons adest baptismalis etc. et in- <ter Sanctorum Reliquias nominatim Pistoriae brachium S. Zenonis et corpus s. Acti illius civitatis Episcopi, religiosissime adservantur.

Decem aliae recensentur Pistoriae paroeciales Ecclesiae , earumque altera S. Andreae Apostolo dicata baptismali fonte munita, et septem Prati sine fonte baptismali: utrobique insuper nonnulla virorum ac mulierum monasteria, quaedam conservatoria, aliquot laicorum sodalitates, xenodochium , mons pietatis atque seminarium.

Dioeceses unitae ad octoginta circiter milliaria protenduntur , et plura sub se continent loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM FULGINATEN. vacan. per obitum bo. me. Nicolai Belletti postremi illius Episcopi, ad quam translatus est R. P. D. Nicolaus Grispigni hactenus Mandelensis Antistes.

Fullinium, vel Fulginium antiqua et culta Umbriae urbs ad Apenuini radices et ad Tiniam flumen in planitie aedificata, duorum fere milliariorum habet ambitum , mille et octingentas continet domos, atque a decem pene civium millibus inhabitatur.

Cathedralis Ecclesia s Feliciani Episcopi et Martyris civitatisque Patroni ti-» tulo Apostolicae Sanctae Sedi est immediate subiecta.

Eius Capitulum quatuor enumerat dignitates, quarum prima est Prioratus; duodecim cum utraque praebenda Canonicos titulares , octo honorarios, decem insuper Beneiiciatos-Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Penes Capitulum extat animarum cura, quam tum ipse Prior, tum tres Vice-Parochi ab eodem Capitulo electi et ab Episcopo adprobati in Cathedrali exercent; ubi fons est baptismalis, unicus in urbe, et inter sacras Reliquias corpus s. Messalinae Martyris, ac civitatisCom- ,patronae, religiosissime adservatur.

Sex aliae recensentur Fulginii paroeciales Ecclesiae, quarum duae sunt etiam Collegiatae ; sex pro viris , ac totidem pro mulieribus monasteria, quaedam laicorum sodalitates , tria conservatoria , orphanotropbium , nosocomium , mons pietatis atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad triginta circiter milliaria protenditur, et plura sub se complectitur loca.

ECCLESIAS CATHEDRALES MACERATEN. ET TOLENTIN. invicem perpetuo canonice unitas vacantes per obitum bo: me: Episcopi Amadei Zangari , ad quam promotus est R. D. Caietanus Franceschini Presbyter Fulginatensis, dioeceseos, qui inter alumnos Seminarii, quod a munificentia SSmi D. N. Romae erectum PIUM appellatur, cooptatus fuerat, atque in utroque iure doctorali laurea donatus in ecclesiasticis obeundis functionibus laudabiliter emicuit ; Fulginatensis Seminarii Rector Canonicus ad honores effectus , Vicarii generalis ac dein Capitularis munere perfunctus est.

Macerata ac Tolentinum Piceni sunt urbes ad Chientum fluvium sitae, quarum prima ampla et in colle posita unius cum dimidio milliarii habet ambitum , bis mille et quingentas continet domos, et ab, octodecim millibus civium inhabitatur ; altera vero satis culta et plano in loco extructa in suo duorum fere milliariorum ambitu mille domos atque sexies mille complectitur cives.

Cathedralis Maceratensis Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae ac s. Iuliani civitatis Patroni; Tolentina autem S. Catervi Martyris ac civitatis illius item Patroni titulis Firmano Archiepiscopo suffragantur.

Maceratense Capitulum unicam recenset Archidiaconatus dignitatem sexdecim Canonicos , quatuor Mansionarios maiores , sex Beneficiarios , ac duos Clericos Beneficiarios; Tolentinum autem duabus conflatur dignitatibus, quarum post pontificalem prima Archi-

«diaconatus est, quatuordecim Canonicis, et quatuor Mansionariis; utrobique insuper praesto est theologalis ac poenitentiaria praebendi!* , aliique Presbyteri <et Clerici rei divinae operam navantes.

Penes utrumque Capitulum extat animarum cura, quae Maceratae per unum ex Canonicis a duobus Presbyteris adiutum ; et Tolentini per Vicarium perpetuum ac duos Parochos exercetur; utraque porro in Ecclesia fons est baptismalis etc. et inter sacras Reliquias, Maceratae brachium s. Iuliani, et Tolentini corpora ss. Carervi, Septimiae ac. Bassi, decenter adservantur: et extra utramque urbem extat coemeterium.

Praeter Cathedralem, quinque Maceratae, eiusdemque suburbiis recensentur paroeciales ecclesiae baptismali fonte munitae, earumque altera, SSmo, Salvatori dicata, est etiam Collegiata cum Praepositi dignitate, ac duodecim Canonicis: quinque virorum et quaedam mulieium monasteria , Tolentini vero altera tantum adest ad s. Francisci sine baptismali fonte paroecialis ecclesia , ^eaque Collegiata cum Prioris dignitate ac duodecim Canonicis : duo item pio mulieribus, ac tria pro viris monasteria, quorum primum Eremitarum s. Augustini celebre habet s. Nicolai Tolentinatis Sanctuarium : utrobique denique •duplex pro utroque sexu orphanotrophium, plures laicorum sodalitates, nosocomium , mons pietatis atque seminarium.

Dioeceses unitae ad octodecim circiter milliaria extenduntur, ac tria sub se continent loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM ALBKN. vacantem per obitum bo me. Episcopi Coustantii Michaelis Fea, ad quam promotus est R D. Roberti Galletti Presbyter Taurinensis , qui doctorali laurea -in theologica facultate donatus in ecclesiasticis obeundis functionibus, nominatim utriusque sexus sacramentales concessiones excipiendo, Deique Verbum praedicando operam navavit, Canonicatu donatus quem postea dimisit, et in congregationem Presbyterorum theologorum ad SSmi Corporis Christi templum cooptatus est; adiutor Rectoris pii operis cui titulus *parva domus a divina Providentia* effectus, Rector quoque Collegii Ecclesiasticorum qui theologiae moralis practicae et eloquentiae sacrae studiis vacant, renunciatus est.

Alba Pompeia urbs Liguriae ad Tanaram Fluvium plano amoenoque in loco sita trium passuum millium ambitum habet, plus quam duo domorum millia continet, eamque acto circiter civium millia incolunt.

Cathedralis ecclesia s. Laurentii Levitae et Martyris titulo Taurinensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quinque enumerat dignitates, quarum prima Archidiaconatus est, tredecim cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos, nonnullos Beneficiatos, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per Archipresbyterum , qui secunda dignitas es(, cui duo Vice-Parochi auxilium praestant animarum cura in Cathedrali exercetur, in qua extat fons etc. et inter sacras Reliquias corpora ss. Frontiniani et sociorum Martyrum religiosissime adservantur; coemeterium extat extra urbem.

Duae aliae habentur Albae paroeciales ecclesiae fonte munitae: unum mulierum monasterium, quaedam laicorum sodalitates , nosocomium, mons pietatis, seminarium.

Dioeceseos ambitas satis late patet, ei nonaginta quinque continet paroecias:

ECCLESIAM CATHEDRALEM SALUTIARUM, vacantem per obitum bo. me. Episcopi Ioannis Antonii Giannotti , ad quam promotus est R. D Laurentius Gastaldi Presbyter Taurinensis, Doctor in sacra Theologia , qui nominatim in excipiendis sacramentalibus confessionibus Dei verbo praedicando,et spiritualibus

exercitiis tradendis operam navavit. In theologorum collegio penes Taurinensem Universitatem cooptatus atque in Collegiata ad SS. Trinitatis , Canonicatum, quem postea dimisit, consequutus, Angliae plures per annos Missionarii munere perfunctus est.

Salutiae Pedemoutii urbs ad Alpium maritimarum radices partim in colle, ac partim amoena in planitie aedificata quatuor milliariis eius circuitus extenditur, ter fere mille cum suburbiis continet domos et a quindecim incolarum millibus et ultra inhabitatur.

Cathedralis ecclesia gothicae structurae , Assumptionis B. V. Mariae et s. Goffredi Martyris titulis Taurinensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset dignitates quarum prima est Arehidiaconatus, tredecim cum Theologo et Poenitentiario Canonicos , aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Archipresbyterum, qui tertia Dignitas est, animarum cura in Cathedrali exercetur, in qua adest fons etc. et inter sacras Reliquias caput s. Goffredi civitatis Patroni religiosissime adservatur : Coemeterium habet extra urbem.

Altera praeterea reperitur in eadem Saiutiarum urbe paroecialis Ecclesia fonte baptismali munita; duplex pro viris monasterium , orphanotrophium , conservatorum , quatuor laicorum sodalitia , nosocomium , mons pietatis, et duplex seminarium.

Dioeceseos ambitus satis late patet, et plures complectitur paroecias.

ECCLESIAM CATHEDRALEM ASTEN. vacantem per obitum bo. me. Episcopi Philippi Artico, ad quam promotusest R. D. Carolus Savio Presbyter Archidioeceseos Taurinensis in sacra Theologia Doctor, qui in sacramentalibus confessionibus excipiendis, Deique verbo praedicando operam navavit; in theologorum collegio penes Universitatem Taurinense™ cooptatus, ibique theologiae, et in archidioecesano seminario ecclesiastKeae historiae Professor adlectus est; Canonicus in Collegiata SSmae Trinitatis et Congregationi Presbyterorum ad templum--SSmi Corporis Christi adscitus in eiusdem paroeciae administratione Coadiutor effectus , Examinator pro-synodalis, aclibris imprimendis Revisor renunciatus est.

Asta , quae cognominatur Pompeia, urbs Pedemontii ad Tanarum fluvium in planitie aedificata, quatuor fere milliariis per circuitum extenditur, quinque circiter continet domorum millia , et a vigintiquatuor incolarum millibus et ultra inhabitatur.

Cathedralis ecclesia Assumptionis-B. V. Mariae titulo Taurinensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quatuor recenset dignitates, quarum prima Praepositura est, septemdecim cum utraque praebenda Canonicos , decem Beneficiatosi aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Penes Capitulum residet animarum cura, eaque per unum ex Beneficialis, Vicarium perpetuum nuncupatum ab eodem Capitulo electum, et ab Episcopo-adprobatum, in Cathedrali exercetur, in qua est fons etc.

Septem aliae recensentur Astae paroeciales ecclesiae fonte munitae earumque una est etiam Collegiata : duplex pro viris et unum pro mulieribus monasterium , tria conservatoria, plures laicorum sodalitates, nosocomium, mons pietatis, seminarium.

Dioeceseos ambitus satis late patet, et centum viginti complectitur loca.

ECCLESIAS CATREDBALES POTUISTI N. ET MARSICEN, invicem perpetuo canonice unitas vacantes per obitum ho. me. Episcopi Michaelis Angeli Pieramico, ad quam promotus est R. P Fr. Antonius Fania ab Arignauo Ordinis Minorum de Observantia s. Francisci professus , Presbyter Archidioeceseos Sy-

pontinae, qui in philosophica et theologica facultate in suo Ordine Lectoi, tum suae provinciae Ministri, tum Ordinis a secretis, Procuratoris et Delegati Generalis muneribus perfunctus est; inter Consultores Supremae Congregationis Inquisitionis, et Indicis, atque inter Examinatores vel Episcopis adprobandis, vel provincialibus Conciliis examinandis adnumeratus, nec non inter Consiliarios in Deiparae Immaculatae dogmate definiendo adlectus fuerat.

Potentia et Marsicum Lucaniae urbes in Basilicata, quarum prima intra trium fere passuum millium ambitum bis mille domos, ac duodecim pene incolarum millia continet; altera vero in suo duplicis milliarii circuitu mille et quadragintas domos et plusquam octies mille complectitur cives.

Cathedralis Ecclesia Potentina sub invocatione s. Gherardi Episcopi, et civitatis Patroni terraemotu nuper diruta iterum aedificatur, eiusque constructio perficitur, et Archeruntino ac Matheranensi Archiepiscopo suffragatur; Marsicensis autem Assumptionis Briiae Virginis Mariae titulo gloriatur, atque Salernitano Archiepiscopo suffragatur.

Utrumque Capitulum tres recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Archidiaconatus est, quindecim Potentiae cum utraque prebenda Canonicos ac duodecim Mansionarios; et Marsici duodecim Canonicos cum nonnullis Beneficialis, vel Mansionariis, utrobique vero nonnulli alii Presbyteri et Clerici divinis inserviunt.

Per secundam dignitatem, quae Archipresbyteratus est, cui alter e Mansionariis auxilium praebet Potentina in ecclesia; et per Primicerium ab Oeconomo adiutum Marsicensi in Cathedrali animarum cura exercetur; utrobique fons adest baptismalis etc. et inter Sanctorum Reliquias, Potentiae nominatim S. Gherardi brachium, et Marsici corpus s. Augustalis, decenter adservantur; extra urbes extat coemeterium.

Praeter Cathedrales duae aliae insunt Potentiae Paroeciae, quae et Collegiatae; quatuor autem Marsici Curionales Ecclesiae omnes baptismali fonte munitae; duplex insuper in prima, et unum in altera urbe virorum monasterium, ac utrobique plures laicorum sodalitates, nosocomium, seminarium; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceses unitae ad quinque supra nonaginta milliaria protenduntur et plura continent loca.

(prosequitur)

APPENDIX XVII.

CIRCA FACULTATEM CLERICORUM AUT PIORUM LOCORUM PROPRIAS PECUNIAS INVESTIENDI PER CONTRACTUM, QUI CREDITUM FRUCTIFERUM APPELLATUR (1).

Dubitatum identidem est, an, liceret Viris ecclesiasticis suas pecunias aliis dare contractu inito qui creditum frugiferum appellatur. Pariter dubitatum identidem est, an pecuniae propriae Locorum piorum investili possint in frugifero credito. Occasione causae quam superius exposuimus pag. 561 breviter heic de hac re agemus

Ratio autem dubitandi triplex esse potest, 1. an huiusmodi contractus ex sese sit licitus:' 2. an licitus sit Clericis Locisque piis, quae a quaestuosis negotiationibus abstinere debent : 3. an creditum fructiferum tanquam canonicum investimetitum considerari possit; quae tertia dubitandi ratio refertur dumtaxat ad Loca pia.

Ad primam autem dubitandi rationem quod attinet, creditum fructiferum cum requisitis Castrensibus constitutum, licitum ex sese esse in dubium revocari non potest. Requisita enim Castrentia, quae a Paulo de Castro nomen accipiunt, non sunt aliud nisi tituli extrinseci lucri cessantis, et damni emergentis quae obveniunt subventori seu creditori qui suam pecuniam alteri confert. Qui enim dat pecuniam mutuam, ius sibi reservare potest exigendi damnorum redintegrationem, quae occasione huius mutui contractus sibi obveniant. Qui enim ex. gr. suam pecuniam in capsa publica tuto posset deponere, vel in schedis debiti publici eam impendere est paratus, ut legitimam moderatamque deinde usuram percipiat, eo ipso hoc lucrum amittere ret, ac damnum subiret, si alteri pecuniam mutuo traderet, nulla percepta Usui a, quae lucrò cessanti, seu damno respondeat. Eiusmodi autem usuras quae non ex vi contractus mutui derivant, sed ex extrinsecis titulis, licite percipi posse communis est doctrina. Quae quidem confirmari etiam posset ex civilibus Codicibus RR. Pontificum nempe ex Motu-proprio Pii VII. fel. rec. edito die 22 Novembris 1817 art. 1742 ; item ex Motu-proprio Leonis XII. die 5 Octobris 1824 art. 1061 ; et ex Motu-proprio Gregorii XVI. die 10 Novembris 1834 §. 1619 in quo nominatim statutum est: « requisita castrensis (verba

(1) De eiusmodi quaestiuncula agit cl Adv. Alexander Raphael Farricelli in» suo opusculo cui titulus: *Raccolta di opuscoli di giurisprudenza canonica e ei' vile Roma Tipografia Salviucci* i8G7

• latine reddita recitamus) invo- » cari poterunt , I. ut frugiferum • evadat Debitum certum et liqui- o dum cuius solutionis dies cesserit; » '2. ut augeantur usurae ; 3. ut » resarciatur damnum emergensex » debitoris mora. » Si enim invocari potest lucrum cessans et damnum emergens adversus debitorem qui certam pecuniam solvere creditori moratur; idem affirmari potest de eo qui alteri pecuniam mutuo tradat, adiecta conditione non amittendi honestum lucrum, quod alias facillime et statini perciperet.

Sed liceitate contractus crediti fructiferi t*x requisitis Castrensibus in tuto posila, videndum est, an iniri licite possit eiusmodi contractus a Viris ecclesiasticis quibus, interdiclae sunt quaestuosae negociationes. Ad solutionem huiusquaestionis satis est afferre doctrinam S. Rotae in *Ravennaten. Pecuniaria* diei 17 Februarii 1851 §. 9, coram Bonini j quam doctrinam refert etiam laudatus Alexander Farricelli: ibi autem legitur: « Et levior erat •> obiectio quam rei conventi ad » evitandam fructuum solutionem » desumere voluissent ex qualitate » creditoris , cui tamquam eccle- » siaslica dignitate praedito cano- » nicarum legum sanctione vetitum » fuisse contendebant frugiferum » nomen inire. Sane praeter quam » quod canonici iuris censura ab •» illicitisnegotiorumquaestibusCle- » ricos arcens haud praesidium de- • bitoribus praebeat , ut a debitis *n* usuris absolvantur , sed ius dum-" » taxat ecclesiasticae tribuat au- » ctoritati in Clericos negociato— » res animadvertendi, ceu colligere » est ex verbis s. m; Benedicti XIV. » *de syn. dioeces, lib.* IO e. 6 *n.* 3, » peremptorium illud occurrebat » non de activo Cambio rem in tbe— » mate fuisse, a cuius stipulalióne ob » quandam negociationis. speciem » intercedentes! sacri canones £c- » clesiasticas arcent personas, -ve-.- » rum de licito atque honesto con- » tractu in quo * citra ullam nego- » ciandi rationem atque obiigatio- » nem , creditor ratione tati tu m » amissi lucri et damni sibi illati, de » quibus legitimae suberant proba- » tipnes, moderatam iuxta temporis. » et loci consuetudinem fructuum » praestationem stimulatus sibi fuit: » Quod Ecclesiasticis personis non » i m permissu m docent prae caeteris » I.eotardus de Usuris etc.»

Et iterum idem docetur in eius confirmatoria decisione coram eodem Bonini die 4 Iunii 1855 §. 5, ubi legitur: « Parisque levitatis erat » obiectio altera in eo posita, quod » creditori Lucconio tanquam eccle- » siastico non Jicuisset frugiferum » creditum inire eiusque usuras sibi » stipulali. Redibat priiuo, non nisi » inaniter a reis conventis invocari » canonici iuris censuram ab usu- » rariis contractibus Clericos ar- » centem, cuius non est scopus de- » bitoribus opitulandi , eosque a » debita usurarum solutione exi- » mondi; sed Clericos dumtaxat il-

» licitae negociationi operam dan-
» tes condignis poenis subiiciendi,
» ceu docent s. m. Benedictus XIV.
» *dè Synod, dioec. I.* IO c. **6** » 3 ,
» Card. De Luca etc. Sed rem de-
» **DUO** perimebat , quod obiecta
» canonica sanctio, activa dumtaxat
* Cambia respiciat -, eaque tantum
» Clericis prohibeat, veluti quam-
»> dam praeseferentia negociationis
» speciem, a qua sc abstinere illos
» decet. Quare aliena prorsus haec
» sacrorum canonum disciplinacom-
» periebatur a themate, in quo res
* erat non de Cambio activo, sed
» de fructibus ex legitima Castren-
* sium requisitorum interpositione
» conveotis, a quorum stipulatio-
» ne ecclesiasticas personas non
» prohiberi docent prae caeteris
»> Leotardus,etCard. De Luca etc. •»

Itaque secundum S. Eotae doctrinam prohibitum Clericis non est eum contractum inire qui creditum frugiferum dicitur cum conditionibus Castrensibus, neque proinde prohibitus dici idem contractus potest Lociis piis : non enim redolet quaestuosam negotiationem.

Ad tertiam dubitandi rationem, -quae Loca pia dumtaxat respicit, dicendum est, creditum fructiferum regulariter haberi non posse tamquam canonicum inveslimentum pecuniarum quae , canonica lege urgente, necessario sunt investiendae, puta pretium redactum ex aliquo vendito fundo ad Locum pium pertinente; vel aliquod relictum Legatum pro onerum praescriptorum satisfactione etc. Eiusmodi enim pecuniae , quae ad substantiam ecclesiastici patrimonii pertinent in fundis stabilibus tutis, et frugiferis sunt investiendae , qui si non facile reperiantur , in subsidium admittitur investimentum in censu. Haec eruuntur ex praxi S. Congregationis Epis. et Reg. , quam ostendit cl. Adv. Aloisius Trombetta in opusculo alias laudato , cui titulus : ***Praxeos regulae circa contractus etc. cap.*** 7; ubi tradit investimentum proprie dictum primario fieri debere in bonis stabilibus tutis ac fructiferis, secundario vero et in subsidium fieri posse in censu.

Verum non raro hodiernis diebus contingit, ut illi,.qui iuvestire teneantur aliquam summam , cupiant creditum fructiferum constituere: neque sine ratione; nam ex multiplici causa utilius existimatur eiusmodi investimentum quam illud quod in censu consistit ; cum autem hoc iuxta exposita canonicum non sit, ad S. Congregationem Epis. et Reg. preces admoventur, ut facultates ad eiusmodi investimentum faciendum obtineantur.

Praxis autem est, ut S. C. facultatem tribuens , id directe non approbet : rescribere enim solet pro facultate collocandi pretium in ***tuta honesto et licito investimento.***

EX S. CONGREGATUM CONCILII.

DECRETUM

A S. CONGREGATIONE EMORUM ET RMORUM

PP, CONCILII TRIDENTINI INTERPRETUM AC VINDICUM

DE MANDATO SSMI EDITUM.

Antequam indicatum Decretum referamus non erit inopportunum nonnulla adnotare. j

Cuique generalem Ecclesiae catholicae statum inspicienti patet, multas reperiri in Orbe terrarum a Guberniis editas leges, multasque inveetas consuetudines ex iisdem legibus origine praecipue ducentes, quae contra ecclesiasticum ordinem et disciplinam pugnant : at e contra non potest praesenti tempore generatim negari populos et Gubernia, si paucissima excipias, vocem Apostolicae Sedis aut prorsus venerari, aut ea aestimatione habere, cui non facile contradicant. Neque facta plura peculiaria «et solemnia desunt, quibus ipsi haeretici, qui olim furore abrepti adversus Apostolicam Sedem et catholicam Ecclesiam vehementer sese invehebant, modo catholicae Ecclesiae non solum, velut antea, non resistunt, sed si quod opus in gratiam Apostolicae Sedis exhibere possint, id non difficile exhibent. Et quotidie conspicimus catholicam unitatem invalescere, et Pastores et Greges immobili Petri Sedi intimius devinciri : omnesque oculos non solum Catholicorum, sed propemodum omnium ad Apostolicam Petri Sedem eiusque gloriosum Successorem esse conversos.

Unum tamen praesenti tempore eminet catholicae Religioni infensum Gubernium, et praepotens quidem; quod dum aliarum Religionum sectas in suo sinu fovet, catholicam unam Religionem, «nulla arte neglecta, spretaque Apostolica Auctoritate, in miserrima

servitute, barbarorum hominum more, detinet, atque omnes cognatus iniquis legibus eo dirigit, ut iideles populos a centro catholicae unitatis avellat.

Namque ipsam facultatem fidelibus sibi subditis denegare non* erubescit cum Matre sua communicandi, ut lac et salutis aeternae alimenta suscipiant: facultatem nimirum negat communicandi[7] cum Matre illa quae imbellis et inermis nemini unquam malum intulit, omnibus prospera adprecatur, ac populos fideles docet , ut Imperantibus, quamvis discolis, obediant, ipsisque *m* omnibus subsint quae legi Dei et Ecclesiae eius non adversentur; quas quidem iustissimas leges, Gubernium ipsum se esse servaturum iteratis vicibus publica fide Sanctae Sedi adpromittere non dubitavit, quamvis fidem suam nunquam servaverit.

In ***officiali*** Urbis Ephemeride Decretum, a S. Congregatione Concilii, quod infra sequitur, evulgatum est die 3 Maii, de quo eadem Ephemeris haec praenotat, quae ex italico in latinum idioma vertimus.

« Post infaustum Decretum Russici Gubernii die 5 Iunii 18-66 editum, quo arbitraria ratione supprimebatur Dioecesis Camene-* censis, et proprius Pastor a ducentis et amplius fidelium millibus est vi avulsus; post iteratas Pontificias protestationes in; Allocutione Consistoriali die 29 Octobris proxime elapsi habita,, et in ***Expositione*** documentis munita, quae Allocutioni successit, contentas, Sancta Sedes infelices illos Catholicos plane desertos adhuc iacere novit. Sanctissimus Pater animi dolore comprehensus, curri sinere haud possit ut eiusmodi rerum religiosarum status perseveret, consilium iniit eamdem Dioecesim interea temporis pastoralibus committendi curis Episcopi Luceoriensis et Zytomeriensis. Cum autem compertum plane sit, quam gravibus carceris et exilii poenis illi sese obiiciant, qui Supremo catholicae Ecclesiae Capiti directe communicent, ita ne compluribus miserandis victimis novae adiungantur, SSmus Pater viam quamlibet ad exercitium Apostolici sui ministerii in illis miserrimis regionibus praeclusam esse sentiens, non alium reperit modum patefaciendi illi Dioecesi eiusmodi temporaneam Dispositionem, quam per Decreti publicationem in ista ***officiali*** ephemeride, spe ductus, fore ut, hoc Decreto per publicas ephemerides typis iterum tradito, in Episcopi cognitionem et illorum»

fidelium possit devenire; atque ita normae eidem Episcopo sit, eorumdemque fidelium solatio, qui tot inter difficultates, unitatis catholicae centro firmo animo adhaerere non desinunt. »

Decretum autem cuius titulum supra exposuimus est sequentis tenoris:

« Innotuit iam Apostolicae Sedi Gubernii Russici Decretum diei 5 *Iunii anni* 1866, *quo antiquam et insignem Camenecensem Dioecesim temere supresserat ; ac impedito proprio Antistiti Rmo Domino Antonio Fialkowski quocumque iurisdictionis exercitio , dispersisque Capituli Cathedralis, et Episcopalis Consistorii membris, nec non Seminario Clericorum sublato, Ecclesiam Camenecensem quavis legitima administratione privaverat.*

» Quae quidem omnia in divinam Ecclesiae auctoritatem, eiusque Sacram Hierarchiam patrata, SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PIUS PAPA IX, *Allocutione Sua Consistoriali diei* 29 *Octobris memorati anni, solemniter lamentatus est; atque iterum lamentata voluit in* Expositione *a Secretaria Status die* 15 *Novembris edita: ea spe fretus, ut pro rei gravitate et reclamationum iustitia praefatum Decretum tandem revocaretur, ac obstacula removerentur , quae Pastoris reditum ad propriam Sedem, eiusque auctoritatis exercitium praepediunt.*

» Verumtamen cum Summus Pontifex iusta spe fuerit frustratus; et caeteroquin sciat illius Dioecesis ingentem fidelium numerum in luctuosissima conditione, et summo aeternae salutis discrimine versari, eo quod proprius Pastor, a grege seiunctus, oves suas nec regere, nec ad salutaria pascua ducere, nec ab inimicorum hominum insidiis defendere valeat: pro Apostolici Sui ministerii debito illius Ecclesiae necessitatibus, meliori qua fieri potest ratione, in tam adversis rerum adiunctis consulere volens, mandavit, ut, quoadusque legitimus Camenecensis Antistes ab administranda Sua Dioecesi impediatur, regimen illius Ecclesiae moderno Episcopo Luceoriensi et Zytomeriensi committeretur.

» Hinc est quod, perdurantibus supramemoratis rerum conditionibus, vigore praesentis Decreti Rmo Domino Gaspari Boroivski, Dioecesis Luceoriensis et Zytomeriensis, ut supra, Episcopo, pro recto dictae Ecclesiae regimine tribuuntur omnes et singulae facultates necessariae, et opportunae, ad beneplacitum tamen S. Sedis duralurae, et quoadusque aliter consuli nequeat ; quibus ea

'omnia, et singula exercere possit et valeat, quae ex iure, privilegio, ac consuetudine in propria Dioecesi, sive iure ordinario, sive delegato legitime exercet: ac proinde Clerus et fidelis populus eum in extraordinarium Dioecesis Rectorem agnoscant, eiusque praescriptiones, mandata j ac monita fideliter, dociliter que accipiant, ac sequantur. Quo fiat, ut spiritualis incolumitas eorumdem fidelium, quos SSmus Dominus impensa charitate complectitur, quantum fieri potest, servetur, et unitatis vinculum, quo pars illa Dominici gregis Petri Cathedrae adstringitur, tot inter difficultates integrum custodiatur.

i) Datum Romae ex S. Congregatione Concilii die 3 *Maii* 1867.»

PROSPER Card. CATERINI Praefectus

PETRUS Archiep. Sardian. *Pro-Secr.*

Hac opportunitate capta non displicebit Lectoribus nostris si huic Decreto, quod indicat statum, quo Ecclesia catholica reperitur sub Russico Imperio, adiiciamus imperiale Decretum Sultani respectu catholicorum Syrorum, qui sub suo degunt dominio. Comparatione enim instituta apparet quam felicior sit Eccles'ae conditio, quae sub Turcico Imperio floret, quam quae sub Russico gemit.

BERAT IMPERIALE PRIMAE CATHEGORI E

LITERIS AUREIS INTEGRE CONSCRIPTUM»

QUOD

MAIESTAS IMPERIALES SULTANUS ABD-UL-AZIZ

DIE VIII. OCTOBRIS MDCCCLXVI. CONCESSIT

ANTIOCHENO PATRIARCHAE SYRORUM CATHOLICORUM

PHILIPPO HARCUS.

Versio lileralis latina ex italica authentica versione.

« Post obitum Antonii Samhiri Patriarchae Syrorum qui Syriam incolunt et alia Mei Imperii a Deo protecti loca, nominandus erat alter Successor: ideo Antistes Ignatius Philippus Harcus dudum Archiepiscopus Diarbekir , qui nunc fert meum praesens ***Berat*** imperiale, cum dignus sit iudicatus et idoneus ad res ecclesiasticas regendas, cum electi* sit Patriarcha, Antistites istius Nationis, Sublimi Meae Portae petitionem collectivam porrexerunt pro exercitio officii Eiusdem. Super hac re emisi praesens Meum Berat Imperiale ad declarandum Eumdem destinari Patriarcham pro dicta Natione, atque ita iubeo Episcopos , Vicarios foraneos , Sacerdotes, Monachos , Moniales , omnesque alios Syriae Nationis qui incolunt Meum Imperium, magnates et parvos agnoscere debere praedictum tamquam proprium Patriarcham, Eumque adire in negotiis ad Eiusdem patriarchale officium pertinentibus, neque transgredi legitimas Eiusdem dispositiones, <*uin imo Eidem obedire et subesse omnino debere : cum autem, sive Ipse Patriarcha sive Eiusdem Nationales exercere perfecte debeant sine obstaculo ullaque oppositione proprium cultum, Gubernatores caeterique, qui Mei Gubernii munere funguntur in hanc rem animum indendant atque curas, et nemo, ne minimum quidem obstacu-

Iam vel difficultatem suscitet, aut sese intromittere praetendat in ecclesiis et monasteriis quae ad eos pertinent; et eorum ecclesiasticae leges matrimonium respicientes observentur et nullus contraeat; et quaestiones sive unionem matrimonialem respicientes, sive separationem aut divortium, quae locum habere possint inter eorum Nationales in examen revocentur ac definiantur ab eorum Patriarcha aut a suis Vicariis ut hactenus servatum est iuxta eorum ecclesiasticas leges. Contra morem autem invectum, Iudices et Sub-Iudices aut quisquis alius, nemo sese opponat aut sese ingerat sententiis a Patriarcha emissis adversus eos e suis qui iuxta ecclesiasticas leges damnari et repelli mereantur; et sicut eorum Religio exigit, fiat, ut Sacerdotes ecclesiasticam sepulturam dare iis non possint, qui decesserint crimine flagrante adversus suam Religionem , et Iudices et Sub-Iudices et quisquis alius, sive divites et potentes cogere Sacerdotes non possint ad eos sepeliendos eis dicentes : ***hunc sepulturae date. Nec*** oppositio ulla a quoque fiat in detrimentum possessionum Ecclesiarum et monasteriorum, et nemo sub pignore eas ponere possit, aut possessionem capere , et quando eorum Nationalium aliqui viventes relinquere velint aliquod testamentarium legatum suo Patriarchae sive Vicariis foraneis, sive Sacerdotibus pro Ecclesiarum indigentiis, post eorum obitum legalis Auctoritas exsequi faciat traditionem dictorum legatorum ab haeredibus Defuncti; et si quando moriantur Sacerdotes Monachi aut Moniales, quin haeredem aliquem relinquant, hoc in casu Patriarcha pro Ecclesia possessionem accipiat supellectilium, equorum et omnium aliarum possessionum istorum, quin Fiscus Musulmanus, sive Praefectus successionum, sive Inspectores bonorum immobilium, sive Civitatis Praefecti eorumque viri et quisquis alius contraire possint : et si quando haeredes habeant, non permittatur, ut, quisquis sit, sese ingerat in eorum numerata pecunia aut in aliis possessionibus bonisque mobilibus et quovis ono legato testamentario quod relinquere velint suis ecclesiis aut suo Patriarchae, Vicariis aut Episcopis, aut Sacerdotibus, Monachis et Monialibus, aliisque, et iuxta eorum ecclesiasticas leges observetur ut validum et rectum ; et testimonium Syrorum eorum nationalium iuxta regulas et usus suae Religionis audiatur et admittatur ut validum in tribunali-

i)us sacrae Meae legis, et nemo ex personis potentibus et divitibus molestiam creet Patriarchae dicens: ***mitte hunc Sacerdotem in illum locum, hanc Ecclesiam illi Sacerdoti committe;*** et in urbium portis et in scalis vectigal et taxa pro utensilibus earum ecclesiarum non petatur, et si quando Patriarcha aut Eius Sacerdotes aut Vicarii et Eius homines aliquem legalem processum habeant, eorum causa non audiatur nisi in Mea principe civitate a Deo proiecta; et si quando exigatur captura alicuius Sacerdotis, aut Monachi aut Monialis ex parte Politiae, captura et detentio executioni mandetur ex parte Patriarchae; et in exportatione fructuum vinearum destinatorum ad substentationem Patriarchae, et vini et mellis aliorumque productorum, quae Christiani dare solent sub nomine eleemosynae aut decimarum, tum in urbium portis, tum in scalis Praepositi vectigalibus eorumque officiales, vectigal aut taxam non exigant, aut quodvis aliud, neque difficultates interponant; et vineae et horti et fundi et prata et molendina ad eorum monasteria et Ecclesias pertinentia, et eorum eerarum fusoria, constructiones, et officinae, et possessiones et arbores frugiferae et silvestres et greges ad usum dictarum Ecclesiarum, independentes declarantur et in plena et libera possessione Ecclesiae, quin extraneus aliquis, ne minima quidem ratione, sese ingerere possit; neque difficultas opponatur ne Christiani solvant consuetas taxas annuas et elemosynas et alia iura Patriarchalia, et in Ecclesiis et Monasteriis et Oratoriis ditionis patriarchalis nemo sese opponat libero cultus exercitio, aut dicere possit : ***vos exequi debetis hoc vel illo modo nostras exeqtiias et funera, aut canere debetis hoc vel illo modo;*** aut simili obtentu enitatur sese in illis ingerere ; neque aut vis, aut minae inferantur constituendi militum hospitium in patriarchalibus aedibus, sive Ministrorum a publica securitate aut aliarum personarum; et nemo possit Eidem molestiam afferre, quia se vestit hoc vel illo modo, et quia manu tenet auctoritatis baculum. Et in confirmatione horum omnium privilegiorum praesens Meum Berat Imperiale emissum est pro libera exemptione, et Patriarcha in sua plena possessione constitutus est, et nemo deinceps ex quacumque ratioee sese ingerere poterit in iis quae officii patriarchalis sunt.

» Scriptum die 29 Gemazil E v vel.., anno egirae 1283.)) (scilicet 8 Octobris 1866).

Ex HIS COLLIGI POTEST:

I. Hoc Sultani Decreto satis clarum suppeditari exemplum^ quo civilia gubernia iuxta ss. canones referri possint ac debeant* ad catholicam Ecclesiam, Ecclesiaeque potestatem.

II. Namque ad normam ss. canonum, inter caeteras relationes, civilis potestas sese ad Ecclesiam catholicam referre debet, non solum ut ad innocuam quamlibet religiosam societatem, impedimenta scilicet non interponens in libero religionis exercitio; sed tanquam ad perfectam religiosam societatem, eius iura leges et potestatem pro sua ratione sustinens et defendens (1),

III. Comparatione instituta inter Musulmanum et Russicum; Gubernium eam intercedere diversitatem, ut quemadmodum Musulmanum Imperium utramque servat relationem; ita Russicum; Imperium, sacris pessumdatis canonibus, utramque relationem subvertit: et ita agere et imperare, quasi Ecclesiae catholicae potestas a Gubernii Schismatici potestate non sit distincta.

(1) Quantum novimus, praesenti aetate, Gubernia civilia acatholica (de catholicis Guberniis non loquimur), si Barbarorum Gubernia excipias, se habent ad catholicam Ecclesiam in suis dominiis constitutam, tanquam ad Innocuam societatem religiosam, quae ius habeat sua dogmata profitendi: ex hoc respectu, quo se habent Gubernia civilia ad Ecclesiam, obstacula non interponunt quae liberam professionem impediant, quamvis iura eidem Ecclesiae non tribuant,quae perfectae societati religiosae tribui debeant. Certe per eiusmodi relationem iuri et honori catholicae Ecclesiae debito non fit satis, cum eodem in censu ipsa habeatur, quo habetur quaevis Religio, quae sit hominum inventum, lucis veritatis inimi eorum: nihilominus eiusmodi status non est spernendus iis in locis, quae erroris tenebris circumfunduntur: namque, divina gratia agente, catholica Ecclesia sua splendidissima luce christianarum praesertim virtutum, sanctaeque doctrinae societatem ipsam tenebris^ detentam illustrare potest ac debet. Verum, quamvis eiusmodi Ecclesiae status ratione horum locorum commendandus sit, non est tamen normalis Ecclesiae catholicae status '. deest enim saltem observantia alterius relationis, qua civilia Gubernia sese referre debent ad catholicam Ecclesiam : namque civilis potestas non solum obstacula interponere non debet liberae catholicae Ecclesiae professioni, sed ipsam Ecclesiam, Ecclesiaeque potestatem uti par est tueri debent, tamquam perfectam societatem, veramque potestatem religiosam distinctam ac independentem a societate et potestate civili, auxiliumque pro sua ratione afferre ut Ecclesiae leges serventur, et potestatis actus exsecutioni mandentur, quemadmodum et ipsa catholica Ecclesia fideles docet civilibus potestatibus subesse debere.

Haec quidem optime cohaerere possunt ac debent non solum cum catholicis regnis, sed observari vidimus iii-ipso» Musulmano Imperio*

Die i Decembris 1866. *Sess.* 24 *c. i de Reform. Matr.*

Compendium facti* Septemdecim annos nata , e gynaeceo egressa est Agnes, et in domum paternam reversa in oppidum ***Bonndorf*** Friburgensis archidioeceseos, in amores incidit Titii hominis aetate quadragenaria religione acatholici, qui municipali stipendio eo in oppido uti medicus iamdudum versabatur.

Sponsalitiis promissionibus habitis, nuptiarum solemnia anno 1852 instabant: supererat nihilominus ut dispensatio a Curia ecclesiastica obtineretur, ut Agnes catholica contrahere posset cum viro acatholico, quae quidem dispensatio ex S. Sedis et ss. Canonum sanctione concedenda non est, nisi sponsi adpromittant, se prolem procreandam in religione catholica esse instituturos. Verum recusante Titio eiusmodi conditionem, denegata fuit a Curia dispensatio ad mixtum matrimonium ineundum, et Parocho Bonndorfiensi mandatum est, ut contractui matrimoniali celebrando mere passive assisteret.

Factis nihilominus in ecclesia parochiali duabus denunciationibus, nulla facta de religione sponsorum mentione, prout eo loci in his adiunctis moris est, sponsi assentientibus parentibus in proximum oppidum ***Kadelburg*** matrimonium contrahere statuerunt.

Sciendum autem est quemadmodum Archiepiscopus enarravit, Bonndorffii ubi uterque sponsus domicilium habebat, unum tantum adfuisse Parochum, eumdemque catholicum, qui anno 1852 ex lege civili, testis ***auctorizabilis*** in matrimoniis contrahendis inter catholicos declaratus fuit, dum contra in oppido ***Kadelburg*** Parochus catholicus, et Minister acatholicus existebant: cuius quidem Ministri curae anno 1852 acatholici Bonndorffii domicilium habentes nondum adsignati erant. Uno verbo Bonndorfienses haeretici, si qui adessent in eo catholico oppido, matrimonium id temporis contrahere adigebantur coram Bonndortiensi catholico Parocho.

Itaque ut in oppido Kadelburgensi sponsi matrimonium contraherent, testimoniales literas petierunt a Parocho sui Oppidi,,

de iam habitis denunciationibus, easque obtinuerunt hisce verbis conscriptas: - ***Testimoniales Liierae- Sponsalia inter etc inita cum consensu iudicis civilis.... duabus distinctis vicibus..... in ecclesia parochiali rite denunciata fuisse, neminemque huic connubio contradixisse, ita ut quominus matrimonium in Kadelburg contrahatur a parte nostra nihil impediat, ego testor, rogans simul Parochum magno-ducalem, ut copiam e libro matrimoniorum decerptam de facta copulalione mihi communicet.***

E Bonnderf itaque discedentes ubi proprium habebant domicilium oppidum Kaldelburg petierunt, ibique per aliquas horas commorati matrimonialem consensum coram Ministro acatholico sponsi dedere.

Verum, ne octo quidem dies concordia horum coniugum perduravit: gravibus enim exortis dissidiis, Agnes post quatuor ab infaustis nuptiis hebdomadas in paternam rediit domum; et non multo post tum Agnes tum eius Pater laicum Iudicem adierunt, rogantes ut matrimonium iuxta civiles leges nullum declararetur: Titio autem nullatenus obsistente, immo suffragante, propitiam obtinuerunt sententiam, quae in rem iudicatam pertransiit. Ex ea ratione civile tribunal matrimonium nullum declaravit, quod ex civilibus legibus, ***nullus alius Parochus, quamvis in foro Ecclesiae ad id deputatus, actum istum perficere potest, nisi ei licentia expresse a Iudice civili data ad copulandum extra Parochiam proposita sit.***

At catholica mulier probe noscens sibi satis non esse eiusmodi nullitatis declarationem in foro civili obtentam ut se liberam coram Deo et Ecclesia reputaret, pluribus licet elapsis annis petiit ut ecclesiasticum matrimoniale tribunal, nullitatem initi coniugii declararet.

His exceptis precibus, mandatum est 1° ut Agnetis libellus notificantur Titio, isque sua iura deduceret: 2° ut Parochus Bonndorfiensis testimonium authenticum de inito coniugio e libro matrimoniorum extraheret; mulier vero diceret qua ex causa matrimonium non celebraverit coram proprio Parocho: 3° ut Parochus catholicus Kadelburgensis referret utrum in ea Paroecia matrimonia iuxta caput primum Conc. Trid. sess. 24 de Refor. Matr. contrahantur, semperque ibidem praesumptio iuris viguerit, quod illud a s. Synodo Trid. fuerit praescriptum ; praeterea

^doceret utrum instructio matrimonialis, iuxta Rituale Archidio-<jeseos, quaque prima vel secunda dominica post Epiphaniam in ecclesia annunciaretur : haec enim instructio prout in dicto Rituali continetur, his concepta est verbis: ***Quodvis matrimonium a Parocho sponsorum proprio coram duobus testibus celebrari debere , quia alioquin iuxta Oecumenici Conc. Trid. praescriptum matrimonium esset nullum atque irritum:*** 4° denique ut eiusmodi decretum exhiberetur Defensori vinculi matrimonialis, qui iam iuramentum emiserat, ut mentem suam aperiret si quod aliud inquirendum existimare^

Plenissime his mandatis est satisfactum: Titius nihil deduxit, quin imo contra actionem Agnetis protestatus est, eam actionem affirmans legibus civilibus repugnantem.

Pro-Parochus qui Kadelburgii erat anno 1852 testatus est: et dictam instructionem quotannis perlegi, et Decretum Triden. a catholicis observari.

Sed quod magis interest, est testimonium Parochi Bonndorfiensis, qui ut suam relationem traderet requisitus, respondit:
« 1° in Paroecia Bonndorfiensi omni tempore, idque continuo
» iuxta normam cap. 1 Conc. Trid. sess. 24 de Ref. idest coram
» Parocho proprio et duobus testibus matrimonia celebrantur:
D 2° an et quando Conc. Trid. et Decretum de quo agitur.... in
» nostra parochia sit promulgatum e documentis probari non
» potest. Quare resolutio quaestionis generali subiacet regulae,
» quatenus nempe in locis mere catholicis, qualis reapse semper
» fuit Bonndorf, eiusque circuitus, Conc. Trid. Decreta pro pu-
» blicatis censeantur atque praesumantur... -3° Instructio matri-
» monialis prout habetur in Rituali Arch. indeque peculiare su-
» per matrimoniis coram Parocho et duobus testibus decretum
» prima quoque vel secunda Dominica Epiph. e suggestu sacro
» peragebatur: 4° acatholicis huius loci nec ante, neque post
» diem 11 Dec. 1852 propria erat ecclesia parochialis, neque Pa-
li stor proprius, sed catholicorum rebus divinis interesse consue-
ti verant. Evangelicos quos vocant, h. e. Protestanticos Bonndor-
» fu incolas, quo tempore matrimonium in quaest, contractum est,
» nulli fuisse incorporatos protestanticae parochiae, patet ex actis
» civilis iudicii, copulationem Titii extra fines regiunculae civi-
» lis factam concernentibus.»

Completetis itaque actis, exhibitis a Defensore matrimonii animadversionibus pro validitate, causaque in tribunali disceptata^ sententia pro nullitate matrimonii emissa est.

Defensor matrimonii iuxta notam Benedictinam Constitutionem appellavit ad tribunal secundae instantiae ad Episcopum, nempe Rottemburgensem ad quem omnia acta fuerunt remissa,- quique diligenter perscrutatus acta, tribunali primae instantiae suasit, ut causa remitteretur ad Apostolicam Sedem, prout illico- factum est.

Deveniente causa ad Apostolicam Sedem omnibus rite servatis, receptaque ampla Archiepiscopi relatione, habitisque actis, causa proposita est sub dubio quod prostat in calce.

Dissertatio syitoptica.

DEFENSIO AGNETIS SEU NULLITATIS MATRIMONII. — Ad tria praecipua capita Agnetis Defensor (1) orationem suam perstringebat y ostendebat nimirum 1° Decretum Tridentinum ***Tametsi*** in utrisque paroeciis locorum Bonndorfet Kadelburg fuisse promulgatum,, atque hodie utrobique vigere. Hoc nimirum caput ostendebat tum attestatione Archiepiscopi, qui in sua informatione rescripsit: ***Tam in parochia Bonndorfii, quam in parochia Kadelburg, qui pagi usque ad annum*** 1806 ***in dominio Austriae erant, caput L. Conc. Trid. sess.* 24 *de reform, matr. publicatum fuerat, et utroque loco pridem in observantia erat.*** Tum confessione ipsius Friburgensis Vindicis Matrimonii qui in prima causae instantia profiteri non dubitavit: « prae caeteris dicendum mihi videtur quod » ego qua Defensor Matrimonii etc. nequaquam innixurus sim» » argumento contradictionis ex eo sumpto quia Caput I. ***Conc. » Trid. sess.* 24 *de ref. matr.*** non fuisset publicatum. Nam apud » nos revera Tridentinum est publicatum, vel ut tale potest prae- » sumi, estque in vigore ; et si non expresse esset publica- » tum, ***consuetudine est receptum et usu, praxique vim habet)) legis. »***

Ac adducens notissimum principium: publicationem nempe dicti Decreti factam praesumi, ubi Decretum ipsum fuerit aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum Concilii observatum, subiungebat, adductis Parochorum utriusque oppidi testimoniis».

(i) Causam Agnetis dixit Salvator Martini Advoc.

«on solum servatam semper fuisse Concilii formam ipsumque Decretum quotannis evulgatum iuxta eorum locorum specialem providamque legem; sed etiam nuptias sine hac forma initas in opinione omnium nullitate irifectas haberi consuevisse.

Altero capite ostendere curabat: ubicumque viget Decretum ***Tametsi*** mixtas inter catholicos et haereticos nuptias coram acatholico ministro celebratas nullitate infici, iis tantummodo locis exceptis quibus peculiari RR. Pontificum venia secus sit indultum. Magna eruditione hoc alterum caput ostendebat Defensor auctoritate nimirum Card. Petra in ***comm. t.*** 4 ***ad Const.*** 12 ***Inn. XII. num.*** 19qui inter caetera tradit: « quinimmo in editione praefati
» Decreti considerati praesertim fuerunt Haeretici; nam ut refert
» Card.Pallavicini, ***Nelle lettere discorsive fol.*** 113, dum in Concilio
» de hoc Decreto agebatur, considerarunt nonnulli ex Patribus fu-
y> turuin inde fore ut cum haeretici hanc novam formam serva-
» turi non essent, identidem litigia quoad legitimitatem et iura
» succedendi suborirentur; adpositam idcirco fuisse conditionem,
» quod praefatum Decretum non alias robur haberet, nisi post
* mensem a die eius publicationis in unaquaque parochia facien-
dae.... Unde constat Concilium considerasse et comprehendisse
» haereticos, ut pluries declaravit S. Congregatio eiusdem Con-
» cilii interpres, praesertim die 26 Septembris 1602 -ibi - ***Hae-***
y> ***reticos quoque, ubi Decretum d. cap. I. est publicatum, teneri***
o) ***talem formam observare, et propterea ipsorum etiam matrimo-***
» nia absque forma Concilii, quamvis coram Ministro haeretico vel
» Magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse.» Item auctoritate Pigliateli» qui ***t.*** 5 ***const.*** 79 ***n.*** 29 inter alias huius generis S. C. C. Resolutiones, sequentem refert: « ***S. Congregatio censuit pronuntiandum esse invalidum matrimonium; quia Decretum S. Concilii publicatum in Parochiis, intra cuius limites isti contrahentes haeretici habitabant, eos obligavit post triginta dies a praedicta publicatione; quam sententiam Sanctissimus D. N. ad se relatam, approbavit ea ratione, quia domus habilatiotium dicuntur sub dictis Parochiis extare, et haeretici sunt subiecti iudicio Ecclesiae. »***

Ac eiusdem fuisse constantem Romanae Sedis doctrinam pluribus Resolutionibus adductis ostendebat, quas quidem Resolutiones referunt Roskovàny ***de Matrim, mixtis t.*** i ***pag.*** 493 •***edit.*** 1842, Ricther in opere ***Canones*** et ***Decreta Conc. Trid. Li-***

psiae 1853 ***ad sess.*** 24 ***de Ref. matr. §.*** 8, P. Perrone ***de Matr. Christ, lib.*** 2 ***sec.*** 1 ***cap. & art.*** 2, ubi eiusmodi quaestionem ex~ professo pertractans in ***art.*** 2 §. 3 ita concludit « Itaque extra » omnem dubitationis aleam positum est, coniugia mixta in lo- » cis ubi Tridentinum Concilium promulgatum est celebrata, « forma ab eodem Concilio statuta praetermissa, nulla pror- » sus esse, nisi expresso et speciali Sedis Apostolicae indulto » fuerit extensa Declaratio Benedictina. Idque valet sive aca- to tholici permixti sint cum catholicis, neque templa, ministros,)> cultumque distinctum habeant, sive coaluerint in societatem » distinctam cum suis templis ac ministris, nec non sive sub » Principe catholico sive sub Principe acatholico degant (1). »

At praeter plures Resolutiones adductas quibus S. C. C. in singulis casibus nulla declaravit matrimonia mixta, quae in locis legi Tridentinae subiectis contracta non fuerunt coram proprio catholico Parocho, idem servatum fuisse ostendebat etiam post celebrem Benedictinam Decretalem respicientem matrimonia in provinciis Hollandiae celebrata: inquiebat initio, eam neque extendi posse ad alia loca; et fundamentum eiusdem declaratoriae Decretalis esse repetendum ex non admodum certa Decreti promulgatione in Hollandia facta; idque eruebat ex Brevi Pii VII. fel. rec. ad Vicarium Dioecesis Trevirensis Hommer die 23 Aprilis 1817. quodque refert Roscovàny ***op. cit. t.*** 2 ***pag.*** 164: in eo autem Brevi sic legitur: « Iam quod pertinet ad fel. rec. Bene- » dicti PP. XIV. praedecessoris Nostri epistolam decretalem » circa matrimonia in Hollandia inita, duabus de rebus te esse .» ducimus admonendum: primum, minime illam, ut nunciatum » est Tibi, ad dioeceses Silesiae, quamquam in illis Concilii Tri- to dentini Decretum circa matrimonia publicatum esset, fuisse » extensam, imo vero vehemens dubium quod aderat utrum in » dioecesibus illis ea publicatio facta fuisset, praecipue ex causa » fuisse, ut ab Apostolica hac Sede ad eas Decretalis praedicta » extenderetur; alterum vero decretalem ipsam minime ad alias » regiones aut dioeceses extensam haberi unquam posse nisi pe- to culiari Decreto id ipsum a Sede Apostolica declaretur. »

Haec autem confirmabat Defensor ex iis, quae disputata fuerunt priusquam dicta Decretalis ederetur, quaeque referuntur

(1) Hanc tamen sententiam cl. vir ernollit sub fine articuli 3 loc. cit.

in citat. Opere ***Canones et Decreta:*** eminere scilicet inquiebat in eius causae actis votum Cardinalis de Alsatia Archiepiscopi Mechlinensis quem S. Congregatio de Voto rogaverat, qui in suo voto inter caetera scripsit: «Mihi valdedubium est an inHollandia etcon- » federatis provinciis sufficiens Concilii Tridentini publicatio facta » fuerit. » Et post alia idem Cardinalis prosequitur: « Aliud ag- » gredior quod pariter in facto consistit, nempe illam obtinuisse » praxim in foederato Belgio, ut matrimonia haereticorum abs- **it** que forma Concilii contracta ibidem rata ac valida habean- » tur, et quod coniuges ad fidem conversi non soleant ad de » novo contrahendum obligari. »

Atque insuper Secretarius S. C. in suis doctis copiosisque adnotationibus scripserat adversus argumenta quae pro publicatione Decreti afferebantur; scripsit scilicet: « At adversus haec » non levia sunt quae opponuntur, quaeque si non probant » omnino per negativam ut dici solet ***coarctatum,*** Tridentinum » in Hollandia aliisque confederati^ provinciis promulgatum non » fuisse, ***rem saltem videntur in magna dubietate constituere.»*** Et iterum §. **17 a** Quatenus enim vel eius publicatio non crederetur » rite peracta, vel Decretum illud haberetur tamquam vim le- **ti** gis obligatoriae non assecutum, utpote in iis regionibus nun- » quam usu receptum, prompta facilisque esset decisio pro va- **ti** liditate eiusmodi matrimoniorum. » Ac denique in exitu con- » clusfonum §. 54 haec idem Secretarius scripserat: « Haec enim » sola ratio, quod clare non constet de legitima illius promul- » gatione, sufficere potest, ut pro dictorum matrimoniorum va- » liditate tuto pronuncietur ad tradita per Doctores allegatos » sub num. **13.** Immo vero Sacram quoque Congregationem, » fuisse in sensu, quod in iis regionibus ubi non constet De- » cretum praedictum fuisse publicatum in parochiis intelligibili » idiomate, seu nunquam receptum et in usu positum, vel ipsius » memoria perierit, matrimonia coram non Parochis contracta » valida sint, apparet ex Resolutione emanata in ***Indiarum Orien- to talium Matrimonii*** **30** Mart. 1669, et confert etiam Rescri- » ptum prius editum in causa ***Poloniae*** **13** Novemb. **1638**

Quin imo supradictus Card. in suo voto post fere expletam iuris indaginem, ad dubium : « An expediat definitive declarare » ex auctoritate Apostolica matrimonia Hollandorum citra formam

» a Conc. Trid. praescriptam contracta nulla esse et invalida:» si affirmativo responso resolveretur, « ***talem decisionem,*** inquie- » bat, ***horrendum in modum obfuturam bono religionis in Hollan-)) dia*** ... Et salvo Sanctitatis Suae supremo oraculo iudico expe- » dire in re adeo perplexa, ut pro salute animarum et pro in- •» cremento fidei catholicae in foederatis provinciis (in quibus » Conc. Trid. sufficienter fuisse publicatum non constat) Sum- » mus Pontifex legem latam per Conc. Trid. ex suprema aucto- » ritate relaxet, et supra dicto impedimento novo cum incolis » provinciarum illarum dispenset. »

Atque inde arguebat Orator peculiarem fuisse eam Decretalem Benedicti XIV. valida declarantem matrimonia in Hollandia inita, neque ad alia loca fuisse extensam praeter ea de quibus in ipsa Decretali fit mentio.

Et sane quamvis ea Decretalis Belgium complecteretur, tamen ***Belgium Austriacum*** per eam non comprehendi Episcopi •existimarunt; cuius rei testimonium et eorum memorialis libellus ad Pium VI. missus est apud Roskovàny ***loc. cit. pag.*** 59, in quo inter caetera legitur: « ***indubium est Tridentinum Concilium in Belgio Austriaco promulgatum esse, nullumque Catholicum ibidem valide posse contrahere nisi servata lege dicti Concilii de assistentia Parochi etc. »***

Quin imo post ipsam Decretalem quae emissa est anno 1741, &liam prodiisse subiungebat Defensor S. C. C. Resolutionem anno scilicet 1742, in ***Augustana Matrimonii*** sub eodem Romano Pontifice, quamque refert etiam Perrone ***loc. cit.*** §. 3, in qua nullum declaratum est matrimonium Ulmae contractum in dioecesi Constantiensi a viro catholico dioecesis Augustanae cum muliere lutherana coram lutherano Ministro (1). Proindeque concludebat

(i) Expedit huius causae factum breviter expromere, quod magnam habet cum casu de quo agimus similitudinem. Marcus catholicus Augustanae dioeceseos postulavit declarari irritum matrimonium quod plures ante annos in urbe Ulmae -Contraxerat cum Anna lutherana coram Ministro lutherano, sub improba conditione ut proles nascitura in Religione matris educaretur: ex duplici capite inquiebat Marcus nullum fuisse coniugium **1.»** ex neglecta forma a Concilio statura: **2.°** ex pacto (ut ipse putabat) quo liberi nascituri in Religione lutherana educari deberent. S. Congregatio remisit preces ad Praesidem Consistorii Augustani ut is audita muliere significaret etiam «K?» ***Concilii Trid. decreta fuerint in Ulmensi Civitate promulgata, itidemque num forma ineundi Matrimonii ab lau-***

eamdem Decretalem ad alias regiones extensam haberi non posse, nisi peculiari Decreto idipsum a Sede Apostolica declaretur.

Quae quidem ulterius confirmabat ex Rescripto S. C. C. ad En'scopum Rosnaviensem die 20 Augusti 1780, quod Refert Roskovàny *oper. cit. t.* **1** *p.* 493 his conceptum verbis: ***Matrimonia haereticorum inter se coram Ministro haeretico inita dissimulari debere, ita ut nec de validitate nec de invaliditate eorum disputetur et sententia feratur; cum exinde non tam utilitatis fructus, quam offensionis ac periculi metus in perniciem Religionis catholi•cae esset expectandum. Matrimonia vero Catholicorum cum haereticis ab Apostolica Sede in aliquibus locis, cum impediri non possint, tollerari et ecclesiastica prudentia dissimulari, eademque, si sine impedimento dirimente coram Parocho catholico ineantur, valida quidem fore; sed Ecclesiam semper ab illis abhorruisse, nec unquam ea adprobavisse, verum per meram patientiam tolleravisse, quam nempe ad graviora mala vitanda imposuit necessitas.*** Et luculentius in Decreto S. Inquisitionis diei 13 Augusti 1849, quod refert P. Perrone ***loc. cit.*** §. 4 ***art.*** 3: ***Sanctissimus etc. audito Emorum Inquisitorum generalium suffragio ac referente me infrascripto S. I. Assessore in casu de quo agitur mandavit rescribi:***

dato Concilio praescripta consueverit ibidem aliquando servari. **Sed super hisce responsum ab eo Praeside haberi minime potuit: praeterea Episcopo Constantiensi literae datae sunt, qui ad singula «apita de quibus rogatus fuerat respondit:** *Ad primum: extare etiam num Ulmae ecclesiam catholicam a Canonicis Regularibus sancti Augustini inofficiatam, ad quam, (aliis dictae civitatis ecclesiis ab heterodoocis occupatis) cura animarum et iura parochialia translata sunt, et in hac Decretum s. Concilii Tridentini fuit promulgatum et etiam num conformiter statidis synodalibus huius dioecesis Constantiensis singulis annis promulgatur. Ad secundum: a catholicis, quorum aliquot familiae usque in praesentem diem Ulmae habitant, dictum Decretum sacri Concilii Tridentini inviolabiliter observatur. Ad tertium: adest et semper adfuit Ulmae Parochus catholicus,* ***qui*** *sacramenta administrat et a quovis catholico commode adiri potest.*

Ex officio nihil in iure animadvertebatur, cum recens esset causa amplissime disputata in *Iprensi Visitationis SS.* ***Liminum,*** **quae occasionem praebuit celebri laudatae Decretali Benedicti XIV. Observabatur tamen « saepe pro huius» modi matrimoniorum nullitate prodi» isse responsum si non constiterit, ea sic » inita fuisse in locis, in quibus Triden» tini Decreta fuerint aliquando promul» gata,ac etiam usu recepta, sique ibidem » Parochus catholicus commode potuis» set adiri.»**

Proposito autem dubio: « an constet » de nullitate Matrimonii in casu: » responsum prodiit affirmativum.

si vera sunt exposita satis constare matrimonium quod anno 1832 ***catholica N. contraxit cum viro protestante N. sine praesentia Parochi catholici fuisse nulliter contractum, ac proinde, si illud nunquam fuit revalidatum, posse eamdem N. transire ad alias nuptias: cum viro tamen catholico, dummodo nullum aliud obstet impedimentum, praevia etc.*** Et iterum ***art.*** 2 §. 3 idem Auctor refert responsionem datam ad Vicarium Apost. Bredcnsem , qui mense Decemb. an. 1828 exposuerat: « In provinciis catholicis Belgii de » tempore in tempus detestabilia coniugia inter catholicos et » acatholicos ineuntur coram magistratu civili, non servata forma » a Tridentino praescripta: quod cum declaratio sa. mem. Bene- » dicti XIV. circa matrimonia Hollandiae data 4 Novem. 1741,, » ad provincias catholicas Belgii hactenus, ut putamus, extensa » non sit, de valore istorum matrimoniorum non constat, quod » non raro contingit, quod tali modo coniuncti homines ad no- » strum tractum qui est in confinio dictarum provinciarum, de- » veniant, ac in eo ut legitimo matrimonio iuncti vivant. Quam- » obrem Confessarii magnopere torquentur , ignorantes quo- » modo sit procedendum cum parte catholica, si poenitens ad » tribunal poenitentiae sese praesentet; nam admonere de ma- y> trimonii nullitate non audent, nec ut reor expedit propter » maiora mala inde verisimilius secutura, cum civile legitimum- » que habeatur tale coniugium. Quare EE. VV. humiliter rogo,, » ut modum mediumque aliquod tuto procedendi in casu prae- » scribere dignentur: » Quibus responsum est: S. ***Sedes, ubi Decretum Concilii Tridentini publicatum fuit, neque fuit extensa declaratio Benedicti XIV., tamquam nulla habet matrimonia celebrata contra formam Tridentinam; ideo recurrat in casibus particularibus pro opportuno remedio.***

Non negabat autem Defensor dari posse, et dari circumstantias in quibus etiam in locis ubi promulgatum fuerit Decretum Tridentinum matrimonium valide contrahi sine praesentia proprii Parochi; at eiusmodi circumstantias circumscribebat ad casus necessitatis in quibus nec Parochus, nec vicarius Parochi deputatus existat, vel iis ob metum et acatholici Principis persecutionem latentibus, ignoretur quonam loco sint, vel ad ipsos nequeat tutus haberi accessus, modo servetur, quantum caeteroquin fieri potest, forma a Tridentino praescripta, videlicet ad-

bibitis saltem duobus vel tribus testibus, ut pluries declaravit S. C. C.

His itaque ampie expositis gradiebatur Orator ad tertium suae defensionis caput, quo haec quae disputaverat ad praesentem quaestionem applicabat.

Ostendebat nimirum Decretalem laudatam nunquam ad Friburgensem dioecesim fuisse extensam, quamvis enixe ab Archiepiscopo Friburgensi, ac Suffraganeis id fuerit postulatum **(1).**

(1) Praeclarum hoc documentum, quibus uterque Defensor quisque pro sua ratione in hac causa usus est, heic referimus prout referebatur in *Summario* a Defensore Agnetis concinnato.

SANCTISSIME PATER!

« Nostrum Episcoporum Provinciae Rheni superioris quam maxime interest, ut per sententiam Summae Sedis omne vel minimum dubium explicite tollatur de matrimoniis sive pure acatholicis, sive mixtis, tantum coram ministro acatholico (adeoque non servata Concilii Tridentini forma) contractis.

«Sanctissime Pater! recipe, quaero paterno corde, quam, et quatuor comprovincialium Episcoporum et meo nomine, ad Solium Tuum humillime pono petitionem (eandem, quam sub die 29 Ianuarii 1863 iam proposuimus) scilicet:

» Ut ad tollendum omne dubium circa matrimonia mixta, non observata Concilii Tridentini forma contracta; ad evitanda quaecumque mala aut pericula, si valor matrimoniorum mixtorum, aut pure acatholicorum negaretur; ad anxietates omnes conscientiae amovendas; praecipue vero, ne Catholici vexationibus ac persecutionibus exponantur, attentis peculiaribus circumstantiis in regionibus nostris concurrentibus, pro Summae Sedis Tuae potestate, ac in universum Christi gregem clementia.

» Breve Gregorii XVI. *Summo iugiter studio* die 27 Maii 1832 una cum instructione Cardinalis Bernetti ad Bavariae Episcopos die 12 Septembris 1834 atque

» Breve eiusdem Summi Pontificis Gregorii XVI de matrimoniis mixtis die 30 Aprilis 1841: *Quos vestro et communi,* una cum Instructione Cardinalis Lambruschini die 30 Aprilis 1841 ad Hungariae Primatem et Episcopos, atque

» Breve Pii VIII. *Uteris altero abhinc anno* die 25 Martii 1830 cum Instructione Cardinalis Albani die 27 Martii 1830 ad Archiepiscopum Coloniensem, Episcopos Trevirensem, Paderburnensem et Monasteriensem, nec non

» Instructionem ad Archiepiscopos et Episcopos Austriacae Ditionis in faederatis Germaniae partibus die 22 Maii 1841 datam, non tantum tacite tolerare, sed publica et *expressa declaratione* (aut, si placet, per Breve Apostolicum) ad totam Provinciam ecclesiasticam superioris Rheni, Archiepiscopatum Friburgensem, Episcopatus Moguntinum, Fuldensem, Limburgensem, ac Rottenburgensem, extendere gratiosissime digneris.

» Santissime Pater! Quae Sacra Sedes Apostolica provinciis ecclesiasticis Germaniae nominatis concessit, et nobis concede. Gratiam hanc a Corde Tuo patrem in obedientia canonica enixissime efflagito; et ad genua Sanctitatis Tuae provolutus sincerissima devotione benedictionem Apostolicam pro memetipso nonagenario, pro quatuor Episcopis Suffraganeis, confratribus meis dilectissi-

*

Ostendebat non viguisse necessitatis casus in quibus matrimonium valide contrahitur coram duobus vel tribus tantum testi bus absque praesentia Parochi, quod quidem satis patet ex ***facti compendio*** supra enarrati.

Reiiciebat insuper quasdam difficultates petitas ex ***delegatione,*** quam videbatur Parochus proprius dedisse e literis testimonialibus supra allegatis, quibus dixerat: ***sponsalia inter... inita... fuisse, neminemque huic connubio contradixisse, ita ut quominus matrimonium in Kadelburg contrahatur, a parte nostra nihil impediat ego testor, rogans simul Parochum magno-ducalem ut copiam e libro matrimoniorum decerptam de facta copulatione mihi communicet.*** At praeterquamquod heic agitur de literis dumtaxat ***testimonialibus*** -quae iuxta morem eorum locorum hisce casibus dari a Parocho catholico debent, animadverterat Defensor easdem literas etsi continuissent de delegatione mandatum, eiusmodi delegationem subsistere non potuisse: ita enim cum communi sententia Reiffenstuel in ***I.*** 4. ***decret, tit.*** 3 ***n.*** 81, «Licentia assistendi » matrimonio debet necessario dari tali, qui Sacerdos sit.... Ra-

simis, ac pro universis gregibus nostris clementia summopere confisus de Tua exoro; ad cineres usque perseverans.

Sanctitatis Tuae

friburgi Brisgoviae in Festo S. Petri ad vincula, die *i* Augusti 1864.

Humil. fidelis, ac demisis. servus, et in Christo Iesu filius.

f Hermannus
Archiepiscop. Friburgen.

» DECRETUM. ***Illustrissime ac Rme Domine uti frater. Ea omnia quae accurata expositione a Te ipso iteratis postulationibus et ab Episcopis suffraganeis tuis Rottenburgensi, Fuldensi et Moguntino ad Apostolicam Sedem der lata sunt, ut, quae a Summis Pontificibus Pio VIII. et Gregorio XVI. pro dioecesibus in Rhenana provincia, in Bavaria et Hungaria concessa fuere, ad totam istam ecclesiasticam provinciam extendantur , matura consideratione examinata sunt ab hac Suprema s. Officii Congregatione, cuius iudicio haec negotia de more committuntur. Non est cur dicam, Emos Cardinales, qui una mecum Inquisiturum generalium munere funguntur, sollicitos admodum esse ut rem gratam facere possint Episcopis suffraganeis tuis, et tibi potissimum , qid adeo bene de re catholica mereris; caeterum omnibus rationum momentis hinc inde ponderatis concludi debuit, non expedire, ut in re de qua agitur, in quatuor istis dioecesibus aliquid innovetur, nec ut ad eas applicentur, quae pro aliis dioecesibus concessa aut declarata fuere.*** »

» ***Ne te pigeat hanc responsionem cum tribus Episcopis superius memoratis communicare, dum interim fausta atque felicia omnia tibi precor a Domino.*** »

» Amplitudinis tuae.

» Romae die 17 Martii 1865.

Addictissimus uti frater

C. Card. PATRÌZI.»

» tic-, est quia Concilium Tridentinum loc. cit. expresse requi-
» rit ut delegandus sit Sacerdos: - ibi-*vel alio Sacerdote* - quae
» verba iuxta communem intelligentiam intelligi debent, ***arg. c.***
» Ex literis de sponsalia Diaconum vel Subdiaconum aut alium
» Clericum ***non Sacerdotem extendi minime possunt;*** cum nomine
» Sacerdotis iuxta communem intelligentiam nonnisi Presbyter
» intelligatur. Accedit praxis ac consuetudo Ecclesiae, optima
» legum interpres. »

Alteram obiectionem reiiciebat Defensor petitam ex ***putativa*** acatholici Ministri facultate, quasi vero si non ex lege, idoneus saltem censendus esset ex opinione ac bona fide: quam difficultatem ex eo repellebat Defensor quod docet Reiffenstuel ***loc. cit. n.*** 73 de Parocho putativo ; errorem nempe ***communem*** supplere quidem defectum et iurisdictionem illius de quo communis error est, non autem supplere errorem ***privatum*** contrahentium. Subiungebat autem Orator, eiusmodi errorem in facto haberi non potuisse, cum constaret Tridentinae Synodi Decretum quotannis publice in ecclesiis parochialibus legi consuevisse, et doceri nullum esse matrimonium non servata Tridentina forma.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI MATRIMONIALIS. — Vinculi Defensor ut Matrimonii validitatem ostenderet, super quinque capitibus verba fecit, ex quibus nonnulla colligere curabimus, maxime documenta, quae ad quaestionem faciunt: primo loco itaque non demonstrari inquiebat Tridentini Decreti ***Tametsi*** publicationem in Paroeciis locorum Bonndorf et Kadelburg. Namque non esset satis si probaretur publicationem fuisse factam in archidioecesi Friburgensi, sed ostendi deberet factam nominatim fuisse in ipsis paroeciis de quibus loquimur: proindeque non sufficere opinionem Archiepiscopi publicationem asserentis, maxime quia dixerat ***pagi usque ad annum*** 1806 ***in dominio Austriae erant;*** ex hoc enim argui non potest facta promulgatio : idem autem impetebat de assertione Defensoris matrimonii apud Friburgensem curiam , maxime cum hic loquutus fuit dubitative: ***vel ut tale potest praesumi, estque in vigore; et si non expresse esset publicatum etc.*** ac similia animadvertens, affirmabat in praesent" themate rigidas districtasque probationes promulgationis Decreti requiri, minime autem coniecturas sufficere. Sed umbras praeterea suffundens super Decreti observantia (de qua redit quae-

stio in tertio defensionis capite) concludebat verbis, quibus in celebri quaestione de matrimoniis Hollandiae celebratis, utebantur quidam eorum qui validitatem matrimoniorum sustinebant, quaeque refert Benedictus XIV. ***de Syn. dioec. I.* 6. *c.* 6. §. 7.**

At gradum faciens ad alterum defensionis caput inquiebat : etsi Decretum publicatum esset, eo tamen non ligari Titium haereticum, eumque rite contrahere matrimonium cum Agnete valuisse coram Ministello: id autem ostendere curabat ex eorum sententia, qui tradunt, valide contrahere haereticos coram suo Ministro; maxime autem ex Brevi sa. mem. Gregorii XVI. dato ad Episcopos Bavariae die 28 Maii 1832: ***«Post haec vix est ut aliqua addamus de aliis illis longe gravissimis casibus matrimonii inter catholicos et haereticos contrahendi, in quibus pars acatholica haberet viventem adhuc priorem coniugem a qua divortio seiuncta fuerit. Nostis Venerabiles Fratres, quanta ex divino iure sit firmitas matrimonialis vinculi, quod separari humana auctoritate non potest. Quare matrimonium mixtum in eiusmodi casibus non modo illicite fieret, sed nullum prorsus atque adulterinum foret ; praeter quam si priores illae nuptiae, quas haeretica pars divortio dissolutas esse autumat, irritae omnino fuissent propter aliquod, quod illi vere obstiterit, canonicum dirimens impedimentum. Porro in postremo hoc casu non solum servanda erunt ea omnia, quae supra dicta sunt, sed cavendum insuper, ut novum ipsum matrimonium non permittatur, nisi postquam causa primi connubii ab haeretica parte iam antea initi cognita fuerit ecclesiastico iudicio ad canonum normam exacto, quo connubium idem fuerit irritum declaratum.))*** Ex quo documento inferebat, coniugia haereticorum inita etiam in regionibus quae subsunt Principi Catholico (ut est Bavariae rex) a Romano Pontifice firma et valida reputari, ita ut non obstante civili divortio, exurgat impedimentum ***ligaminis,*** quod existere non posset, nisi verum esset connubium; proindeque Titium, quem utpote haereticum a lege Tridentina dicebat solutum , rite contraxisse , et ex indi viduitate contractus exemptionem Agneti tribuisse.

Ad tertium defensionis caput gradum faciens inquiebat observantiam plusquam centenariam celebrationis Matrimonii mixti coram Ministellis antiquum Concilii Decretum ex desuetudine abolevisse. Atque ante omnia tradebat ea quae leguntur in Brevi

Pii VII. ad Arch. Mogunt. dato die 8 Octob. 1803, quo propositio: ***Matrimonia haereticorum coram Ministro acatholico inita generatim nulla esse, utque adeo validas fore secundas eorum nuptias , si modo coram catholico Parocho contrahantur, nec undique vera 'est nec satis tuta, neque idcirco in praxi quibuscumque in casibus indiscriminatim sequenda. Probe enim novit Fraternitas tua huius generis matrimonia rata et firma consistere iis in locis in quibus Concilii Tridentini Decretum vel nunquam publicatum fuit, vel nunquam observatum tamquam eiusdem concilii Decretum, vel, siquando observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem, abiit.***

Ad probandum itaque Decretum in desuetudinem iis in locis abiisse ostendere adnitebatur per integrum saltem saeculum matrimonia mixta iugiter in Magno Ducatu Badensi celebrata fuisse coram Ministellis, atque universalem opinionem viguisse de horum matrimoniorum validitate; solummodo exortas identidem fuisse controversias circa educationem prolis. Ut iiaec evinceret plura cumulabat Orator historica sive civilia sive ecclesiastica documenta, quae de matrimoniis mixtis loquuntur in eodem Ducatu celebrata, quaeque exponit Roskovàny in ***oper. >cit.*** Et sane hic Auctor ***tom.*** 1 ***pag.*** 100 narrat, in Marchionatu Badensi legem a Gubernio fuisse conditam die 25 Aprilis 1750 de matrimoniis mixtis nunquam celebrandis sine speciali indultu Gubernii: (ex quo arguebat Orator, antea iam fuisse libere celebrata) eiusmodi legem perdurasse usque ad annum 1803 quo tempore per Edictum die U Febr. eiusmodi legem fuisse abrogatam et iterum facultatem concessam matrimonia mixta libere ineundi. In hoc autem Edicto sequentia praescribi iuxta ea quae idem Auctor refert, ante nuptias, scilicet liberum esse sponsis pacta inire in quanam religione prolem suam educare velint ; «ed pacta haec immutari aut nova durante coniugio iniri haud posse ; in defectu pactorum omnem prolem in confessione religiosa patris educanda esse : copulationem a quonam Parocho suscipiendam arbitrio sponsorum relinqui, sed partem illam cuius Parochus copulationem non peragit, testimonialibus literis de institutis promulgationibus provideri debere; quod si demum pars alterutra contrahentium per proprium insuper Parochum copulari cuperet, nil obstare quominus id fieret.

Cui Gubernii Edicto alterum accessit die 11 Maii 1807 ***de religiosa educatione prolis e mixtis connubiis,*** quod refert idem Auctor ***tom.*** 2 ***p.*** 112., iuxta quod religiosa educatio prolis perficienda esset generatim inspecta religione patris ; si quae vero praeexistant parentum conventiones legitimae et ante nuptias initae, iuxta easdem esset educanda; conventiones durante matrimonio inverti non possent; per pacta demum educationem iuxta sexum parentum dividere integrum quidem esset , at omnem prolem in Religione matris, iis tantum in locis educandam determinare liceret, in quibus Religio, quam mater profiteretur, pleno iure liberi exercitii perficeretur.

Cum tamen Archiepiscopus Friburgensis (prosequebatur Orator) ex binis hisce Edictis an. 1803 et 1807 cerneret matrimonia passim contrahi coram Ministellis absque ullo interventu Parochorum catholicorum, Edictum ecclesiasticum et ipse proposuit die 5 Martii 1830, quod refert idem Auctor ***tom.*** 2 ***pag.*** 135, atque in eo inculcavit, ***ut dum partes mixtum connubium contrahentes Minister acatholicus copulat, partem catholicam eo promovere Parochi satagant, ut ipsa benedictionem iuxta ritum catholicum a suo parocho recipere non intermittat, ne gratia sacramentali excidat;*** item si uxor catholica esset, hanc eo Parochi catholici flectere adniterentur, ut sponsum ad promittendam educationem catholicam omnium filiorum adduceret: si e contra» catholicus esset vir, solerter intenderent, ne per pacta dispositionem legis pro hoc casu educationi catholicae faventem ipse eluderei.

Ex quibus inferebat Defensor in animo fuisse Ordinariatus Friburgensis, validam saltem fore matrimonia mixta coram Ministellis celebrata, quamvis illicita.

Recolebat deinde Orator Breve Pii VIH. ad Episcopos Rhenanos missum , idest ad Archiep. Coloniensem et ad Episcopos Trevirensem, Paderbornensem et Monasteriensem die 25 Martii 1830, quo mixtis matrimoniis reprobatis iuxta ss. canonum disciplinam praescriptisque cautionibus, de eorum validitate edixit: ***volumus et mandamus ut matrimonia mixta, quae posthac in vestris dioecesibus contrahi contingat, non servata forma a Concilio Tridentino praescripta, si eisdem nullum aliud obstet canonicum dirimens impedimentum, pro ratis et veris connubiis habeantur***

prout Nos auctoritate Apostolica Matrimonia ea vera ac rata fore declaramus atque decernimus. Quocirca catholicae personae... a sacris Pastoribus edocendae erunt, ipsas verum et ratum coniugium inivisse. Cui congruit subsequens ***Instructio*** quam idem Pontifex, ad eosdem Episcopos mitti iussit, qua inter caetera matrimonia antea contracta sanavit ***in radice.***

Post haec enarrabat Orator id quod refert saepe laudatum Reskovàny ***tom.*** 1 ***pag.*** 334, nimirum Archiepiscopum Friburgensem paullo post Pontificium Breve, exemplum aliorum Episcoporum imitatum, ***se accedere*** legibus Gubernii declarasse iuxta tamen normas per ipsum Breve Pii VIII. ad dictos Episcopos missum praefinitas ; cui responsum a Gubernio datum fuisse,. nullas quidem Archiepiscopo in praxi difficultates positum iri, illos tamen de Clero Curato protectionem ex parte Gubernii nacturos, qui leges quoque civiles incunctanter observarent: ne autem protectioni huiusmodi praeberetur occasio, Ordinariatum Friburgensem frequentibus monitis, sacros Curiones ad rite observandas Ecclesiae cautiones exhortatum esse.

Ex quibus inferebat Orator matrimonia mixta potissimum celebrata fuisse coram Ministellis.

Aliud afferebat documentum quod refert idem Auctor ***tom.*** 2; ***pag.*** 257 quo an. 1840 Clerus Friburgensis synodum dioecesanam celebrari ab Archiepiscopo postulabat, ut remedia afferrentur malis quibus ecclesia sub dominatu Principum et servitute afflictabatur, tum praesertim ob « ***infausta illa de matrimoniis » mixtis quorum adhuc sub iudice lis est, dissidia,*** et exinde pere-
» ditatam progeneratarum probum in catholica fide educatio-
» nem; quam ob rem non minus Episcopos catholicos inter et
» Principes protestanticos pax turbata auditur, quam et inter
» utrumque religionem diversam profitentem populum lapis la-
» pidem terit, dum de iisdem cogitandi eaque tractandi vel inter
» ipsos animarum Pastores maxima, quam ignorare non possu-
» mus, praevalescere solet diversitas , atque leges e contrario
» non raro positae se invicem de medio tollere minantur et
» animos partes in diversas trahere deprehenduntur. »

Quibus Archiepiscopus Friburgensis die 21 Febr. 1840 audito sue senatu respondit : ***quaestiones istas non Badenses esse, sed***

"Germanicas, adeoque non synodo aliqua dioecesana, nec 'provinciali eliam, sed nationali tantum solvendas.

Addebat denique Breve Gregorii XVI. die 27 Maii 1846 ad Archiepiscopum Friburgensem missum in cuius exordio Archiepiscopum dolere cernitur ***de deploranda in istis regionibus catholicos inter et acatholicos matrimoniorum frequentia, deque civilis in eiusmodi nuptiis agendi ratione (i).***

(1) Integrum documentum est seguen;tis tenoris prout in *summario* Defensionis nullitatis matrimonii allegabatur.

GREGORIUS **PP. XVI.**

« Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Bened ictionem.

» Non siue gravi animi nostri moerore iam noscebamus, Venerabilis Frater, quae Tuis literis die 7 proximi mensis Martii ad nos datis dolenter significabas de deploranda in istis regionibus catholicos inter et acatholicos matrimoniorum frequentia, deque civilis potestatis in eiusmodi nuptiis agendi ratione. Compertum enim exploratumque est, catholicos seu viros seu mulieres, qui mixtis nuptiis temere contrahendis se ac prolem inde suscipiendam in perversionis periculum iniiciunt, contra naturalem divi— namque legem peccare. Quam sane legem sartam tectamque tueri contendit Ecclesia et haec Apostolica Sedes, seu in generali ipsarum nuptiarum prohibitione, seu in cautionibus, quas iure suo exigit, cum ob graves aliquas causas ea coniugia aegre admodum sinit, ut scilicet non solum catholicus coniux ab acatholico perverti pnn possit, quin potius ille teneri se sciat ad hunc pro viribus ab errore retrahendum , verum etiam ut proles utriusque sexus ex hisce matrimoniis procreanda in catholicae Religionis sanctitate omnino educari debeat. Quamobrem, Ven. Frater, meritis Te in Domino laudibus summopere prosequimur, quod pro Episcopalis tui ministerii officio in tanti momenti rem curas cogitationesque merito convertens, Ecclesiae de mixtis matrimoniis doctrinam eiusque libertatem tueri, vindicare studueris, ac pastorali robore et constantia exortos abusus de medio tollere, tuisque praesertim parochis saepius praecipere, mandare non destiteris ut in huiusmodi nuptiis Ecclesiae regulas a JNobis et Praedecessoribus nostris tanto studio ineulcatas religiosissime servent. Et quidem quod ad benedictionem attinet, eam, veluti optime noscis, haec Apostolica Sedes prohibere consuevit in illis quoque matrimoniis, quae inter catholicos et acatholicos ineuntur, impetrata eiusdem Sedis venia, atque adhibitis cautionibus in illa praescriptis. Atque etsi deinde tolerari potuerit, ut mos in nonnullis regionibus inductus servaretur benedicendi matrimoniis mixtis initis cum Ecclesiae venia et praedictis cautionibus, nunquam tamen toleranda est eadem benedictio in iis casibus, in quibus nulla accedente Ecclesiae venia , nec praeviis necessariis cautionibus, manifestum idemque gravissimum admittitur crimen in ipso matrimonii foedere ineundo. Nunquam enim tolerari debet, ut sacrilegis hisce contractibus sacri ritus admisceatur, et Sacerdotes Dei videantur suo facto probare, quod ore illicitum esse edocent et praedicant. Atque id probe sentiunt adversarii nostri, qui certe in huiusmodi nuptiis de catholici Sacerdotis benedictione minime laborarent, nisi intelligerent, illam conducere ad extenuandam, atque adeo ad obliterandam sensim in catholici populi animis memoriam cano-

Haec autem omnia breviter Orator colligens, quatuor diversis epochis distinctis, concludebat, semper in Magno Badensi Ducatu contracta fuisse mixta coniugia citra formam Concilii Tridentini et coram Ministellis], semperque valida credita fuisse : proindeque etiamsi certo constaret promulgatum fuisse Decretum Tridentinum longo tamen temporis intervallo in desuetudinem abiisse inquiebat.

num qui haec detestantur connubia, et constantissimi studii, quo S. Mater Ecclesia filios suos avertere consuevit ab iisdem coniugiis in eorum futuraeque prolis perniciem contrahendis. Nostri scilicet contradictores cognoscunt, si res ex eorum votis succederet, facile inde futurum, ut catholicae potissimum foeminae aut licita, aut non graviter illicita existimarent ea coniugia, quae sacris Ecclesiae ritibus et sacerdotali benedictione honestari viderent. Atque haec consona sunt praeceptionibus et monitis, quae sive in Nostris, sive in Decessoris Nostri Pii VIII. ad diversos Archiepiscopos et Episcopos litteris sive Instructionibus aut Eius aut Nostro iussu editis consignata fuisse cognoscis Ven. Frater. Nec vero refert, si ad nonnullos tantum Antistites , qui hanc Apostolicam Sedem con«uluerant, illae Instructiones datae sunt, quasi aliis liberum sit illarum non sequi sententiam. Euimvero non agitur hic de aliqua nova lege a Nostro Praedecessore aut a Nobis inducta, quum uterque nostrum eo potius spectaverit, ut pro locorum adiunctis emolliremus , quoad fieri posset, disciplinae severitatem et ea simul inculcaremus, quae pravis usibus tollendis sanae doctrinae deposito custodiendo ac matrimonii sanctitati, Catholicae Religionis incolumitati, et animarum saluti tuendae necessaria iudicavimus. Itaque etiamsi litterae et Instructiones illae, in qua parte aliquid novi indulgent vel tolerant, ad ea tantum referuntur loca, pro quibus datae sunt, nullis tamen limitibus illarum circumscribitur ratio quatenus incommutabilem annunciant Ecclesiae doctrinam , canonumque inculcant sententiam, et pravos, qui alicubi invalescebant, usus proscribunt. Atque huc pertinent, quae hac de re a nobis indicata fuerunt in pluribus Allocutionibus ad Ven. Fratres nostros S. R. E. Cardinales in Consistorio IV Id. Dec. 1837 idibus Sept. 1838 et postridie Non. Iulii 1839 habitis, quas statim typis in vulgus edi iussimus.

» Haec Tuis commemoratis litteris rescribenda sensimus, Ven. Frater ut alacriori usque studio et firmitate omnes boni Pastoris partes implere, atque in tanti momenti negotio Ecclesiae causam propugnare pergas, nihilque intentatum reliaquas, quod ad Tui gregis salutem procurandam pertinere posse cognoveris. Nos quidem pro officii nostri munere quantum cum Domino poterimus, haud omittemus omnem operam adhibere, ut sacrae istic res Deo bene iuvante in meliorem conditionem adducantur. Interim vero dum Tibi de pastorali Tua sollicitudine vehementer gratulamur, nostrae in Te praecipuae benevolentiae testem ac coelestium omnium munerum auspicem Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam Tibi ipsi Vener. Frater, et omnibus istius Ecclesiae Clericis Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

» Datum Romae apud Sanctum Petrum die 23 Maii 1846.»*

Quin imo ex ipsa ratione qua se gessit Parochus in praesenti themate, valida eiusmodi matrimonia reputari affirmabat. non enim Parochus Bonndorfiensis contrahentes amandare potuisset ad Ministellum si haberetur periculum dumtaxat nullitatis, **BC** fidem peracti coniugii penes se retinuisset et in libro matrimoniorum descripsisset.

His aliisque adnotatis ad quartum progrediebatur suae defensionis caput, ostendens, in dubio super validitate matrimonii pro validitate eiusdem esse pronunciandum; agitur enim de vinculo ex iure divino inducto, quod humana auctoritate solvi non potest. Ex hactenus autem adductis si de validitate matrimonii in praesenti themate non constaret, grave tamen haec omnia ingerere dubium de eadem validitate, concludebat.

Denique quinto defensionis capite confutare studuit ea quae a contrario Oratore ad nullitatem ostendendam adducta sunt, et nominatim inquiebat, observantiam Decreti in paroecia Bonndorfiensi etsi vigeret in matrimoniis inter catholicos celebrandis, eamdem tamen excludi sive in matrimoniis inter acatholicos, sive in mixtis, quod iterum ex ipsa ratione agendi Parochi Bonndorfiensis ostendere curabat, ac si haec agendi ratio consuetudinem in matrimoniis mixtis ineundi diversam omnino esse ostenderet.

Maxime cum eiusmodi methodus a Parocho servata nova non esset, sed originem duceret, ex variis civilibus legibus, et episcopalibus praeceptionibus.

Falsum autem esse inquiebat principium quod contrarius Orator secundo loco ostendere est aggressus, nimirum: ubicumque Decretum ***Tametsi*** viget mixtas nuptias coram acatholico Ministro celebratos nullitate infici, iis tantummodo locis exceptis ad quae ex speciali venia R. Pontificis Benedictina declaratio extensa est : his enim opponebat allegatum Breve Pii VII. ad Archiep. Moguntinum quo valida matrimonia dicuntur si Decretum in desuetudinem abierit.

Quod si Archiepiscopus caeterique Badenses Episcopi instantissime petierint die 1 Augusti 1864 a SSmo ut Benedictina declaratio suis locis applicaretur, hoc fecisse inquiebat Orator non ***ex necessitate sed ex utilitate,*** ut nimirum « ***omne vel minimum dubium explicite tolleretur de matrimoniis sive inter acatholicos, sive***

mixtis tantum coram Ministro acatholico contractis - et ad tollendum omne dubium circa matrimonia mixta, non observata Concilii Tridentini forma contracta - ad anxietates omnes conscientiae amovendas: quod quidem factum fuerat in pluribus Germaniae provinciis.

Dubium.

« An sententia Curiae Archiepiscopalis Friburgensis sit con- » firmanda in casu. »

RESOLUTIO. — Sacra Congregatio Concilii causa discussa in comitiis habitis die **1** Decembris 1866 respondere censuit: ***Sententiam esse confirmandam, et Archiepiscopus moneat Parochum, ut in posterum cautius se gerat in relaxandis litteris testimonialibus.***

Ex HIS COLLIGES:

I. Certum esse penes Apostolicam Sedem principium : matrimonia mixta aut haereticorum ad normam Tridentini non contracta, ubi Decretum ***Tametsi*** publicatum est, et viget, nulla generatim esse.

II. Haeretici enim sacro abluti baptismate characterem indelebilem divinae filiationis (in propriam quidem perniciem contractum) praeseferentes, quamvis ab arbore vitae sua culpa divulsi, Ecclesiae potestatem declinare non possunt, quae ad eos omnes sese potest extendere, qui Christi Domini perpetuo charactere sunt signati.

III. Decretum autem ***Tametsi,*** tum ex mente Patrum Tridentinorum, tum ex constanti Sanctae Sedis et Ecclesiae praxi, haereticos quoque comprehendere, qui in parochiis Decreto subiectis degunt.

IV. Quare omnes quaestiones multipliciter implexas, quae circa eiusmodi matrimonia oriuntur, non quidem in iuris principio, sed in applicatione principii eiusdem ad singula factorum et locorum adiuncta totas versari (1).

V. In praesenti autem casu Decretum in parochia utriusque sponsi viguisse, utrosque proinde sponsos eidem fuisse subiectos.

(1) De hac re alia occasione fusius loquemur.

VI. Quare duplici ratione neglecta Tridentina lege, tum scilicet ex defectu praesentiae catholici Parochi, tum etiam ex defectu legitimi territorii sine debita delegatione, matrimonium, fuisse nullum.

EX S. CONGREGATIONE SS. RITUUM

BEATIFICATIONIS

SEU DECLARATIONIS MARTYRII

VENERABILIUM SERVORUM DEI

ALPHONSI NA VARRETE ORDINIS PRAEDICATORUM
PETRI DE AVILA ORD. MIN. S. FRANCISCI
PETRI DE ZUNIGA ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI
CAROLI SPINULAE SOCIETATIS IESU
IOACHIMI PIRAIAMA SEU DIAZ, LUCIAE PLEITES
ET SOCIORUM TAM EORUMDEM ORDINUM
QUAM ETIAM SAECULARIUM

SUPER DUBIO

An Tuto procedi possit ad eorumdem Venerabilium Servorum Dei Beatificationem?

DECRETUM. « In mirabili Apocalypsis visione Ioannes Evangelista vidit ***subtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei,*** vocemque audivit illis dicentem, ***ut requiescerent donec complerentur conservi eorum et fratres qui interficiendi essent sicut et illi.*** Magna in hac coelitum fratrum, conservorumqwe turba, quam dinumerare nemo potest, saeculo decimoseptimo ineunte, recensiti profecto*fuere quinque et ducenti Martyres, qui magnam perpessi tribulationem ***laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni;*** iique albis amicti stolis, palmasque in manibus gestantes ex laponiae oris venerunt, et ante thronum Dei et in

conspectu Agni constituti serviunt ei die ac nocte- Quod Ioannes in visione futurum praeviderat, nunc nobis factum supremo* Sedis Apostolicae magisterio innotuit. Cum enim praeclarissimum Iaponensium Martyrum certamen penes Sacrorum Rituum Congregationem pluries ad trutinam vocatum fuisset, Summi Pontificis Ven. Innocentii XI. sa. me. Decreto sancitum est, ***Constare de eorum Martyrio ex parte tyranni.*** Neque id satis erat, quoniam, duo aeque graviora enucleanda remanebant dubia, scilicet: ***An constaret de Martyrio ex parte passorum,*** itemque ***An et de quibus Miraculis seu Signis constaret in casu,*** ut egregios Iaponenses pugiles inter Martyres Dei conservos iam super astra locator suspiceremus, eorumque Lypsana sub altari reponerentur. Hoc quod diu illustres Ordines Praedicatorum, Franciscalium, Eremitarum Augustinianorum, nec non praeclarae Societatis Iesu sodales, simulque Iaponiae ac finitimarum Regionum Vicarii Apostolici summis exoptaverant votis, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. complevit. Causam enim super hisce dubiis bis agitari voluit in peculiaribus Sacrorum Rituum Congregationis Conventibus, ut ea iudiciaria servaretur forma quae ab initio obtinuit. Sacri Ordinis huius sententiam Sanctitas Sua ratam habens rite decrevit Quarto Kalendas Martias vertentis anni quoad primum dubium, ***ita constare de Martyrio ex parte passorum ut in casu, de quo agitur, procedi possit ad Beatificationem:*** et quoad alterum dubium ***constai^ de signis IV, XII, XIII, XIV.***

» Postquam Petrus per Pium Pontificem Maximum loquutus est, causa finita est. Attamen eadem Sanctitas Sua iussit ut iuxta Summorum Pontificum Constitutiones, Sacrorumque Canonum sanctiones ad actorum seriem perficiendam in Generalibus Comitiis colligendis postremum discuteretur dubium : ***An, stante Decreto ab Innocentio XI. sa. me. III. Nonas Februarias anni MDCLXXXV1I. confirmato, alioque Decreto novissime a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX. quarto Kalendas Martias currentis anni edito, Tuto procedi possit ad solemnem horum Venerabilium Servorum Dei Beatificationem.*** Hoc factum quidem est in Comitiis Idibus Aprilis anni huius apud Pontificias Vaticanas Aedes coram Sanctissimo Domino Nostro habitis; in quibus Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi Episcopus Portuensis et S. Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praeie-

ctus, atque Causae Relator illud proposuit dubium, et omnes Reverendissimi Patres Cardinales et Consultores in affirmativam ivere sententiam. At Pater Beatissimus illud effatum a Ioanne Evangelista in Apocalypsis visione perceptum secum in animo considerans ***tempus adhuc modicum*** expectandum censuit, ut fusis interim precibus ab Altissimo super Cherubim sedente lumen impetraret et auxilium.

» Annua denique revertente solemni commemoratione Sanctae Virginis Catharinae Senensis, Almae Urbis Patronae minus Principalis, atque in adversa hac temporum calamitate sospitatricis, cuius vestigia plures invictae ex Martyribus laponensibus foeminae in virtutis semita calcarunt, cum Sanctitas Sua Hostiam salutarem in privato suo Vaticano sacello obtulisset, ad Coenobium contendit Eremitarum S. Augustini, cuius Institutum non pauci ex iisdem Martyribus amplexi fuerant; et in Bibliothecam nomine ***Angelicam*** ascendens, ibi ad se accitis Eminentissimo ac Reverendissimo Cardinale Constantino Patrizi Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto Causaeque Relatore, una cum R. P. Petro Minetti Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus solemniter declaravit: ***Tuto procedi posse ad solemnem Venerabilium horum Servorum Dei Beatificationem.***

» Huiusmodi Decretum publici iuris fieri, in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificationis solemniis in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrandis expediri mandavit pridie Kalendas Maias Anni WDCCCLXVU. »

L . * S.

C. Episc. Portuen. et s. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

D. BARTOLINI **S. R. C. Secretarius.**

EX ACTIS CAUSAE MARTYRUM JAPONENS1UM.

Ooiupenilium facti. Praeter viginti sex Martyres laponen-*mes* qui a SSmo Domino Nostro, quem Deus diu sospitet, Sanctorum Albo an. 1862 adscripti sunt, alii permulti habentur christiani nominis heroes in eodem laponiae regno necati ab anno 1617 usque ad annum 1632. De hisce Martyribus pluries iam actum est in S. Rituum Congregatione. ***Signata*** enim ab Urbano VIII. ***Causae commissione,*** confecti fuerunt processus Apostolica auctoritate tum Maniliae in insulis Philippinis , tum semel atque iterum Macai in Sinis: quorum processuum validitate probata, habita est anno 1675 Congregatio ***antepraeparatoria,*** atque anno 1677 ***praeparatoria.*** Cum autem id temporis vigeret adhuc praxis a Benedicto XIV. deinde sublata, proponendi nimirum «eiunctim dubitandi formulas ***de causa Martyrii ex parte tyranni, et de martyrio ex parte passorum,*** disputatum ideo primum est, ut decerneretur: « an constaret necne de intentione » ex parte tyranni inferendi mortem in odium fidei: » prout revera factum est in S. Rituum Congregatione habita die 25 Ianuarii 1687 in qua decretum fuit: ***constare de Martyrio ex parte tyranni in causa et ad effectum de quo agitur.***

Acta non statim siluerunt; sed ob nonullas, nec eas magni quidem momenti, rationes usque ad haec tempora dilata sunt; cuius quidem dilationis sufficientem rationem profecto non invenies, nisi dicas praesentem eius causae definitioni Deum adsignasse aetatem, ut gloria tot tantorumque martyrum nunc revivisceret, atque splendidissime in catholico Orbe refulgeret.

Licet in ipso laponiae regno, invalescente persecutione, legitimae inquisitiones fieri non potuerint, quatuor tamen supra nonaginta testes fuerunt reperti, qui ordinaria, et Apostolica auctoritate rogati de Martyriorum veritate testimonium dederunt: quorum quidem alii se propriis oculis vidisse, alii ab iis •qui aderant rem totam audivisse testantur, caeteri vero ex ***notorietate, publicaque voce et fama*** confirmant.

Nec enim horum testium copia deesse poterat ; quandoquidem civitatum Praesules ministrique iustitiae plerumque •Christianis omnibus facultatem non dcnegarunt Martyriis adsi-

stendi, ut terror ex Martyrum morte latius diffunderetur. Hinc? tria, quatuor, viginti, et aliquando triginta etiam hominum millia adfuiss feruntur. Iamvero testes, qui facti ***notorietatem, publicamque vocem et famam*** in confirmationem adducunt, fere omnes erant in Iaponia, et Nangasachii, aut in viciniis habitabant quo tempore Martyres passi sunt. Neque pauci ex his testibus-ipsos Dei Servos noverunt, eosque in carcere constitutos vcfc adiverunt, vel conspexerunt, ab iis epistolas acceperunt, eorumque reliquias post obitum collegerunt. Haec generatim ex processus tabulis.

Sed praeter processus cum Ordinarios tum Apostolicos servantur plures epistolae in quibus ipsi Christi Martyres fuse testantur vel de inquisitione habita coram iudicibus, vel de aerumnis et cruciatibus, quos in carceribus detrusi, seu ante martyrium pertulerat, vel de incredibili animi ardore quo flagrarent, ac laetitia qua mortem inter acerbissima supplicia oppe— tere excuperent.

Ad maiorem denique confirmationem accedunt relationes au*-thenticae in ipso laponiae regno conscriptae et in Europam* missae. Namque post martyrii exsecutionem corrogatis testibus,-acta martyrii iussu Praesulum ecclesiasticorum conscribebantur;. quorum quidem actorum Scriptores non pauci martyrium et ipsi* postea subierunt.

Disceptatio gynofitiea.

DE STATU QUAESTIONIS. — Cum de generica martyrii quaestione dubitari amplius non posset; definitum enim iamdiu fuerat, ***constare de martyrio ex parte tyranni inferentis mortem in odium fidei:*** duplex implexa quaestio dirimenda supererat, quae quamvis in facto consisteret, nonnullas nihilominus secumferebat etiam iuris disquisitiones. Supererat nimirum dirimenda quaestio quinam essent illi, de quorum martyrio ita constaret, ut Beatorum numero essent accensendi; quae quidem quaestio uti patet involvit quaestionem, ***quomodo*** scilicet de martyrio constare debet, ut ad decernendam Beatificationem possit deveniri. Secunda, quae mota est quaestio, in eo consistebat, quaenam ex multis miraculis exhibitis seu signis adprobari mererentur.

DISQUISITIO FIDEI PROMOTORIS SUPER HISCE QUAESTIONIBUS.——Fidei Promotor ad duas dictas implexas quaestiones resolvendas sibi aperiebat viam breviter tradens quasdam normas seu criteria, quae deinde, analysi constituta, ad singulas quaestiones applicabit.

Ut constet de martyrio tum materiali ex parte passorum, tum formali,animadvertebat Fidei Promotor, 1°. binos ad minimum ***de visu*** testes requiri, vel saltem ***unum de visu, alterum de auditu a vidmtibus,*** quorum alteruter in processu Apostolico examen subiierit. Quo in casu ad Beatificationem obtinendam duo sufficere miracula, idque patere ex generali Decreto Benedicti XIV. lato die 17 Iulii 1754.

2°. Si desint testes ***de visu,*** et ***de auditu a videntibus,*** admitti quidem probationem subsidiariam ex testibus ***de auditu auditus,*** aliisque adminiculis, dummodo tamen « talis atque tanta exurgat » veri martyrii moralis, ut aiunt, certitudo, quae non impossibile » quidem, sed imprudens reddat iudicium de opposito, » ut docet Benedictus XIV. in suo generali Decreto dato die 23 Apr. **1741.** Quo quidem in casu formulam suffragii non absolutam esse debere, sed rescribendum potius: ***de martyrio ita constare, ut procedi possit ad ulteriora.***

3°. Idem dicendum si adsit unus ***de visu*** testis, aliique ***de auditu auditus.*** Discrimen enim in eo consistere , quod hoc in casu ad Beatificationem obtinendam tria miracula seu signa requirantur, in primo autem quatuor necessaria existimentur.

4°. Inter subsidiarias probationes martyrii accensendas quoque esse authenticas relationes, easque ex indulgentia san. mem. Gregorii XVI. et SSmi D. N. in causa Martyrum Sinensium, Tonkinensium, Cochinchinensium, et Coreanorum, vim etiam habere processus auctoritate ordinaria constructi.

5°. Licet quaestio de miraculorum necessitate in causis Martyrum nondum fuerit a Sacra Congregatione in ***abstracto*** definita ; tamen inspecta eiusdem ***praxi*** miracula vel signa requiri: idque nominatim constare ex causa B. iosaphat Archiepiscopi Polocensis. Cum enim suffragatores de miraculorum necessitate discreparent, ceu refert Benedictus **XIV.** ***lib.*** **1** ***c.*** 30 ***n.*** 3, Sacra RR Congregatio haec rescripsit: «Proposita per Emum Pam« philium Ponentem, stante discrepantia opinionum, quid agen

» dum esset in causa Servi Dei Iosaphat Archiepiscopi Polocen-
•» si\, an procedendum ad ulteriora, non constito de miraculis,
» an varo de miraculis cognoscendum, S. Congregatio nihil in
•» tam ardua quaestione declarare volens, transivit cum opinione
)> tutiore et validiore, cum agatur de summa re, in qua Sedes
» Apostolica accuratissime procedere debet, et iuxta antiquam
» praxim unanimi consensu mandavit examinari miracula, die
» IS Septembris 1642. »

6°. Miracula sive in causis Martyrum, sive Confessorum probari saltem debere binis testibus ***de visu*** in processu Apostolico examinatis: alias autem probationes subsidiarias sive ex testibus ***de auditu,*** sive ***ex relationibus authenticis,*** sive demum ex historicis omnino excludi a Benedicto XIV. qui monet, nova alia subinde miracula testibus de visu plene comprobata posse quotidie, si Deus voluerit, supervenire. ***Decret, general.*** 1741

His criteriis propositis singula martyria ad trutinam revocabat Fidei Promotor.

De Martyrio primo, quo duo exhibentur Martyres, afferri testes de visu Fidei Promotor affirmabat, testem nempe VIII. et IX. ex processu Maniliensi anno 1624 constructo. Sed priorem testem id tantum referre, se corpora Servorum Dei post martyrium tetigisse; non autem patere an revera hic testis internecioni praesens fuerit, maxime cum testis IX enarret: ***martyrio horum Patrum adfuerunt multi laponenses, atque postea multi accesserunt ad decerpendas vestium reliquias.*** Verum licet testis VIII haud martyrio interfuisset, id pro certo scivisse ab aliis oculatis testibus , proindeque concludebat ex allatis criteriis inferendum fore: constare de utriusque martyrio, ac duo sufficere miracula pro ipsorum Beatificatione (1).

(i) De singulis martyriis brevem notitiam in paginarum calce ad instar adaotationum tradere cogitabamus, quae certe gratissima Lectoribus nostris cessisset; vidissent enim quanta constantia illi heroes , diversae aetatis et conditionis, martyrium pertulerunt, quanto desiderio flagraverintoppetendi mortem pro Christi Domini fide, quot laudes Deo tribuerint inter acerbissimos cruciatus ; sunt talia eiusmodi facta, quae merito in splendidum argumentum cedunt divinitatis catholicae Religionis : sed cum nimis in longum nostrum opus protraheretur, consultus duximus humanos Lectores remittere ad ampliores historias, quae de his Martyribus aut scriptae iam extant, aut typis tradentur.

De martyrio secundo et tertio, quibus quinque nostrae Religionis heroes comprehenduntur: plane constare ex oculatis testibus.

De martyrio quarto, in quo unus Martyr occubuit, plerosque testari de auditu, publica voce et fama; ideoque respondendum fore existimabat: ita constare de martyrio ut procedi possit ad ulteriora, ad examen nimirum quatuor miraculorum.

De martyrio quinto sexto et septimo, quo septemdecim Christiani interempti fuerunt: illud constare ex testibus de visu.

De martyrio octavo, in quo quinque occubuerunt, constare ex uno teste de visu: alios praesto esse de auditu a videntibus, et de publica voce et fama , nec non ex relatione authentica , et idcirco ex generali Decreto anno i754 edito, plane constare de martyrio.

De martyrio nono, decimo et decimoprimo, plurimorum heroum, qui hisce cladibus occubuerunt, constare ex testibus de visu, si tamen e martyrio nono excipias Augustinum Ota. Eius namque martyrium probari ab uno teste de visu , aliisque de auditu, publica voce et fama, et ex relatione authentica; proindeque ita de eius martyrio constare, ut procedi possit ad ulteriora,.ad examen videlicet trium miraculorum.

De martyrio decimosecundo. In hoc martyrio quatuor tantum heroes interfectos censeri, sed ex nuperrimis documentis patere duos alios e Franciscalium Ordine fuisse interemptos: de tribus prioribus unum testari de visu, caeteros de auditu a videntibus et de publica voce et fama; de reliquis testes adesse de auditu a videntibus et de publica voce et fama: ideoque de martyrio trium priorum plane constare; de reliquis, ita constare, ut procedi possit ad ulteriora, ad examen videlicet quatuor miraculorum.

De mar tyriis decimotertio , decimoquarlo et decimoquinto. E martyrio decimoquinto expungendus Fidei Promotori videbatur Mancius Arachi, qui in carcere vita functus est, nec appareret, an ex eiusdem aerumnis nec ne interierit. De caeteris martyrium constare ex oculatis testibus.

De martyrio decimosexlo, quo tres occubuerunt, unum testem deponere de visu, alios de auditu a videntibus et de publica voce et fama, atque praesto esse authenticas relationes ; proindeque constare de martyrio ipso.

De martyriis decimoseptimo, decimoctavo, decimonono et vicesimo: plane constare ex oculatis testibus.

De martyrio vicesimoprimo, in quo unus tantum interemptus est, unum testem referre de visu, alios de auditu, publica voce et fama , iisque accedere authenticam relationem ; quapropter concludi posse: ita constare de martyrio, ut procedi possit ad ulteriora, ad examen nempe trium miraculorum.

De martyrio vicesimo secundo, quo sex exhibentur martyres: ex oculatis testibus constare.

De martyrio vicesimo tertio, quo sex etiam necati sunt heroes unum testari oculatum testem ex processu Apost. laponensi; caeteros item oculatos testes ex processu Macbaensi qui ordinaria auctoritate confectus fuit, licet iam a S. R. C. remissoriales litterae essent eo missae; adiuncto itaque oculato altero teste ab Apostolica inquisitione deducto: constare plane de martyrio.

De martyrio vicesimoquarto , quo duo exhibentur in Vomurensi carcere vita functi aerumnis confecti, constare ex testibus de auditu, publica voce et fama; ac proinde ita de eorum martyrio constare, ut procedi possit ad ulteriora, ad examen nimirum quatuor miraculorum.

De martyrio vicesimoquinto, quo unus consumptus est, testes referre de auditu a videntibus, nec non de auditu, publica voce et fama, item constare ex authentica relatione: proindeque ita constare de martyrio ut procedi possit ad ulteriora, ad examen scilicet quatuor miraculorum.

De martyrio vicesimosexto, quo quatuor interrempti sunt, eodem modo constare.

De martyrio vicesimoseptimo, quo tres occubuere, quorum corpora adhuc palis alligata duo testes viderunt, sed eos martyrio minime adfuisse; alios adesse testes de auditu, publica voce, et fama, et relationem authenticam: proindeque ita constare de martyrio, ut procedi possit ad ulteriora, ad examen nempe quatuor miraculorum.

De martyrio vicesimo octavo, quo unus occubuit, non paucos de auditu, publica voce et fama testari, et patere ex relatione authentica; proindeque ita de eo constare, ut procedi possit ad ulteriora, ad examen videlicet quatuor miraculorum.

De martyrio vicesimo nono, deponere testes de auditu a vi-

dentibus, aliosque plures de auditu, publica voce et fama, atque constare ex relatione authentica; ideoque ita de eorum martyrio constare, ut procedi possit ad ulteriora, ad examen nimirum quatuor miraculorum.

Hac sua patefacta sententia, Fidei Promotor gradiebatur ad Signorum examen, quae a Martyribus patrata exhibebantur, quaeque erant numero quinque supra viginti. Verum exceptis tribus vel quatuor ad summum miraculis , caetera excludenda esse opinabatur, sive ex defectu legitimae probationis, sive ex eorum natura quae omnino prodigiosa non esse videbatur.

Absque dubio scilicet admittebat Signa quae sub numero XII, XIII. et XIV. proposita fuerant, quaeque ex testibus de visu evidenter probabantur: ac praeterea de eo admittendo quod sub «iumero IV. veniebat, Fidei Vindex dubitabat.

Signum enim quartum quod in eo consistebat, ut duo corpora Martyrum in capsa occlusa et ponderibus alligatis in mare proiecta, post sex menses sursum capsa ascendens una cum integris eorumdem Martyrum vestibus exhibuerit; haec naturaliter contingere posse videbantur si capsa ita fuisset forsan occlusa, ut neque aqua neque aer eam pervaderet. Donec enim eiusmodi possibilitas non excluderetur, de miraculo videbatur Promotori dubitandum.

Ex expositis haec profluebat conclusio: cum Signum XII. referretur ad Martyres signatos sub numeribus 1, 2, 3, 4, 31, et 32, nec sion ad eos comprehensos in martyrio decimo: cum Signum XIII. respiceret Martyrem sub numero 48 indicatum, et Signum XIV. Martyrem 58, qui duo Martyres in martyrio decimo enecti sunt, Fidei Promotor concludebat duo praesto esse Signa pro Martyribus 48 et 58 de quibus propterea iuxta exposita criteria dici poterat: ita constare de martyrio et miraculis seu signis ut tuto procedi possit ad ulteriora. Si vero Emi Patres Signum IV. admittendum esse iudicassent, quod quidem refertur ad Martyres i et 4, pro his etiam praesto esse duo Signa, quae ad eorumdem Beatificationem decernendam sufficerent, quorum martyrium legitimis constaret probationibus.

Hanc tamen, quam Fidei Vindex aperuit accuratam strictamque sententiam, utique mitigandam esse in praesentibus rerum adiunctis opinabatur. Neque in Causis Servorum Dei huiusmodi

exempla deesse affirmabat, quia interdum eum tria vel quatuor pro Beatitieatione aut Canonizatione requirerentur miracula, Apostolica Sedes rigorem legis reiaxavit, prout ex. gr. contigit in causa R. Clarae a Cruce Ord. Erem. s. August. cuius virtutes heroicae licet probatae fuissent subsidiarii^ argumentis, atque proinde quatuor miraculis pro futura Canonizatione opus foret;, responsum tamen est a S. C R. ita constare de virtutibus ut procedi posset ad ulteriora, ad examen videlicet duorum miraculorum. Quam quidem sententiam SSmus D. N. ratam habuit. Quod etiam in causa V. Fr. Benedicti ab Urbino nuperrime contigit, in qua S. Pontifex a quarti miraculi propositione Postulatores exemit.

EA QUAÌÌ; rris OPINIONIBUS REGERERET CAUSAE PATROCINATOR. — Causae Patrocinato!' Iosephus Pincellotti arripiens ex Fidei Yindicis sententiis ea quae causam iuvabunt, magna eruditione, quae causae infensa viderentur, confutare conabatur.

De singulis martyriis agens praemittebat, generatim superabundare in praestantioribus martyriis testes ***de visu,*** in aliis noik deesse testes de ***auditu a videntibus,*** praeter non paucos alios, qui licet verbo tenus deponant de publica voce et fama, tamen animadvertebat hos aequiparandos esse testibus ***de auditu a videntibus.*** Sustinebat scilicet, testes omnes, qui deposuerunt, se in Iaponia vel in urbe Nangasachii eo tempore fuisse, quo Martyres passi sunt, simulque affirmarunt sibi constare de martyrio- ex publica voce et fama vel notorietate, accepisse notitiam passionis a testibus omnino ***de visu.*** Hoc autem ut ostenderet, in examen revocabat verba testium , qui non solum deponerent de publica voce et fama, sed de ***facto publico et notorio,*** cuius ***notorietatis*** causam redderent, quod multi, qui martyriis assistebant, e loco discedentes factum statim enarrassent, atque evulgassent.

Quem autem Fidei Vindex e numero Martyrum expungendum esse opinabatur, Mancium Aradii, quod in carcere vita functus non constaret, an ex aerumnis decesserit, respondebat: illum iam phtysi laborasse et lecto decubuisse cum !n carcerem ex odio fidei esset deiectus : carceres autem publicos in Iaponia non fuisse, sed occasione data constitutos esse sub dio- ex: stipitibus et stramine congesto , ibique expositos fuisse ea-

ptivos ad quamcumque aeris inclementiam , ut ex authenticis relationibus P. Bartolus in sua ***Histor, lapon. lib.*** 4 ***num.*** 97 ***p.*** 441, carceres, cruciatusque ibi a Martyribus toleratos ipsumque Mancium aerumnis confectum peculiariter decedentem describit. Caeterum ». Cyprianum iussisse, eos qui in carcere communi decesserunt, uti Martyres esse habendos; sic enim ille ***in epist.*** 37 scripsit: ***cum voluntati et confessioni nostrae in carcere et oraculis accedit et moriendi terminus, consummata Martyris gloria est Dies eorum, quo excedunt, adnotate, ut commemorationes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus.*** Et s. Augustinum ***in psal.*** 127 s. Felicem commendare, qui in carcere decessit; et Ecclesiam s. Ioannem Papam celebrare die 27 Maii, qui obiit in carcere.

EA **QUAE ANIMADVERTERAT CAUSAE PATROCINATOR CIRCA MIRACULA VEL** SIGNA. — Declarata differentia quae intercedit inter ***miraculum*** et ***signum*** iuxta ss. Scripturarum doctrinam, atque s. Thomae declarationem in 2, 2, ***quaest.*** 178 ***art.*** i ***ad*** 3, subdebat, passim in actis martyrum legi de signis vel quae martyrium praecesserunt, vel comitata, aut subsequuta sunt; uti ex. gr. splendores repente visi in loco martyrii vel in corpore Martyris; poenae inflictae carniOcibus aut tyrannis; praeservatio corporum a veracitate ferarum , et alia portenta , quae licet interdum per se non sint supernaturalia, tamen ex circumstantiis erui, ideo fuisse a Deo patrata, ut his significaret mortem patientis sibi fuisse pretiosam: haec autem Signa, tum antiquis, tum recentioribus Ecclesiae temporibus admissa fuisse ad confirmationem illustrationemque martyrii.

Non autem contendebat Causae Patrocinator, tot ex processibus , historiis, aliisque monumentis congesta Signa, omnia et singula rite comprobari ; quae ea fiducia fuerunt proposita, ut dubium resolvi posset: ***constare de Martyrio confirmato pluribus signis.*** At aegre tulit idem Causae Patrocinator , ut umbrae suffunderentur super Signo IV. quod rite probatum splendidissimum esse renunciabat, ideoque inter caetera ea quae sequuntur adnotabat:

Omnes circumstantiae facti cuique suadent non posse admitti illam suppositam possibilitatem. Si infideles in animo sibi persuasissent servare, quantum fieri posset, integra Martyrum

corpora, debuissent utique ad hoc assequendum industriam omnem ac diligentiam adhibere, atque ita unguentis, et balsamis corpora ipsa condire; lignum incorruptibile exquirere; et capsam, nedum rimas, omni ex parte bitumine Unire. At eorum finis alius omnino erat, quin imo contrarius. Cum enim ingens christianorum multitudo martyrio adfuisset, et quisque omni ope conaretur, ut Martyrum reliquias surriperet; carnifices iussu Principis, statim post recisa capita, corpora Martyrum humo mandarunt. Non cessantibus autem Christianis terram ipsam noctu effodere, gentiles, ut ait Testis **II.** « ***ad evitandam continentiam et*** *Tumorem* ***cadavera effodient ut, eaque in capsa posita in mare proiecerunt.*** » Consilium itaque Infidelium fuit ut Martyrum corpora subtraheretur omnino investigationi et venerationi fidelium. Proinde elegerunt capsas, non quidem extraordinarias, sed communes, quas idem Testis **II.** vocat: ***rapsasmor-.tuarias;*** iniectisque corporibus, et utcumque occlusis, magnisque ponderibus alligatis, in mare proiecerunt, ut humiditate brevi tempore dissoluta et consumpta nulla ratione a christianis haberi possent. Delitescente itaque capsa in fundo maris sex menses, dilatatisque si opus esset humiditate tum ligno, tum rimis omnibus, impossibile erat ut aqua interius non pervaderet, et corpora et vestes non investirei. Quare tum vestium tum corporum integritas necessario adscribenda est divinae virtuti.

Sed facta etiam hypothesi, capsam fuisse adeo perfecte occlusam, ut aqua pervadere non posset, corpora tamen atque ipsae vestes integrae manere sex post menses nullatenus potuissent. Aliqua enim integritas admitti forte posset, si ageretur de corporibus longo morbo ac macie emunctis: sed si agatur, ut est in praesenti themate, de corporibus vegetis, sanis, in flore aetatis constitutis, violenta morte, et uno ictu enectis, id admitti omnino non potest. Quod ostendebat Orator tum ex experientia, tum ex Physicorum doctrina.

Post haec contendens Orator ea tria signa (quae Fidei Promotor admittenda esse censebat) non tantum referri ad unum alterumque Martyrem, sed implicite saltem ad omnes, praeclara eruditione deinde ostendebat; ***in causi* Martyrum, non requiri miracula seu signa ad beatificationem.***

Id ostendebat ex praxi universalis Ecclesiae ante institutio-

•nem ss. Rituum Congregationis. Primis siquidem Ecclesiae saeculis satis erat inquirere an ex actis aliisque monumentis constaret de martyrio et causa martyrii Quin imo s. Eulogius in ***Memor. ss. et Apologet.*** pro SS. MM. Cordub. in ***Biblioth. Patr. t.*** 15, acriter invexit contra quosdam haereticos, qui catholicos arguebant quod Martyres Corduhenses colerent, de quibus nulla post obitum miracula referrentur: ***sive Dei testes*** (sic ille) ***miraculis emicent, sive absque prodigiis beatum certamen expediant, nihil interest: cum ab iis hoc coelestis Auctor solummodo expectet, ut usque ad finem constantiam spei suae non deserentes, viriliter agonem consumment, quo aeternum catalogis adaucti Sanctorum de perpetuitate salutis exultent, dicente Domino, qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit.***

Posteaquam invaluerit mos, ut Confessoribus Altarium honores decernerentur, Ecclesia Christi, dum pro istis miracula exigit, ad Martyres quod attinet antiquam secuta est disciplinam , ut videre est in ipsa liturgia. Dum enim Ecclesia in suis hymnis laudat Confessorem, ***cuius ob praestans meritum frequenter aegra quae passim iacuere membra, viribus morbi domilis, saluti resumuntur:*** in Martyre vero non miracula sed constantiam tantum effert: ***Poenas cucurrit fortiter, et sustulit viriliter, fundensque pro te sanguinem, aeterna dona possidet.***

Benedictus ipse XIV. ***I.*** 1 ***de Canoniz. c.*** 29 ***nn.*** 1-5 totus est, ut hanc veritatem adductis exemplis adstruat et confirmet.

Haec autem praxis universalis Ecclesiae per sexdecim integra saecula iugiter perduravit. Eamque Baronius ad ***an.*** 58 ex Apostolica traditione manasse deducit, «Eorum natalitia (sic Ba-
» ronius) celebrata sunt semper absque eo quod constaret de mi-
» raculis; hancque observantiam nemo in nova ecclesia, nisi Apo-
» stolorum auctoritate absque ullo divinae Scripturae testimonio
» introducere praesumpsisset, neque rursus ab universali Eccle-
'» sia recepta esset, nisi id omnes ex Apostolica traditione ma-
» nasse novissent. »

Probabat 2°. Orator ex ulteriori Ecclesiae praxi et post institutam SS. Rituum Congregationem. Praenotabat autem cum antea Episcopi cultum permittere possent, Alexandrum HI. ad praecavendos irrepentes abusus hanc potestatem sua Decretali Apostolicae Sedi rpvocasse. Ex eo autem tempore usque ad Urba-

num Vili, aliquos Martyres fuisse ad. Altarium honores evcctos, ***id*** temporis nullum intercessisse discrimen inter cultum permissivuro et praeceptivum seu inter Beatificationem et Canonizationem: sed causas omnes directe et immediate ad Canonizationem relatas esse: formalem autem Beatificationem ab Alexandro Viifu isse institutam; neque eo tempore iudicialem formam esse servatam, ut notat Matt. ***de Canoniz Sanet. I.*** 1 ***c.*** 5 ***n.*** 15 et ante ipsum Molph. ***Cons.*** 46 ***conci. In.*** 21 et ut videre est in Bullis ***pro s. Thom. Cantnar., s. Eduardo Rege, pro s. Ubaldo Episc.*** Quod si in Bullis Canoniz. s. Thomae Canluariensis , s. Petri Veronensis et s. Stanislai Cracoviensis mentio aliqua de miraculis fiat, non inde posse concludi, necessaria esse miracula , quando constet de martyrio, et martyrii causa: quare concludebat cum Cepario: «Post Alexandrum Jii. usque ad haec tempora (ad lirba—
)> num Viii.) certum esse nunquam in martyribus fuisse requi-
» sita miracula; nec posse afferri ullum exemplum in contra-
» rium : sed multa in quibus nulla habetur mentio de mira-
') culis.»

Instituta ss. Rituum Congregatione, Orator proscquebatur,. tres designatos fuisse Rotae Auditores , qui expediendis Canonizationum causis advigilarent: eosque iuxta antiquam Ecclesiae praxim semper tenuisse sententiam de non exigendis miraculis in causis martyrum ut in ***Relat, pro s. Bonaventura, pro*** 26 ***martyr, lapon. et pro Iosaphat mar tyre.***

Excitatam quidem fuisse quaestionem super miraculorum exigentia et disputatum fuisse de hac re in quadam particulari Congregatione, de qua sic refert Bened. XIV. ***I.*** 1 c. 30 ***n.*** 3. « Disputatum fuit in genere pro causis Martyrum, quae solent in Sac.
» Cong. examinari, utrum pro declarando Mar tyre a Sede Aposto-
» lica requirenda sint miracula: et aliqui, scilicet P. Lucas, P. Al-
» ciatus, licet hic ambigue, Rmi Albicius, Ghislerius, Dunozetti
» et Homodeus fuerunt in voto quod non sint requirenda, ex eo,
» quod martyrium ad instar baptismi operetur in instanti re-
» missionem peccatorum et conferat gratiam ; et ex eo quod
» innumerabiles Martyres colantur in Ecclesia, de quorum mi-
» raculis non constat, nec Ecclesia de illis mentionem facit.
» Alii fue unt in voto, quod requirantur, scilicet Rmus Oregius
» Sacrista, Magister S. Palatii, Ep. Civitatis Plebis, Promotor

:» Fidei, si non constet de actu interno, e? ego *(nempe Secretarius);* * ex eo quod ad consummandum martyrium requiratur voluntas » probata patiendi pro fide vel iustitia et permansio in charitate •» usque in finem; quae veritas cum resideat in corde, cuius ta- » rnen Deus scrutator est, et pendeat ab actu interno finali, non » potest probari nisi per signum a Deo quod est miraculum, sive •» mirabile Sic videbantur conciliari istae opiniones ex supposi- » tione, quod nimirum dato vero martyrio miracula non sint » necessaria; ad hoc vero ut in individuo hoc et hoc martyrium D probetur verum, miracula requirenda esse. — Die 13 Septem- » b ris 1642. »

Ex hac exposita quaestione, reiectaque Secretarii singulari sententia, Orator ammadvertebat ex bis sententiis argui posse , miracula non esse necessaria in causis Martyrum, esse autem necessaria si in particulari casu non constet de martyrio causaque martyrii.

Quod quidem confirmabat ex hodierna praxi in eo quod spectat ad corpora Martyrum in cryplis reperta: dummodo enim ex inscriptione, ex sanguine, aliisque indubiis signis constet in odium fidei fuisse enectos, statim sine ulla miraculorum exigentia publico cultu eos Martyres donari. Quibus eliam in confirmationem adiiciebat veterem morem inscribendi causis Martyrum quae proponuntur coram S. C, eiusmodi verba: ***Beatificationis, seu declarationis Martyrii;*** dum in causis Confessorum non inscribuntur verba ***Beatificationis, seu declarationis virtutum.***

Probabat 4°. auctoritate plerarumque Theologorum et Canonistarum, qui tradunt ipsum martyrium esse per se sanctitatis argumentum, neque miraculis opus esse ad canonizandum martyrem, idque repeti ex Apostolica traditione.

Probabat 5°, ex invalidis rationibus quae ab iis qui aliter sentirent prolatae sunt.

Probabat denique ex ratione, adducta videlicet serie Doctorum qui catholicam exponunt doctrinam de efficacia Martyrii ad aeternam salutem consequendam, ita ut Innocentius **111.** in ***cap. Marthae de Celebr. Miss,*** dixerit: ***Iniuriam facit Marlyri, qui orat pro Martyre,*** quod iam dixerat s. Augustinus ***serm.*** 2 ***de verbis Apost.*** quae quidem omnia falsa dicenda esse aiebat, si ad certitudinem beatitudinis non sufficeret certitudo martyrii. Nec minus con-

stare Deum velle suos Martyres in Ecclesia cultum habere e^ fidelibus ad exemplum proponi iuxta verba Matth. 10. ***Qui me* confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo,ei*** Apoc. 6. ***Vidi subtus altare Dei animas interfectorum etc*** Patres autem et Theologos his verbis promissionem divinam agnoscere non solum gloriae coelestis, sed et publici in Ecclesia Martyrum cultus.

Idem autem profecto dici non posse, prosequebatur Orator, de Confessoribus. Nam ex declaratione virtutum non constat directe de perseverantia finali, ut constat ex declaratione Martyrii: et licet constare aliunde posset de eorum perseverantia, tamen sine miraculis de divina voluntate non constare circa eorum glorificationem in terris: proindeque Ecclesiam ut de utroque certitudinem habeat, miracula post obitum requirere: et licet uti martyres colat etiam pueros pro fide interemptos, pueros tamen non martyres baptismate ablutos non colere.

Breviter autem describens quam duro asperoque martyrio nostri Martyres diversae aetatis diversaeque conditionis cruciati fuerint, quamque hilari animo; quo desiderio flagrarent pro fide catholica et pro Christo pati martyriumque subire, concludebat haec omnia supra vires esse naturae, signaque esse miraculis ipsis illuslriora.

Post haec ampie eruditeque disputata, non sequi ex dictis, aiebat Orator, in omnibus martyriis necessaria non esse Signa; id declarabat cum Schacco ***sect.*** 10 c. 2 dicente: « advertendum «quoque erit, multipliciter posse contingere aliquem interfici » in odium christianae et catholicae religionis, servata videlicet » forma iudicii. Priori modo. Si quis Dei Servus carceri man- » cipatur, interrogatur de religione, torquetur ut neget Chri- » stum, quem cum negare abnuerit, capite vel alio mortis genere » condemnatur et idem pro Christo mortem acceptat. Nulla vero » servata iudicii forma, aliquis Dei Servus in odium religionis » catholicae interficitur, quando, conspiratione aliqua Ethnicorum, » Schismaticorum vel Hereticorum facta, interficitur; ut s. Pe- » tro martyri contigisse legimus; vel etiam conspiratione impio- »rum, sicuti s. Thomae Archiep. Cantuariensi, qui ab impiis » interfectus legitur, quod iura ecclesiastica contra regem An- » gliae tueretur; cui gratum se (facturos cum nonnulli existima-

» rent, Sacerdotem adorti interfecerunt. In odium quoque alicuius » virtutis evangelicae aliquis Dei Servus interficitur ab aliquo » Principe aut Magnate, nulla servata iudicii forma, sed ex ira » et furore per se ipsum vel per suos ministros; et quia hi om- » nes sanguine fuso testimonium Christo reddunt, de utrisque- » quaeritur, an ad illorum canonizationem miracula requirantur.» Atque inde Orator eodem praeunte Auctore concludebat, miracula non esse necessaria in Martyribus primi generis, quia Ecclesiae constat de morte in odium fidei inflicta et de morte ob eam causam tolleratami : requirenda autem esse in martyribus secundi generis, quia de utraque, aut alterutra conditione constare non potest.

Hinc apparere rationem subiungebat cur Signa fuerint requisita ante institutam SS. RR. Congregationem in causis s. Thomae Cantuariensis, s. Petri martyris, s. Stanislai Cracoviensis, licet de his extraiudicialis inquisitio tantum facta fuerit.

Post institutam SS. RR. Congregationem primum Decretum, quod de exigentia miraculorum habetur, esse illud, quod ex adverso supra relatum est a Fidei Promotore, in causa scilicet R. Iosaphat Polocensis. At praeclaris animadversionibus ostendebat Orator hoc Decreto doctrinam hactenus expositam confirmari. In ea enim causa Antonius Cerri id temporis Fidei Promotor arguebat causam necis non praecise ortam fuisse ex odio fidei, sed ex conspiratione schismaticorum, et ex motivo odii et vindictae privatae: quamvis autem Postulatores omnem adhibuisset operam, ut hanc animadversionem everterent; tamen prudens aliquod dubium de causa martyrii adeo Consultorum mentibus inhaesisse, ut coacta Congregatione, non pauci ceu narrat Matta ***p.*** 5 c. 3, super causa martyrii votum dederint negativum. Sed quia alii censebant nihilominus probari causam martyrii, hinc stante hac opinionum diversitate, statuerunt partem tutiorem eligendam, et ideo requirenda miracula.

Quare discrepantiam opinionum versatam non fuisse, inquiebat, super abstracta quaestione de miraculorum necessitate, ut innui videtur in ***oper.*** Benedicti XIV. sed super singulari causa martyrii B. Iosaphat; hinc rite explicari illa Decreti verba ***iuxta antiquam praxim,*** quae, si ageretur de praxi antiqua Ecclesiae in ***abstracto*** pro causis Martyrum accepta, omnino falsa essent.

Sic prosequens Orator alia explicare et expedire exempla, quae prima fronte opponi forte viderentur, concludebat: in praesenti themate abunde constare non solum de causa martyrii, sed etiam de ipso martyrio, ideoque ad probationem miraculorum non esse deveniendum; quamvis multa suppeterent Signa quae ipsum martyrium illustrarent, quae ideo plene iuxta ritum non probantur, quia eo tempore, quo processus est constructus, in causis martyrum de Miraculis non inquireretur.

His aliisque pluribus copiose et erudite ostensis, causa proposita fuit iudicanda sub dubiis, quae in iam adductis Decretis leguntur: ad quorum primum responsum prodiit: ***ita constare de martyrio ex parte passorum, ut in casu de quo agitur procedi possit ad Beatificationem:*** et ad alterum: ***constare de Signis IV. XII. XIII. XIV.***

Ex ius COLLIGES:

1. Compertum semper fuisse iuxta catholicam doctrinam, eum qui mortem toleraverit ex odio fidei illatam verum Martyrem esse, aeternamque salutem ex ipso tolerato martyrio certo consequi.

H. Dubitatum tamen a quibusdam interdum fuisse, an Signa essent exigenda, ut verus Martyr aliquis declarari tuto posset ad eum accensendum publico Beatorum catalogo.

III. Romanam Sedem ex praxi exiguisse Signa, si ex aliqua parte deficerent probationes super causa inflicti martyrii, aut super martyrio ex eadem causa tolerato.

IV. Martyrio causaque martyrii rite probata, non recusasse Signorum examen, quae licet ad Beatificationem necessaria non essent, ad tolerati tamen martyrii, Martyrumque splendorem conferrent, prout in praesenti splendidissima causa contigit.

V. Haec tamen dici non posse cum de causis agitur Confessorum, in quibus, probatis licet virtutibus usque ad mortem, miracula exiguntur tum ut confirmetur in statu gratiae Servum Dei decessisse, tum ut publicus cultus illi tantum Iusto tribuatur, quem Deus suo testimonio in terris post obitum exaltat.

DE CATHOLICA UNITATE.

/>i<? 16 *Septemb.* 1864 e2 8 *Novemb.* 1865.

PRAENOTATIS Notum est, inter suprema Sanctae Sedis tribunalia, quaedam esse, in quibus omnia, quae in fidelium Ecclesiaeque t)onum pertractari contingat, sub secreto summo rigore servato pertractantur: et quamvis de rebus agatur, quae doctrinam dumtaxat respiciant, tamen ab iisdem tribunalibus, nisi urgente necessitate aut saltem magna utilitate, non publicantur.

Verum cum non eodem teneantur secreto, illi, ad quos haec nota doctrinalia mittuntur, non raro videmus eadem vel in libris vel publicis ephemeridibus publicata.

Hoc itaque ultimo secundi voluminis fascisculo simul colligimus illa acta, quae ultimis hisce temporibus sic publicata esse novimus: quorum quidem tria, quae immediate sequuntur, documenta sunt magno pretio habenda; eaque, in quo sita sit vera catholica unitas ostendunt, et neminem posse esse catholicum nisi ad eam unitatem pertineat. Documenta autem sequentis sunt (tenoris.

1.

Supremae S, Romanae et Universalis Inquisitionis Epistola ad omnes Angliae Episcopos.

« Apostolicae Sedi nuntiatum est, catholicos nonnullos et ecclesiasticos quoque viros Societati ***ad procurandam,*** uti aiunt, ***Christianitatis unitatem,*** Londini anno 1857 erectae, nomen dedisse, et iam plures evulgatas esse ephemeridum articulos, qui catholicorum huic Societati plaudentium nomine inscribuntur, vel ab ecclesiasticis viris eamdem Societatem commendantibus fixarati perhibentur. Et sane quaenam sit huius Societatis indo-

les vel quo ea spectet, nedum ex articulis ephemeridis cui ti~tulus : ***The Union Review ,*** sed ex ipso folio quo socii invitantur et adscribuntur, facile intelligitur. A protestantibus quippe' efformata et directa eo excitata est spiritu, quem expresse profitetur: tres videlicet Christianas communiones Romano-catholicam, Graeco-schismatieam et Anglicanam, quamvis invicem separatas ac divisas, aequo tamen iure catholicum nomen sibi vindicare. Aditus igitur in illam patet omnibus ubique locorum' degentibus tum Catholicis; tum Graeco-sehismatieis, tum Anglicanis, ea tamen lege ut nemini liceat de variis doctrinae capitibus in quibus dissentiunt quaestionem movere, et singulis fas sit propriae religiosae confessionis placita tranquillo anima sectari. Sociis~vero omnibus preces eadem recitandas, et Sacerdotibus Sacrificia celebranda iudicii iuxta suam intentionem: ut nempe tres memoratae christianae communiones, utpote quae,, prout supponitur, Ecclesiam Catholicam omnes simul iam constituunt, ad unum corpus efformandum tandem aliquando* coeant.

» Suprema S. O. Congregatio, ad cuius examen hoc negotium de more delatum est, re mature perpensa, necessarium iudicavit sedulam ponendam esse operam , ut edoceantur fideles ne haereticorum ductu hanc cum iisdem haereticis et schismaticis societatem ineant. Non dubitant profecto Emi Patres Cardinales una mecum praepositi Sacrae Inquisitioni, quin istius regionis Episcopi pro ea, qua eminent, caritate et doctrina omnem iam adhibeant diligentiam ad vitia demonstranda, quibus* ista Societas scatet, et ad propulsanda quae secum affert pericula: nihilominus muneri suo deesse viderentur, si pastoralem eorumdem Episcoporum zelum in re adeo gravi vehementius non inflammarent : eo enim periculosior est haec novitas, quo ad speciem pia et de christianae societatis unitate admodum sollicita videtur.

Fundamentum cui ipsa innititur huiusmodi est quod divinam Ecclesiae constitutionem susque deque vertit. Tota enim in eo est, ut supponat veram Iesu Christi Ecclesiam constare partim ex Romana Ecclesia per universum orbem diffusa et propagata , partim vero ex schismate Photiano et ex Anglicana haeresi, quibus aeque ac Ecclesiae Romanae, unus sit Dominus

una fides et unum baptisma. Ad removendas vero dissensiones, quibus hae tres christianae communiones cum gravi scandalo et cum veritatis et charitatis dispendio di vexantur , preces et sacrificia indicit, ut a Deo gratia unitatis impetretur. Nihil certe viro catholico potius esse debet, quam ut inter Christianos schismata et dissensiones a radice evellatur, et Christiani omnes sint ***solliciti servare unitatem spiritus in vinculo paóis*** (1). Quapropter Ecclesia Catholica preces Deo O. M. fundit et Christifideles ad orandum excitat, ut ad veram fidem convertantur et in gratiam cum Sancta Romana Ecclesia, extra quam non est salus, eiuratis erroribus, restituantur quicumque omnes ab eadem Ecclesia recesserunt: imo ut omnes homines ad agnitionem veritatis, Deo bene iuvante, perveniant. At quod Christifideles et ecclesiastici viri haereticorum ductu, et quod peius est, iuxta intentionem haeresi quammaxime pollutam et infectam pro christiana unitate orent, tolerari nullo modo potest. Vera Iesu Christi Ecclesia quadruplici nota, quam in symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur et dignoscitur: et quaelibet ex hisce notis ita cum aliis cohaeret ut ab iis nequeat seiungi : hinc fit, ut quae vere est et dicitur Catholica , unitatis simul, sanctitatis et Apostolicae successionis praerogativa debeat effulgere. Ecclesia igitur Catholica una est unitate conspicua perfectaque orbis terrae et omnium gentium, ea profecto unitate, cuius principium, radix et origo indefectibilis est beati Petri Apostolorum Principis eiusque in Cathedra Romana Successorum, suprema auctoritas et potior principalitas. Nec alia est Ecclesia Catholica nisi quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit: quod beatus Cyprianus in Epistola XIV sincere professus est, dum Cornelium Papam in hunc modum alloquebatur: ***Ut te collegae nostri et communionem tuam, id est Catholicae Ecclesiae unitatem pariter et caritatem, probarenl firmile ac tenerent.*** Et idipsum quoque Hormisdas Pontifex ab Episcopis Acacianum schisma eiurantibus assertum voluit in formula totius christianae antiquitatis suffragio comprobata , ubi ***sequestrati a communione Ecclesiae catholicae*** ii dicuntur, qui sunt ***non consentientes in omnibus Sedi Apostolicae.*** Et tantum abest

(i) I. Ephes. IV. 3.

-quin communiones a Romana Sede separatae iure suo catholicae nominari et haberi possint, ut potius ex hac ipsa separatione ct discordia dignoscatur quaenam societates et quinam Christiani nec veram fidem teneant nec veram Christi doctrinam: quemadmodum iam inde a secundo Ecclesiae saeculo luculentissime demonstrabat S. Irenaeus (1). Caveant igitur summo studio Christifideles ne hisce societatibus coniungantur, quibus salva fidei integritate nequeunt adhaerere; et audiant sanctum Augustinum docentem, nec veritatem nec pietatem esse posse ubi christiana unitas et Sancti Spiritus caritas deest.

» Praeterea inde quoque a Londinensi Societate fideles abhorrere summopere debent, quod conspirantes in eam et ***indifferentismo*** favent- et scandalum ingerunt. Societas illa, vel saltem eiuvsdem conditores et rectores profitentur, Photianismum et Anglicanismum duas esse eiusdem verae christianae religionis formas, in quibus aeque ac in Ecclesia Catholica Deo placere datum sit: et dissensionibus utique christianas huiusmodi communiones invicem urgeri, sed citra fidei violationem, propterea quia una eademque manet earumdem fides. Haec tamen est summa pestilentissimae indifferentiae in negotio religionis, quae hac potissimum aetate in maximam serpit animarum perniciem. Quare non est cur demonstretur, Catholicos huic Societati adhaerentes spiritualis ruinae catholicis iuxta atque acatholicis occasionem praebere, praesertim quum ex vana expectatione ut tres memoratae communiones integrae et in sua quaeque persuasione persistentes simul in unum coeant, Societas illa acatholicorum conversiones ad fidem aversetur et per ephemerides a se evulgatas impedire conetur.

» Maxima igitur sollicitudine curandum est, ne Catholici vel specie pietatis vel mala sententia decepti Societati, de qua hic habitus est sermo, aliisque similibus adscribantur vel quoquomodo faveant, et ne fallaci novae christianae unitatis desiderio abrepti ab ea desciscant unitate perfecta, quae mirabili munere gratiae Dei in Petri soliditate consistit.»

Romae, hac die 16 Septembris, 1864.

C. Card. PATRIZI.

(i) Lib. III. contr. Haeres, c. .3.

II.

Eminentissimo et Reverendissimo in Christo Patri et Domino C. Cardinali Patrizi, S. Officii Praeposito.

Eminentissime Domine:

« Nos infrascripti Decani, Canonici, Parochi aliique Sacerdotes, Ecclesiae Anglo-Catholicae, Reunionem, iuxta Christi voluntatem, Visibilem, inter omnes partes familiae Christianae vehementer desiderantes, Literas ab Eminentia Tua « ***Ad omnes Angliae Episcopos*** » emissas magno moerore perlegimus.

» In his literis Societas nostra ad Reunionem totius Christianitatis promovendam instituta, inculpatur quod in programmate suo « ***Tres communiones scilicet Romano-Calholicam, Orientalem atque Anglicanam aequo iure Catholicum nomen sibi vindicare »*** affirmet. De qua quaestione nullam prorsus programma nostrum tulit sententiam. Quod diximus quaestionem ***facti*** non ***iuris*** tractavit; aftìrmavimus solummodo Ecclesiam Anglicanam nomen sibi Catholicum vindicare; quod omnibus, tam a Liturgia quam ab Articulis Religionis, abunde patet.

)> Quin etiam quod ad Societatis nostrae intentionem attinet, in hisce literis asseritur, nos hoc potissimum agere ***a-ut tres memoratae communiones integrae et in sua quaeque persuasione persislentes, simul in unum coeant. »***

» Longe a nobis et a Societate nostra tale propositum absit, ex quo non unitas ecclesiastica, sed discordia fratrum sub eodem tecto cominus pugnantium, foret speranda.

» Id quod a Deo O. M. enixe rogamus, quod toto corde desideramus, non aliud est quam illa, quae ante Orientis et Occidentis scissionem, intercommunio oecumenica extitit, unius eiusdemque Fidei Catholicae professione stabilita atque compacta. Societas immo illa supra dicta eo minorem invidiam apud TOS movere debet, quod ab agendo abstinens solummodo oret, ut secundum Domini Nostri Christi verba « ***Unus pastor fiat et unum ovile.*** » Hoc tantum in votis nostris collocatur, et hanc sententiam et desiderium Eminentiae Tuae corde sincero et voce non ficta pro virili parte profitemur.

» Quod ad ephemeridem, cui titulus ***The Union Review*** attinet, inter eam et societatem nostram non nisi fortuita coniunctio exstat, ideoque nullo modo eius dictis obligamur. In isto quidem opusculo varii scriptores opiniones proprias emittunt, ita tamen ut ex illorum sententiis evolvendis veritas Fidei Catholicae magis eluceat. Talem conscribendi rationem Romae, ubi controversiae hodiernae raro agitantur, in usu non esse vix mirandum est; at in Anglia ubi omnis fere quaestio fit publici iuris, nulla sine libera disputatione in convictionem feliciter evadit.

» Nos, ut in hunc eventum festinetur, multos iam annos laboravimus. Si quid minus perfectum fuerit in fide gregis, in cultu, et in disciplina cleri, nos ultra spem in melius redegimus; et, ne "aliorum obliti haberemur, erga venerabilem Romae Ecclesiam ea benevolentia, quae apud nonnullos olim nos suspectos fecit, usi sumus.

» Eminentiae Tuae nos servos, Catholicae Unitatis studiosos, humiliter profitemur (1).»

m .

Honorabiles et Dilectissimi Domini.

«r Quod vos, litteris ad me datis, ***corde sincero et voce non ficta*** hoc tantum optare profiteamini, ut secundum Domini Nostri Iesu Christi verba unum ovile fiat et unus pastor, id spem affert huic Sacrae Congregationi iucundissimam , vos tandem divina eiusdem Iesu Christi gratia ad veram unitatem esse perventuros. Cavendum tamen vobis est, ne ipsam quaerentes deflectatis a via. Id porro Sacra Congregatio vobis contigisse vehementer dolet, existimantibus, ad veram Iesu Christi Ecclesiam pertinere, tamquam partes, christianos illos coetus qui ***sacerdotii et catholici nominis haereditatem*** habere se iactant, licet sint ab Apostolica Petri Sede divisi ac separati. Qua opinione nihil est, quod magis a genuina catholicae Ecclesiae notione abhorreat. Catholica enim Ecclesia, ut in meis ad Episcopos Angliae litteris monetur, ea est quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei

(1) Eiusmodi epistolam 198 eiusdem ecclesiae anglicanae Clerici subsignarunt.

«et caritatis assurgit (1). Equidem hanc fidei et caritatis seu com- «munionis unitatem«, ex irreformabili Christi institutione, non modo praecipuam esse ac fundamentalem verae Ecclesiae proprietatem, sed eertissimam quoque semperque visibilem notam, qua ipsa Ecclesia ab omnibus sectis tuto ae facile distinguatur, evidentissime vobis, si rem sedulo inspicere, pacatoque animo considerare volueritis, demonstrabunt tum Sacrarum Scripturarum diserta testimonia, insignesque metaphorae, parabolae et imagines, quibus delineatur ac veluti repraesentatur Ecclesia, tum praeclarissima sanctorum Patrum antiquissimarumque synodorum documenta, tum constans agendi ratio, quam Ecclesia a suis usque primordiis sequi consuevit adversus cuiusque generis haereticos et schismaticos, tametsi ex iis complures sacerdotii et catholici nominis haereditatem sibi arrogarent. Quemadmodum igitur Ecclesia Christi propter summam, quam per omnes gentes et in omne tempus diffusa firmissime retinet, fidei communionisque unitatem, catholica est et dicitur, ita propter unitatem eamdem sancta et apostolica praedicatur; et quemadmodum absque tali unitate desineret et iure et facto esse catholica, ita sanctitatis etiam et apostolicae successionis insignibus continuo privaretur.

» At Christi Ecclesia suam unitatem nunquam amisit, nunquam ne brevissimo quidem temporis intervallo amittet; quippe quae perenniter, iuxta divina oracula, duratura sit. Quomodo vero Ecclesia perenniter duratura credatur, si in essentialem eius statum aetas aetati succedens, non secus atque fit in mundanarum rerum mutabilitate, novam induceret speciem et formam, et ipsa adeo Ecclesia ab illa fidei et communionis unitate desciscere aliquando posset, qua et a Iesu Christo fundata est et ab Apostolis deinde propagata ? Ideo enim, ait S. Ambrosius, regnum Ecclesiae manebit in aeternum, quia individua fides, corpus est unum (2). Quod si ecclesia Christi indefectibilis prorsus est, sponte sequitur, eam infallibilem quoque dici et credi debere in evangelica doctrina tradenda; quam infallibilitatis prae rogati vam Christum Dominum Ecclesiae suae, cuius ipse est ea* put, sponsus et lapis angularis, mirabili munere contulisse, in-

(1) S. Amftros. de Offic. Ministr. lib. III. cap. 3. num. 19.
(2) In Lue. lib. VII. num. 91.

concussum est catholicae fidei dogma. Et profecto quis sanus; sibi persuadeat, errorem subesse posse publico ac sollemni Ecclesiae magisterio, quod Christus eo consilio instituit, ut iam non^ simus parvuli fluctuantes et circumferatur omni vento doctrinae- in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris quod sui praesentia nunquam deserendum, atque a Spiritu Sancto de omni veritate edocendum pollicitus est; a quo voluit universas gentes ad obedientiam fidei vocari, et rerum eredendarum agendarumque doctrinam ijta accipere, ut qui Apostolis legitimisque- eorum successoribus praedicantibus non credidisset, condemnaretur: cui munus auctoritatemque attribuit sanorum verborum formae praescribendae, in qua omnes docibiles Dei convenirent 2 Hinc Paulus Ecclesiam appellat columnam et firmamentum veritatis (2). Sed quo pacto Ecclesia esset firmamentum veritatis, nisi tuto ab ea veritas peteretur? Sanctissimi quoque Patres una voce loquuntur ac praedicant, in unitate Ecclesiae unitatem fidei ac doctrinae Christi sic defixam esse, ut una disiungi ab alia non valeat, quo spectat aurea illa S. Cypriani sententia, Ecclesiam esse unitatis ac veritatis domicilium (3). Neque catholica Ecclesia dubitavit unquam de hac praerogativa sibi promissa et per iugem Christi praesentiam Sanctique Spiritus afflatum communicata, quoties subortas fidei controversias dirimere, sacrarum Scripturarum sensum interpretari, erroresque commisso revelationis deposito adversos profligare aggressa est; suas enim dogmaticas definitiones' edidit semper ac proposuit tamquam certam et immutabilem fidei regulam ; quibus, ut fidei regulae, intimum quisque assensum sine ulla dubitatione, suspicione, haesitatione praestare deberet; qui vero iisdem definitionibus contumaciter obsisterent, hoc ipso circa fidem saluti consequendae necessariam naufragavisse» nec amplius ad Christi ovile pertinere censerentur. Atque haec magis magisque absurditatem produnt illius commenti de catholica Ecclesia ex tribus communionibus coalcscente, cuius commenti fautores infallibitatem Ecclesiae necessario inficiari coguntur.

» iam non minus certum atque exploratum est, Christum Iesum, ut fidei communionisque unitas in Ecclesia gigneretur, aer

(1) Ephes. IV. 14.
(i) I. Timoth. HI. 15.
(3) Epist. VIII ad Gem, ap. Coustant. n. I.

perpetuo servaretur, utque capite constituto schismatis tolleretur occasio (1), beatissimum Petrum prae caeteris Apostolis, tamquam illorum principem et eiusdem unitatis centrum et vinculum conspicuum singulari providentia elegisse; super quem Ecclesiam suam aedificavit, et cui totius gregis pascendi, fratres confirmandi, totoque orbe ligandi ac solvendi summam curam auctoritatemque contulit in successores omni aevo prorogandam. Catholicum dogma hoc est, quod ore Christi acceptum, perenni Patrum praedicatione traditum ac defensum Ecclesia universa omni aetate sanctissime retinuit, saepiusque adversus novatorum errores Summorum Pontificum Conciliorumque decretis confirmavit. Quare catholica Ecclesia illa solum semper credita est, quae fide et communione cum Sede romanorum Pontificum Petri successorum cohaeret, quam propterea Sedem S. Cyprianus nuncupat catholicae Ecclesiae radicem et matricem (2); quam unam Patres et Concilia per antonomasiam appellationem Apostolicae Sedis nomine designant; e qua sacerdotalis unitas exorta est (3) et in omnes venerandae communionis iura dimanant (4); in qua Petrus iugiter vivit et praesidet et praestat quaerentibus fidei veritatem (5). Certe S. Augustinus, ut schismatis convictos Donatistas ad radicem et vitem, unde discesserant, revocaret, argumento utitur ab antiquioribus Patribus frequentato: Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite. Dolor est, cum vos videmus praecisos ita iacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo patrum, quis cui successit; videte Ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae (6). Quo uno satis ostendit, in catholica Ecclesia eum non esse qui non inhaereat illi Petrae, in qua fundamentum positum est unitatis catholicae. Neque aliter sensit S. Hieronymus, cui profanus erat quisquis non Cathedrae Petri et Pontifici in ea sedenti communione consolaretur: Nullum primum (sic ille ad Damasum) nisi Christum sequens, beatitudini tuae, idest cathedrae Petri, communione consocior; super illam petram aedificatam esse Ec-

(1) S. Hieronym. lib. adv. Iovin. n. 26.
(2) Epist. IV. ad Cornelium ap. Constant, num. 3.
(3) S. Cypr. epist. XII. ad Coni. ap. Coustant. num. 14.
(4) Epist. Concilii Aquileiensis ad Gratianum i mp. an. 381 inter epist. s. A muros.
(5) S. Petrus Chrysol. epist, ad Eutych. Act. Iii Conc. Ephes. ap. Harduin. I, 1478.
(6) Psal m. in part. Donati.

clesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, antichristi est (1). Neque aliter S. Optatus Milevitanus, qui singularem illam cathedram celebrat, omnibus notam, Bomae constitutam, in qua unitas ab omnibus ita servari debet, ut schismaticus et haereticus sit, qui contra illam singularem cathedram aliam collocet (2). Et merito quidem; in Romanorum enim Pontificum ordinatione et successione, uti denunciat aperte omnibus S. Irenaeus, ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos ; et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate (3).

» Itaque si proprium est ac perpetuum verae Christi Ecclesiae insigne, ut summa fidei caritatisque socialis unitate contineatur, efflorescat, ac veluti civitas supra montem posita omnibus hominibus omni tempore patefiat; et si, alia ex parte, eiusdem unitatis originem, centrum ac vinculum Christus esse voluit Apostolicam Petri Sedem, consequens fit, coetus prorsus omnes ab externa visibilique communione et obedientia Romani Pontificis separatos, esse non posse Ecclesiam Christi, neque ad Ecclesiam Christi quomodolibet pertinere, ad illam scilicet Ecclesiam, quae in symbolo post Trinitatis commendationem credenda proponitur, Ecclesia sancta, Ecclesia una, Ecclesia vera, Ecclesia catholica (4); quae catholica nominatur non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis (5), sicque ipsum catholicae nomen sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere (6); per quam Christus veluti per corpus sibi penitissime coniunctum beneficia redemptionis impertit, et a qua quisquis fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existi-

(1) Epist. 14 alias 51 ad Damas. num. 2.
(2) De Sehism. Donatist. lib. II. num. 2.
(3) Lib. III. contra haeres, cap. 3. num. 3. ex vet. interpr.
(4) S, Aug. de Symb. ad catech. cap. VI.
(5) S. Aug. de vera Relig. cap. VII.
(6) S. Aug. contra epist, fundam, cap. IV. num. 5.

«net, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disiunctas est, «non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum (1) : eiusmodi proinde coetibus catholicum nomen tum iure minime competere, tum facto attribuì nullatenus posse citra manifestam haeresim. Inde autem perspicietis, honorabiles ac dilectissimi Domini, quare sacra haec Congregatio tanta sollicitudine caverit, ne Christifideles societati a vobis recens institutae ad promovendam, ut dicitis, christianitatis, unitatem cooptari paterentur aut quoquomodo faverent. Perspicietis etiam in irritum necessario cadere quamcumque conciliandae concordiae molilionem, nisi ad ea principia exigatur, quibus Ecclesia et ab initio est a Christo stabilita et deinceps omni consequenti aetate per Apostolos eorumque successores una eademque in universum orbem propagata; quaeque in celeberrima Hormisdae formula, quam certum est a tota catholica Ecclesia comprobatam ^esse, dilucide exponuntur. Perspicietis denique , oecumenicam illam quam memoratis, ***intercommunionem*** ante schisma Photianum, ideo viguisse, quia orientales ecclesiae nondum a debito Apostolicae Cathedrae obsequio desciverant; neque ad optatissimam hanc intercommunionem restaurandam satis esse, simultates et odia in Romanam Ecclesiam deponere; sed omnino, ex praecepto et instituto Christi, oportere Romanae Ecclesiae fidem et communionem amplecti; quandoquidem, ut ait venerabilis Beda splendidissimum vestrae gentis ornamentum : Quicumque ab unitate fidei vel societate illius (beati Petri) quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possint regni caelestis ingredi (2).

» Atque utinam, honorabiles et dilectissimi Domini, quoniam ***Ecclesia catholica una esse, nec scindi nec dividi posse monstrata est*** (3), non amplius dubitetis, vos in eiusdem Ecclesiae condere gremio, quae usque ad confessionem generis humani ab apostolica Sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit (4). Utinam quod in vobis per inditam benevolentiam erga hanc Ecclesiam Sonitus

(1) S. Aug. ep. 141. al. 152 num. o.
(2) Hom. in nat SS. Petri et Pauli.
(3) S. Cypr. ep. VIII. ad Corn. ap. Coustant. num. 2.
(4) S. Aug. de util. credendi c. XVII. n. 35.

Sanctus coepit, ipse complere et perficere sine mora dignetur Id vobis una cum hac sacra Congregatione toto ominatur animo et a Deo misericordiarum et luminum. Patre enixe adprecatur sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX., ut vos tandem omnes ab exhaeredata praecisione fugientes in haereditatem Christi, in veram catholicam Ecclesiam, ad quam certe spectarent maiores vestri ante lugendam saeculi sextidecimi separationem, accipere feliciter mereamini radicem caritatis in vinculo pacis et in societate unitatis (1). Valete.»

Romae hac die 8 Novembris, 1865.

C. Card. PATRIZI.

Ex ius COLLIGES:

I. Quemadmodum Apostolica Petri Sedes cum catholica ecclesia exultat si quos noverit, qui a recto tramite deflexerint matremque suam dereliquerint, ad eius sinum regredi velle: ita eosdem aegro animo repellere cogi, qui veram realemque catholicam non quaerunt unitatem.

15. Catholica enim ecclesia alia esse non potest praeter eam, quae supra unum Petrum aedificata, in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis assurgit **(2).**

(1) S. Aug. epist. 61 al. 223 num. 2 ep. 69 al. 238 num. i.

(?) Dum acatholici ex Anglicano clero reunionem quandam christianitatis expresse quaerunt, quae quidem inquisitio, si corde sincero et voce non ficta, ut ipsi aiunt, fiat, divina gratia agente, ad veram catholicam unitatem eos facile ducet, praelucente exemplo plurimorum virorum qui inter illos doctiores animi generositate ad catholicam unitatem feliciter redierunt: ita catholici qui in possessione huius unitatis reperiuntur praesenti tempore intimiorem eam reddunt, omnibusque fulgentissime spectabilem. Huic rei occasionem exhibuit indigentia, qua in rebus temporalibus causa impiorum hominum premitur Romanus Pontifex Beati Petri Successor: namque compertum est impios homines ad indigentiam Romanum Pontificem redigere cogitantes in rebus temporalibus, ut inde eius potestas suprema deprimi posset, atque cum eodem Ecclesia ipsa plene deprimentur ; nihil omisisse, ut ad praecogitatum finem pervenirent. At catholici ex omni Orbis parte ad proprium Patrem sublevandum spontaneas detulerunt pecuniarias divitesque oblationes, ut communis Patris indigentias sublevarent: quod quidem est praeclarum Catholicorum obsequium in Apostolicam Petri Sedem. Sed cum impiorum hominum conatus finem nou facerent, ipsumque Pontificem omni rei temporalis possessione expoliatum conspicere gauderent, non defuerunt catholicae familiae ex omnibus propemodum Europae partibus, qui ipsos filios suos clarissimos mitterent ad Romanum Pontificem, ut

III. Eiusmodi connexum compactumque corpus iugiter esse «et proprietatem verae Christi Domini Ecclesiae, et splendidissimarn notam , qua ipsa Ecclesia ab omnibus sectis tuto ac facile distinguatur.

IV. Quamlibet itaque unitatem, quae vim suam non mutuetur a Petro in suis Successoribus iugiter vivente, quaeque in fidei unitate et caritatis seu communionis non assurgat, ludibrium potius catholicae unitatis, quam unitatem catholicam fore appellandum.

sub eius vexillo usque ad sanguinis effusionem militarem, ac decertarent in «ius iurium defensionem. Utroque tributo Summo Pontifici sponte exhibito, quod a pluribus abhinc annis incoepit et hactenus perseverat et augetur, alterum adiungitur solemne tributum. Hisce enim diebus Piomanum **conspicimus Pontificem ingenti numero Sacrorum Antistitum veluti corona splendidissima circumdatum, qui omnes ad simplicem eiusdem Pontificis invitationem ex longinquis etiam Orbis partibus ex Oriente et Occidente, nulla habita ratione dispendii, laboris et valetudinis gestientes propemodum Romam accurrunt:** non **minore laetitia accurrisse conspicimus innumeros ferme e Cleris catholicis populisque fidelibus, ut in solemni et centenaria commemoratione martyrii Principis Apostolorum eiusdem sedem et Successorem venerentur.**

Inter tot tantasque sinceras obsequii significationes, quod Catholici Petri cathedrae exhibent, aliud superest nobile tributum quod hisce ultimis diebus deferunt Catholici, quod cum in re temporali positum non sit, universalia etiani rieri[1] potest. Consistit enim in obsequio ***intellectus*** **et** ***voluntatis*** **quibus** ***efficax operatio*** **respondeat: scilicet peculiari** ***voto*** **catholici promittunt profitendi eam catholicam doctrinam, quamvis ab Ecclesiae magisterio nondum peculiariter definitam, atque iuxta eam usque ad sanguinem effusionem si opus sit operandi, quae hisce verbis concipi potest:** ***Romanus Pontifex cum definit auctoritate uti tmiversalis Magister, seu ut aiunt,*** EX CATHEDRA, ***id quod credi debeat in re fidei et morum est infallibilis; ideoque eiusdem dogmatica decreta sunt irreformabilia, atque in conscientia obligant etiam ante Ecclesiae consensum.*** **Hoc quidem tributum Apostolicae Cathedrae exhibendum proposuerint ptdeclarissimi illi viri e** S. **I., qui percelebrem romanam ephemeridem scribunt cui titulus:** ***Lo: Civiltà Cattolica,*** **in recenti fasciculo 414. Hoc peculiare catholicorum studium profitendi defendendique catholicas veritates , pro temporum adiunctis habita inimicorum ratione, per quam utile fuit existimatum et repertum ad hostes Ecclesiae debeilandos, prout ecclesiastica testatur historia.**

Quantum haec omnia tributa conferant ad unitatem catholicam illustrandam , quot bona sint expectanda ex hac compacta et fulgentissima unitate, quae ecclesiam Christi Domini vitae plenissimam ostendit, nemo est qui non videat.

DE FACULTATE DISPENSANDI IN MATRIMONIIS» MIXTIS,

fer. IV. Die **22** *Nov,* **1865.**

Episcopus Southtvarcensis de his quatuor quae sequuntur Sanctam Sedem consulit.

1. In formula secunda (verba latine reddita recitamus) edicitur ut Episcopus qui his a Pontifice facultatibus donatus est, ***nullo modo* iisdem uti possit extra fines suae Dioecesis.*** Sed idem alias facultate» solet a S. Sede obtinere, quibus haec non apponitur limitatio,, v. gr. ut possit in matrimoniis mixtis contrahendis dispensare. Mihi videtur ***(ait Episcopus)*** quoties alicuius rei facultatem R. Pontifex rogatus cuilibet facit, haec limitatio implicite apponi; ita ut duobus Southwarcensi Dioecesi subditis, qui forte Plymuthi commorantur, ut ibi mixtum matrimonium inire queant concedere per dispensationem non possim. Quaeso Te, S. Pater, ut edisseras utrum haec sententia vera sit: id est quoties Indultum* ea verba ***nullo modo uti etc.*** minime praefert, haec semper in eodem subaudienda esse.

2. Frequenter contingit ut sive vir sive mulier aliquo vel dirimente vel impediente impedimento obstrictus vel obstricta, super quo dispensandi facultate praediti sumus, Liverpolium v. gr. matrimonium cum alia vel alio ibidem commorante ineundi causa adire velit. Sciscitor utrum hunc vel hanc e mea dioecesi discedentem omni impedimento liberare possim directe dispensando, atque ita impedimento sublato Liverpolium mittere, ubi alter ex sponsis commoratur, ad matrimonium ibidem ineundum.

3. Si duo ex subiectis meae dioecesi, inter se consanguinei vel affines, velint omni impedimento absoluti Liverpolium, nuptias ibidem ineundi causa, proficisci; quaero an Apostolico Indulto uti possim pro matrimonio, quod extra dioecesis meae fines ineundum erit, permittendo.

4. Cum in dispensando super matrimoniis mixtis Ecclesia catholico viro aut mulieri cum anglicana muliere aut viro (in*

quos directe cadere Ecclesiae beneficia non debent) inire nuptias permittere soleat; a quonam Episcopo concedi dispensatio potest cum Catholicus vel Catholica venit ad matrimonium extra suam dioecesim ineundum?

Fer. IV. die 22 Novembris, 1865.

« In Congregatione generali S R. et U. I. habita in Conventui s. Mariae supra Minervam Eminentissimi PP. Cardinales in universa christiana republica contra haereticam pravitatem Inquisitores generales ita responderunt.

» Ad primam Clausulam, « ***nullomodo uti possit extra fines suae dioecesis)),*** ita intelligi deberent facultates sub ipsa comprehensae exerceri tantummodo possint cum propriis subditis in dioecesi existentibus actu quo conceditur gratia. Eamdem tamen clausulam non subintelligi in facultatibus, quae Episcopis ab Apostolica Sede conceduntur, nisi fuerit expressa vel aliter constet de mente Summi Pontificis, vel nisi subiecta materia eanii requirat. Facultatem vero dispensandi super impedimento mixtae religionis concedi cum clausula, ***((.dispensare valeat intra fines suae dioecesis:*** » eam proinde exerceri non posse nisi cum subditis actu existentibus intra fines propriae dioecesis , servatis caeteroquin iis quae traduntur in responsione ad quartam.

» Ad secundam et tertiam. Affirmative , nisi obstet tenor Apostolicae concessionis , impetrata tamen venia pro celebratione matrimonii ab Episcopo loci ubi ipsum matrimonium contrahitur.

» Ad quartam. Catholicos viros vel mulieres dispensari posse, iustis accedentibus causis, super impedimento mixtae religionis ab Episcopo hanc facultatem habente, cuius sunt subditi ob domicilium vel quasi-domicilium in eius dioecesi acquisitum, dummodo in eadem dioecesi actu existant quando dispensationem recipiunt; dispensationem vero ita obtentam exequutioni tradi posse ubicumque mixta connubia contrahi permittuntur, nisi aliquid aliud obstet iudicio Ordinarii loci in quo contrahitur matrimonium : secus pro dispensatione ad Apostolicam Sedem recurrendum esse.»

Loco ^ Signi ANGELUS ARGENTI, S. Romanae et Universalis Inquisitionis Notarius.

DE DISPENSATIONE SUPER MIXTIS MATRIMONIIS CUM ITALIS CONTRAHENDIS.

***Die* 30 *Augusti* (865.**

lllme et Revme Domine,

DECRETUM. « Relatum est Apostolicae Sedi abusum hunc non faro contigisse, ut videlicet Itali qui in exteras Dioeceses profici-scuntur, atque in iis peregre versantur, dispensationes obtineant super impedimento mixtae religionis. Ne unquam igitur eiusmodi factum instauretur in posterum, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. de consilio Eminentissimorum Patrum Generalium lnquisitorum censuit in Domino praecipiendum , ut omnes et singuli Episcopi, qui facultate instructi sunt dispensandi super dicto impedimento certiores efficiantur, in eiusdem usu excipi Italos, de quibus non constet Italicum domicilium omnino de-seruisse.

» Interea Deum precor ut Te diu sospitem et incolumem servet.

Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide •die xxx. Augusti AIDCCCLXV.»

Amplitudinis Tuae

Ad Officia paratissimus

A. Card. BARNABÒ Praef.

H. CAPALTI Secretarius.

.il. ***P, D. Archiepiscopo Diiblinensi.***

DE CASIBUS SUMMO PONTIFICI RESERVATIS.

***Feria IV,* 27 *Iunii* 1866.**

DECRETUM.«Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX. in solita audientia R. P. D. Adsessori s. Officii impertita, auditis suffragiis Eminentissimorum Patrum Cardinalium Inquisitorum generalium, attentis rerum et temporum circumstantiis, decrevit, ut facultatibus , quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione Apostolica pollent, absolvendi ab omnibus casibus Sanctae Sedi reservatis, excipiendos semper in posterum et exceptos habendos esse casus reservatos in Bulla Benedicti XIV., quae incipit: ***Sacramentum poenitentiae.*** Et sacrae Congregationi de propaganda fide iniunctum voluit, ut in expediendis facultatibus formularum post verba: « absolvendi ab omnibus casibus Apostolicae Sedi reservatis in Bulla Coenae » addatur: « exceptis casibus reservatis in Bulla Benedicti XIV., quae incipit ***Sacramentum Poenitentiae. »***

Nota. Casus reservati in praedicta Bulla Benedicti XIV., d. d 1 Iunii 1741 sunt a) Sacerdotis ***attentantis absolutionem*** personae complicis in materia turpi: b) personae cuiuscumque sexus, ***falso denuntiantis*** Sacerdotem aliquem de sollicitatione.

DE USU LIBRORUM ETHNICORUM IN HUMANIORIBUS LITERIS TRADENDIS.

***Die* 15 *Februarii* 1867.**

« Illustris ac Reverendissime Domine uti frater. — Ex tuis literis die 23 Novembris anno proxime elapso ad me datis, Eminentissimi Patres Cardinales una mecum Sacrae Inquisitioni praepositi aegre admodum intellexerunt, graves in ista dioecesi obortas esse et adhuc commoveri dissensiones inter viros potissimum ecclesiasticos, propterea quia in tradendis humanioribus litteris tum in Seminario dioecesano, tum in aliis puerorum iuvenum-

que collegiis vigilantiae atque auctoritati tuae commissis libri ab ethnicis auctoribus conscripti, licet emendati, praeleguntur. Non est profecto, cur qui huiusmodi libros a litterarum studiis; amandandos existimant, hac in re vehementer sollicitos anxiosque se praebeant. Explorata enim res est et antiqua constantique consuetudine comprobata, adolescentes etiam clericos germanam dicendi scribendique elegantiam et eloquentiam sive ex sapientissimis Sanctorum Patrum operibus, sive ex clarissimis ethnicis scriptoribus ab omni labe purgatis absque ullo periculo addiscere optimo iure posse. Id ab Ecclesia non toleratur modo,, sed omnino permittitur, et a SSmo Domino Nostro Pio Papa IX. perspicue declaratum fuit in epistola encyclica ad Galliarum Episcopos die 21 Martii 1853 missa. Quum igitur antiqui libri ab ethnicis graece aut latine conscripti, qui in seminario et collegiis istis adhibentur, non ii nimirum sint, qui res lascivas seu obscoenas tractant, narrant, aut docent, imo ab omni labe sint iam diligentissime expurgati, sicuti insigni testimonio tuo ultro* fateris, idcirco nihil est quod in usu huiusmodi librorum iure possit reprehendi. Verumtamen illud maxime dolendum est, quod hanc ob causam, disturbata isthie cleri concordia, non parum commoti sint animi: quia si semper, nunc certe viri catholici praesertim ecclesiastici non in agitandis fovendisque importunis controversiis, sed in catholica tuenda veritate et in Sanctae Ecclesiae iuribus, quae adeo divexatur, propugnandis omnem operam et industriam debent impendere. Quare Te maximopere Sacra haec Congregatio in Domino cohortatur, ut non minori contentione quam pastorali caritate ecclesiasticos istos viros concordissimis animis idipsum dicere omnes et in eodem sensu atque in eadem sententia perfectos esse moneas; atque efficias, ut ab omni quaestionum vanitate abhorrentes, sedulo naviterque Dei et proximorum negotium agant. Non dubitatur, quin pro spectata tua prudentia a procurando hoc salutari officio unquam desinas: et interim fausta cuncta ac felicia Tibi precor a Deo.»

Romae die 15 Februarii 1867.

AmplitudiniTuae

Addictissimus uti frater,

C. Card. PATRIZI.

R. P, D. Episcopo Administr. Apost. Dioecesis Quebecensis.

EX S. APOSTOLICA POENITENTIARIA.

Haec quae sequuntur, documenta, ex obtenta speciali facultate, collata sunt cum authentico exemplari quod in Sacra Poenitentiaria extat: documenta autem huius sunt tenoris.

***Dubia S. Poenitentiariae proposita, ac responsa ab eadem S. Poenitentiaria data die* 1 *Decembris* 1866.**

1. ***D.*** Come debbasi rispondere a chi domanda, se si possa accettare ***Y*** ufficio di deputato al Parlamento (1)?

R. Affirmative sub sequentibus conditionibus. 1. ***Ut Deputati electi in emittendo iuramento fidelitatis et obedientiae a lege praescripto adiiciant limitationem:*** salvis legibus divinis et ecclesiasticis. 2. ***Ut huiusmodi limitatio fiat expresse in recitatione formulae ipsius iuramenti, audientibus saltem duobus testibus.*** 3. ***Ut ipsi Deputati electi animo comparati sint, et declarent se nunquam legibus improbis et iniustis favorem et suffragium esse laturos; imo huiusmodi leges, quatenus proponantur, esse notorie reprobaturos.***

2. ***D.*** Come si debbano regolare i Vescovi richiesti a favorire la elezione di buoni Deputati (2) ?

R. Nihil obstare, quominus Episcopi, et Ordinarii occasione electionum, quoties ad id requisiti fuerint, in mentem populi revocent, quemque fidelium pro suis viribus teneri ad impedienda mala, et ad promovenda bona.

***Dubia S. Poenitentiariae proposita, ac responsa ab eadem S. Poenitentiaria data die* 14 *Decembris* 1866.**

1. D. Il Vescovo entrando in Diocesi potrà far visita alle autorità costituite della Provincia (3)?

(1) **Quomodo sciscitanti, an oblatam Deputati munus in nationali conventu, quem *Parlamento* Itali vocant, excipi possit, respondendum sit?**

(2) Qua se ratione gerere possint Episcopi rogati ut bonorum Deputatorum electioni faveant?

(3) Potest ne Episcopus Dioecesim primo ingrediens provinciae Praesides constitutos invisere?

jR. Nihil obstare, quominus expleantur urbanitatis officia.

2. /). Il Vescovo richiesto potrà prestare il giuramento? Almeno qual dipendenza potrà promettere al nuovo ordine di cose (1)?

jR. Negative; tum quia a S. Canonibus prohibitum est Ecclesiasticis iuramentum emittere coram auctoritatibus laicis, tum quia iuramentum, prout proponitur, est illicitum, uti constat ex responso in Litteris 10 ***Decembris*** 1860 ***sub N.*** 14.

3. ***D.*** Tornato il Vescovo in Diocesi può mettersi in communicazione con tutte le autorità costituite, e co'Sindaci, i quali in oggi scrivono d' ufficio a' Vescovi (2) ?

R. Rem diiudicandam esse in casibus particularibus ex obiecto et fine, habita prae oculis sacra Episcopi dignitate, et necessitate, ulHitateque Ecclesiae.

4. D. Può il Vescovo od altri del Clero prestarsi al canto del ***Te Deum*** per causa politica, avendo già la S. Penitenzieria dichiarato essere lecito il canto del ***Te Deum*** dopo la guerra della Venezia (3) ?

R. Prout exponitur non licere ex pluribus S. Poenitentiariae responsis, et ex Litteris 10 ***Decembris*** 1860 ***sub N.*** 1., ***neque ad rem facere responsum datum ab ipsa*** S. ***Poenitentiaria circa cessationem belli, quo declaratum fuit licere cantum hymni*** Te Deum ***sub sequentibus conditionibus;*** dummodo, ***scilicet,*** cantus Hymni Ambrosiani fiat solo fine gratias agendi Deo pro cessatione belli, et hic finis sit publice notus, et inde recitentur versiculi tantum communes., et unica oratio pro gratiarum actione, omisso quocumque alio versiculo, et oratione.

S.D. Come regolarsi a fronte delle pretensioni, che il Governo affaccia contro i Seminari? E dove questi già sono stati sciolti, potrà il Vescovo ricorrere al Governo, e mettersi con esso in corrispondenza, per aprire almeno un Convitto ***i*** guisa di quello di Mondovì? Potranno inoltre i Maestri del ^mina-

fi) Potestne Episcopus rogatus iusiurandum profert? Aut saltem quamnam novo rerum ordini observantiam promittere potest?

(2) Regressus in suam Dioecesim Episcopus potest ne cum Viris auctoritate publica praeditis, epistolarum commercia habere: itemque cum Syndicis, qui id temporis ex sui muneris officio ad Episcopos scribunt?

(3) Potest ne Episcopus, aliive ex Clero, hymno *Te Deum* politicam ob causam canendo dare operam, cum S. Poenitentiaria post bellum venetum eius hymni cantum licere declaraverit?

rio ricorrere al Governo, per farsi riconoscere come pubblici professori **(1) ?**

R. Satis provisum per instructiones circa Seminaria alias datas. Quoad vero Convictus instituendos S. Poenitentiaria censet eos expedire, quoties morum ac studiorum disciplina ab Episcopo dependeat. Nihil autem obstare, quominus ad vindicanda ac restituenda Seminaria ntque ad Convictus instituendos Episcopus sive per se, sive per interpositas Personas rem agat cum laicis Potestatibus. Ac pariter nihil obstare, quominus Magistri Seminarii, tamquam privatae Personae, ad Auctoritatem Civilem pro licentia docendi aliquam artem seu scientiam recurrant.

6. D. Qual contegno dovrà osservare il Vescovo in faccia dell'occupazione e vendita de'beni ecclesiastici; mentre il parlare può essere di grave pericolo, ed il tacere può essere preso in conto di approvazione? E come regolarsi intorno alla richiesta, che dal Governo si fa, dei titoli de'medesimi beni sotto minaccia di sequestro? Potrà inoltre il Vescovo diramare a' Parochi, ed agli altri Beneficiati le circolari, che riceve in proposito dallo stesso Governo (2) ?

jR. ***Silendum vel loquendum , prout prudentia et fructus inde speratus dictaverit. Titidos vero violenter requisitos posse in casu necessitatis et ad evitandum grave damnum exhiberi; praevia tamen protestatione, qua declaretur se cedere coactioni, neque idlo modo cooperari pravis Gubernii intentionibus. Similiter posse Episcopum notas facere, per interpositas praesertim Personas, huiusmodi Gubernii violentias Parochis, aliisque Beneficialis, ad fihtm***

(1) **Quomodo in iis quae contra Seminariorum institutiones 1 taluni Gubernium iniuria exigit se quisque Episcoporum gerere debet? Ubi vero ea eliminata ac deleta iam sunt, poterit ne Episcopus ad Gubernium se convertere, cum eoque agere, ut saltem quemdam ut vocant,** *Convictum,* **instar illius qui Monte Regali erectus est, aperire liceat? Possunt ne praeterea Seminarii Magistri se ad Gubernium convertere, ut tanquam publici Professores habeantur?**

(2) Quanam agendi ratione uti debet Episcopus in bonorum Ecclesiae invasione ac venditione: dum et loqui gravis periculi causa esse possit, et silentium tanquam probantis seu adsentientis indicium suscipi? Quanam item ratione se gerere debet Episcopus Gubernio eorumdem bonorum titulos postulante, ac nisi sibi obtemperetur *sequestra* **minitante? Poterit ne praeterea Episcopus ad Parochos et ad coeteros qui Ecclesiae Beneficiis potiuntur encyclicas, quas ipsemet hac super re ab Gubernio accipit, remittere?**

eos docendi modum, quo sibi consulere possint, exhibendo, praevia eadem protestatione, titulos sub gravibus poenis seu damnis requisitos.

7. ***D.*** Secondo le leggi oggi in vigore i Preti esercitano gii uffici civili, come di Sindaco, prestando il giuramento, di Consigliere della Carità ec: può il Vescovo tollerare detti Preti nei loro esercizio (1) ?

jR. ***Ex SS. Canonibus non licere Clericis absque legitima Potestatis Ecclesiae licentia assumere et exercere officia civilia seu laicalia. Iuramentum, prout a Gubernio proponitur, esse illicitum, et eos, qui illud emiserint, teneri ad relractactionem. Quoad Consiliarios charitatis provisum per Litteras*** 10 ***Decembris*** 1860 ***sub N.*** 12. ***Quoad vero Clericos in praemissis delinquentes, agendum ut infra ad nonum.***

8. ***D.*** Gli obblighi di Messe, i Legati Pii, lc Cappellanie laicali ec. vengono in oggi amministrate esclusivamente da persone elette dal Governo, le quali fanno anche la nomina dei Cappellani per funzionare nelle Chiese: potrà ciò tollerare il Vescovo (2)?

JR. ***Dummodo Nominati seu Electi habeant necessarias qualitates, neque laedatur ius quaesitum tertii, posse Ordinarium illos tolerare; etiam et tamquam ex se, quatenus institutio requiratur, illis conferre Cappellaniam seu Legatum, nidla facta mentione nominationis seu electionis illegitime peractae.***

9. ***D.*** Molti Preti hanno deposto l'abito ecclesiastico, ed alcuni favoriti dalle attuali vicende fanno il sordo alla voce ed alle intimazioni dell' Ordinario : qual contegno dovrà tenersi verso di essi (3)?

jR. ***Praemissis admonitionem, agendum prout prudentia dictaverit iuxta S. Canones contra eos, qui non incedunt habitu et ton-***

(1) Iuxta hodiernas in Italia vigentes leges Presbyteri officiis civilibus funguntur, uti Syndici (iureiurando prolato), Consiliarii, quos vocant, Charitatis etc. potest ne Episcopus eosdem in officiorum suorum exercitio tolerare?

(2) Onera Missarum, Legata pia, Cappellaniae laicales etc. per viros a Gubernio electos unice praesenti tempore administrantur; qui etiam Cappellanos ecclesiasticis officiis in Templis gerendis nominant: poterit ne id Episcopus tolerare?

(3) Plerique Presbyterorum ecclesiasticas vestes exuerunt; ac nonnulli novo rerum ordine tecti ac freti Ordinario vocanti ac iubenti non auscultant; quanam agendi ratione erga eosdem uti Episcopus debet?

sara. Si autem Ordinarium non audierint, recurrendum esse ad S. Concilii Congregationem.

10. D. I Prefetti si sono arrogati la facoltà di stabilire quali feste si debbano celebrare con pompa esterna, e quali processioni si possano fare: si potrà ciò tollerare (1) ?

R.; Affirmative, attenta violentia, et exclusis semper novis festis ab auctoritate civili incompetentem institutis.

11. D. A'maestri de'Seminarii possono rilasciarsi testimoniali, per essere riconosciuti dal Governo come pubblici professori (2) ?

jR. ***Nihil obstare, quominus Ordinarius concedat Seminarii Magistris litteras testimoniales, quibus generice comprobetur eorum in docendo exercitium, et in scholis regendis peritia.***

Romae ex S. Poenitentiaria die 20 Februarii 1867.

A. C. PANERIANCO P. M.

L. Peirano Secretarius.

(1) **Provinciarum Praefecti sibi ius adrogarunt constituendi, quinam festi dies exteriori pompa sint celebrandi, quaesam** *Processiones* **peragendae: poterit ne** *id* **tolerari?**

(2) **Seminariorum Magistris poterunt ne testimoniales literae ab Episcopo tradi, ut a Gubernio tanquam publici Professores ratihabeantur?**

EX SECRETARIA lit. IN URBE VICARII.

DE CONFRATERNITATE A VINCULIS S. PETRI NUNCUPATA.

***Die* 13 *Maii* 1867.**

Die 26 Februarii anno 1866 Emus Cardinalis Urbis Vicarius circa Confraternitatem a Vinculis s. Petri nuncupatam decretum canonicae erectionis emisit quod sequentis est tenoris:

« Coslantinus Miseratione Divina Episcopus Portuensis et S. Ru fihae, S. R. E. Cardinalis Patrizi Sacrosanctae Patriarch. Basilicae Liberianae Archipresb. Sanctissimi Domini Nostri Papae Vicarius Generalis.

DECRETUM.« Sacris illis Vinculis, quibus olim Apostolorum Princeps Beatus Petrus impiorum perfidia constrictus, divinam quamdam virtutem communicavit, etquae tamquam fidei victoriae monumentum et pignus Ecclesiae imperiturae reliquit, adhibitam semper esse publicam solemnemque ab universo Orbe christiano venerationem, historiae testimonio, et ipsa illustris Eudoxianae Basilicae amplissima aedificatione et celebritate perpetua liquet et comprobatur. Cum vero iniquis hisce temporum conditionibus nihil intentatum videamus et doleamus, quo Ecclesiae universae et visibilis Capitis eius libertas veluti in vincula rursus coniiciatur; pii quidam viri, et Apostolicae Sedi ex animo addicti, peropportune illud excogitarunt, ut se Catholicos et Romani Pontificis filios obsequentes profiteantur catenulas in eorumdem Sacrorum Vinculorum formam adamussim confectas , easque cum parva Cruce, quae dicitur S. ***Petri,*** Apostolicis auspiciis, per ipsorum Vinculorum attractum benedictas, super vestes libere deferre. Ad hoc religionis signum se unius consilii et propositi invicem significantes, uno etiam Sodalitatis vinculo contineri exoptaverunt, et ad rei effectum Ordinaria Auctoritate Nostra ab iisdem viris rite implorata praesenti Decreto Societatem erigimus et

constituimus sub nuncupatione- CONFRATERNITAS VINCULORUM S. PETRI - quorum sodales Catenulas supradescriptas ad sui tamquam tesseranti assumentes certas preces quotidie recitare, et statas pariter visitationes Sacrorum Vinculorum in S. Aede seu Basilica Eudoxiana adimplere, et Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta ubicumque potuerint suscipere datis diebus diligenter pienterque curabunt. Hanc denique Societatem piis caeteris Institutionibus adaequatam volumus et confirmamus, servatis tamen Nobis et Successoribus Nostris de iure servandis facultatibus quidquid expediat de ea eiusque Regula, disponendi, omnia vero ad formam Apostolicae Constitutionis Clementis VIII. fel. rec. - ***Quaecumque. - »***

Datum Romae ex Aedibus Vicariatus die Febr. anni 1866.

C. Card. VICARIUS.

Loco Signi

Vincentius Can. MARTINI Secret.

Late ubique eiusmodi Confraternitate diffusa, Sanctissimus, Dominus Noster die 14 Aprilis 1866 eamdem Confraternitatem, quam iam laudaverat (1), multis indulgentiis ditavit in literis in forma Brevis quae infra referuntur.

Ut autem abusus quidam irrepentes tollerentur, Confratres sequens nunc obtinuerunt Decretum ab Eodem Emo Urbis Card. Vicario, quod libenter in cognitionem deducimus.

Constantinus Miseratione Divina etc.

DECRETUM. « Ad declinandos* si aui forte oboriantur in rebus etiam pietatis abusus, maxime uni aliqua lucri spes habeatur, et ipsius pietatis instrumenta fieri possint publici vel privati commercii materies, expedit ferme in Domino, ut piae Societatis, seu Confraternitatis a Vinculis S. Petri nuncupatae iura et spiritualia bona, quae Confraternitatis insignia, scilicet Cate-

(l) SS. D. N. die i Decembris **1863** rescribere dignatus est Praesidibus Confraternitatis: ***Benedicat vos Deus et dirigat corda vestra et inlelligentias vestras.*** **Pius PP.** IX.

Iidem Praesides Confraternitatis programma humiliter SSmo exhibentes, hoc Rescriptum pretiosissimum manu eiusdem Pontificis signatum impetrarunt: ***« Piaccia a Dio che U Principe degli Apostoli possa sostituire le proprie alle Catene, colle quali sono avvinti tanti e tanti nemici della Chiesa di Gesù Cristo e a questo si leghino tutti colle nuove ea tene di grazia, di Jede, db carità.»***

«ulas, spectent, in tuto per praesens Decretum, da mandato SSmi collocemus. Itaque vigore specialis facultatis Nobis ab eadem Sanctitate Sua ad id attributae, statuimus ac decernimus: Nullius legitimae approbationis titulo honestari Catenulas, quae ab aliis fortasse, non vero ab ipsa Societate, et quidem rite, distribuantur; eidem porro ius hoc Catenulas distribuendi extra dubium pertinere iuxta Art. III. §. IV. Regulae a Nobis rite admissae ac approbatae sub die 26 Februarii 1866 (I), et huic plane Confraternitati, scilicet Sodalibus eamdem efficientibus, seu componentibus, Indulgentias pro eiusdem Catenulis deferendis fuisse impertitas per Apostolicas Litteras datas ***in forma Brevis*** sub die 14 Aprilis eodem Anno 1866 (2). Quibus sic slan-

ci) In art. III. §. **4** dictae Regulae statutum est: Catenulae similes dirhibebuntur a membris Consilii Directionis dumtaxat, vel ab eo cui potestatem iuxta legalem formam idem Consilium fecerit, ut Catenulae ementitae caeterique abusus evitentur.

(2) Litterae in forma Brevis sequentis sunt tenoris.

PIUS PP. IX.

Ad perpetuam Rei Memoriam.

Inter praeclara Christianae Religionis monumenta, ac veluti trophaea quae in liae Urbe reliquit B. Petrus Apostolorum Princeps, postquam ibi Cathedram pro se primo in terris Iesu Christi Vicario suisque Successoribus divinitus constituit, ferreae catenae sunt recensendae, quibus idem Hierosolymis et Romae •fuit constrictus. Siquidem magnus iis catenis vel ab Ecclesiae Romanae exordio a Fidelibus honor fuit praestitus, qui maior quoque evasit cum in eadem Urbe nomine S. Petri ad Vincula Ecclesia titulo Eudoxiae dedicata est in Exqui-**I**iis. Nec vero sequenti tempore obsequium erga Sacra Vincula fuit diminutum, imo in pluribus fidelibus magis magisque postremis hisce annis fuit auctum , ut u in Confraternitatem sub titulo Vinculorum **S.** Petri coire exoptaverint. Quae cum iam anno, ut Nobis relatum est, in dicta Ecclesia canonice erecta fuerit, ab eius sodalibus, enixae humilesque preces Nobis admotae sunt, ut coelestium munerum thesauros de Benignitate Apostolica reserare dignaremur. Nos quo huiusmodi Confraternitas maiora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri ei Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui dictam Confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus si vere poenitentes et confessi Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, Plenariam; ac tam descriptis, quam pro tempore describendis in dicta Con frater ni tate Confratribus et consororibus, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, etiam Plenariam ; Nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Confraternitatis Confratribus et Consororibus etiam vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui praefatam Ecclesiam S. Petri od Vincula die

tibus, nemini liceat Catenulas S. Petri vendere, nisi ex Confraternitatis commissione; haec autem, si quid lucri capiatur, ponere id modo teneatur ad ***Confessionem*** seu ***Trophaeum*** Sacr. Yin culor. venerationi in Eudoxiana Basilica exaedificandum; prout in Regulae Prologo innuitur ab ipsis Sodalibus Institutoribus fuisse sibi propositum et statutum; de quo tamen pecuniae cumulo,

Vicesimonono Mensis Iunii, qui dies festus est S. Petri Apostolorum Principis , et die festo Cathedrae, qua primum idem Romae sedit, a primis vesperis usque ad occasum solis dierum •huiusmodi; nec non die festo principali •dictae Confraternitatis per eosdem Confratres semel tantum eligendo, et a Dilecto Filio nostro in eadem Urbe Vicario in spiritualibus Generali approbando , vel uno ex septem diebus continuis immediate subsequentibus, cuiusque Confratris arbitrio sibi eligendo singulis annis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, quo die praelatorum id egerint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum Indulgentiam et Remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis Confratribus et •Consororibus, saltem corde contritis, qui memoratam Ecclesiam in quatuor anni feriatis seu Dominicis diebus per memoratos Confratres semel tantum etiam eligendis et ab eodem Ordinario approbandis, ut supra, visitantibus et ibidem orautibu*, quo die praedictorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas; quoties vero Missis, et aliis divinis Officiis in Ecclesia huiusmodi pro tempore celebrandis, et recitandis interfuerint, aut quascumque Processiones de licentia Ordinarii faciendas Sanctissimumque Eucharistiae Sacramentum tam in processionibus, quam cum ad infirmos, aut alias quocumque et quandocumque pro tempore deleretur, comitati fuerint, vel si impediti, Campanae ad id signo dato, semel Orationem Dominicam , et Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem et Salutationem easdem pro Animabus defunctorum Confratrum et Consororum huiusmodi recitaverint, aut aliud pietatis et charitatis opus exercuerint, toties pro quolibet praedictorum operum exercitio sexaginta dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas Indulgentias , peccatorum Remissiones, ac poenitentiarum Relaxationes etiam animabus Christifidelium , quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicari posse etiam in Domino indulgemus. Cum vero omnium Sodalium e dicta Confraternitate spirituali bono, ac consolationi, quantum in Domino possumus consulere velimus; eis ex Confratribus et Consororibus eidem Confraternitati iam descriptis, vel pro tempore describendis, qui extra Urbem degentes praefatam Ecclesiam pro Indulgentiis consequendis adire nequeant, ut in loco ubi morantur, aliquam Ecclesiam, seu Oratorium Publicum sub titulo Sancti Petri Apostoli, si adsit, secus respectivam Ecclesiam Parochialem visitantes, omnes et singulas Indulgentias supra memoratas libere ac licite consequi possint, et valeant, dummodo caetera pietatis opera, quae iniuncta sint praestiterint, concedimus, et impartimur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus vali-

administratione et erogatione Nobis et Successoribus Nostris rationem reddere paratam esse debere Confraternitatem, vel ii qui in hac re eius personam gerunt, pariter declaramus et definimus.»

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Aedibus Vicariatus die 13 Maii 1867.

C. Card. PATRIZI

Loco Signi

Vincentius Canonicus Martini Secretarius.

turis. Volumus autem, ut si alias dictis Confratribus et Consororibus praemissa peragentibus aliqua alia Indulgentia similis perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, illa revocata, prout per praesentes Apostolica Auctoritate revocamus: atque si dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata iam sit, vel in posterum aggregetur, aut quavis alia ratione uniatur, vel etiam quomodolibet instituatur, priores, et quaevis aliae Litterae Apostolicae illis nullatenus suffragentur, «ed ex tunc eo ipso pariter nullae sint. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die xiv. Aprilis M.DCCC.LXVU **Pontificatus Nostri Anno Vicesimo.**

L. t S.

JN. Card. PARA.CCIA^I CLABELLI.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

PROMOTIONES CONSISTORIALES.

Prosequitur expositio earum ecclesiarum vacantium quibus praefecti sunt Episcopi in sacro Consistorio die 27 Martii 1867 habito. Praeter iam expositas ecclesias in *pag.* 599, et *seqq.*, has -quae sequuntur SSmus proposuit:

ECCLESIAM CATHEDRALEM REGIEN. vacantem per obitum bo. me. Episcopi Petri Raffaelii, ad quam promotus est R. P. D. Carolus Macchi, Mediolanensis dioecesis, qui promeritus fuerat eligi Episcopus Eremensis in Consistorio diei 20 Iunii 1859, quin consecrationem suscipere, et eiusdem Ecclesiae possessionem notis de causis potuerit.

Regium Lepidi, urbs pulchra in via Aemilia, plano fertilique in loco aedificata, trium fere milliariorum ambitum habet, et bis mille fere continet domos, «t amplius viginti millibus incolarum inhabitatur.

Cathedralis Ecclesia Assumptionis beatissimae Virginis Mariae titulo Mutinensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, quarum post pontificalem prima est Archidiaconatus, undecim eum utraque Praebenda Canonicos, quatuor Mansionarios, novem Cappellanos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per secundam Archipresbyteri dignitatem, cui alius presbyter auxilium praestat, animarum cura in Cathedrali exercetur: baptismalis fons est in proxima Ecclesia s. Ioannis Baptistae; et inter sacras Reliquias nominatim corpora ss. Martyrum Chrysanthi ac Dariae civitatis Patronorum, decenter custodiuntur, et extra •urbem habet coemeterium.

Decem aliae recensentur Regii paroeciales Ecclesiae absque fonte baptismali, earumque tres sunt etiam Collegiatae, tria virorum ac duo mulierum monasteria , triplex conservatorium , plures laicorum sodalitates, xenodochium, mons pietatis atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad centum fere milliaria protenditur, et quamplura sub se complectitur loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM IMOLEN. vacantem per obitum clar. mem. Caietani S. R. E. Presbyteri Cardinalis Baluffi,adquam translatus est R. P. D. Vincentius Moretti hactenus Cesenatensis Antistes.

Forum Cornelii Aemiliae urbs in Romandiola ad Vatrenum fluvium in planitie aedificata, trium fere passuum millium habet ambitum, bis mille et quingentas continet domos, eamque plus quam decies mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia, S. Cassiam Martyris, civitatisque Patroni, titulo, Bononiensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset dignitates quarum, post pontificalem prima praepositura est, novem cum utraque praebenda Canonicos, sex Beneficiatos-Mansionarios duos supranumerarios munificentia SS. D. N. adauctos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per unum ex Canonicis animarum

cura exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis etc. et inter sacras reliquias asservantur corpora Sancti Cassiam Martyris ac S. Petri Chrysologi Episcopi et Ecclesiae Doctoris: et extra urbem extat coemeterium.

Novem praeterea recensentur Forocornelii paroeciales Ecclesiae, quarum duae baptismali fonte munitae, tria pro viris ac duo pro mulieribus monasteria, duplex conservatorium, plures sodalitates, novum pro periclitantibus puellis institutum liberalitate Pii PP. IX. iam Antistitis Imolensis erectum, nosocomium, mons pietatis, atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad quinquaginta circiter milliaria protenditur et plura sub se complectitur loca.

ECCLESIAM CATHEDBAL. COMACLEN. vacantem per dimissionem a R. P. D. Fidele Bufarini ultro libenterque in manibus SSmi D. N. peractam, atque admissam, ad quam translatus est R. P. D. Alexander Paulus Spoglia hactenus Antistes Ripanus.

Comaclum j vel Comacula urbs Romaudiolae Ferrariam inter et Ravennani prope Adriacum mare inter paludes et in planitie posita, quatuor circiter passuum millium haber ambitum, mille ac ducentas continet domos, eamque sexies circiter mille incolunt cives.

Cathedralis Ecclesia s. Cassiam Martyris titulo, Ravennatensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum duas recenset dignitates, quarum post pontificalem prima est Archipresbyteratus, octodecim cum utraque Praebenda Canonicos, tres Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes..

Per Archipresbyterum a tribus adru» tum Capellanis amovibilibus ad nutum, animarum cura in Cathedrali exercetur, ubi fons adest baptismalis unicus in urbe etc. atque inter sacras Reliquias praesertim ieac sancti Cassiam civitatis Patroni decenter adservantur.

Nulla alia reperitur Comacli paroecialis, aut collegiata Ecclesia, sed unum virorum monasterium, quaedam laicarum sodalitates, nosocomium, mons pietatis atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad centum circiter milliaria protenditur, et undecim subse complectitur loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM ALEXANDBIN. provinciae Pedemoutanae, vacantem per obitum bo. me. Episcopi Dionysii* Andreae Pasio, ad quam promotus est R. D. Iacobus Antonius Colli Presbyter Casalensis Novariensis dioeceseos, qui in sacra theologia Doctor in ecclesiasticis obeundis functionibus laudabiliter emicuit; quique inter ecclesiasticos Supergaeacademicos cooptatus, tum historiae ecclesiasticae in theologico Seminario Novaricosi Professoris, tum caeterorum dioeceseos Seminariorum Rectoris generalis munere perfunctus est; ipsa in Cathedrali Canonicus electus, ac successive prima Archidiaconatus dignitate ad praesens usque honestatus.

Alexandria Statiellorum clara et ampla Pedemontii urbs arce munita et ad Tanarum fluvium in planitie aedificata,, quater circiter mille continet domos, eamque plusq. triginta civium millia incolunt.

Cathedralis Ecclesia olim s. Marco Evangelistae dicata, modo s. Petri apostolorum principis titulo gloriatur, atque- Vercellensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius capitulum quatuor recenset di gnitates, quarum post pontificalem prima est Archidiaconatus, decem cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos, plures Mansionarios, aliosque Presbyteros et Clericos rei divinae operam navantes.

Per Archipresbyteri dignitatem, cui vice-Parochus auxilium praestat, animarum cura ia Cathedrali exercetur, ubi fons adest baptismalis etc. et inter sacras reliquias nominatim corpus s. Brandolini eiusdem civitatis Episcopi et Patroni ar? s. Va Ieri i Martyris decenter adservantur: et coemeterium patet extra urbem.

Novem aliae recensentur Alexandriae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, earumqne duae sunt etiam Collegiatae, triplex virorum monasterium, bina conservatoria, plures laicorum sodalitates, nosocomium, mons pietatis atque seminarium.

Dioeceseos ambitus ad triginta circiter milliaria protenditur et plura sub se complectitur loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM CUNEEN. vacantem per obitum bo. mem Episcopi Clementis Manzini, ad quam promotus est R. D. Andreas Formica Presbyter Albensis dioeceseos, in sacra Theologia Doctor qui in ecclesiasticis obeundis functionibus laudabiliter emicuit, Archipresbyter-Parochus ad s. Michaelis Cortemiliae, locorumque adnexorum Vicarius Foraneus adlectus; dioecesani Seminarii Rector, studiorum Praefectus, et theologiae moralis Lector renunciatus est, Canonicus in illa Cathedrali, et Archipresbyteratus dignitate cum adnexa animarum cura donatus.

Cuneum Pedemontii urbs ad Alpium radices in amoeno planoque loco aedificata ad continentiam Gesae in S tu ram fluvium posita, unius fere milliarii cum dimidio ambitum habet, ter mille circiter continet domos, eamque duodecim et ultra civium millia incolunt.

Cathedralis ecclesia Purificationis B. V. Mariae titulo Taurinensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum tres recenset Dignitates, Archidiaconum nempe Archipresbyterum et Praepositum, quarum post pontificalem prima Antianitatis ordine determinatur, octodecim cum utraque Praebenda theologali scilicet et poenitentiaria Canonicos, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Capitulo insidet animarum cura, quae per primam Dignitatem in Cathedrali exercetur in qua est fons etc., et coemeterium patet extra urbem.

Duae aliae habentur Cunei paroeciales ecclesiae fonte munitae; duplex pro* viris et unum pro mulieribus monasterium; conservatorum, tres laicorum Sodalitates, duo nosocomia, orphanotror pinum, mons pietatis, seminarium.

Dioeceseos ambitus ad triginta feremilliaria protenditur et plus quam quinquaginta paroecias complectitur.

ECCLESIAM CATHEDRALEM ADRIEN. vacantem per obitum bo. me. Episcopi' Camilli Benzon, ad quam promotus est R. D. Petrus Colli Presbyter Adriensis,, qui in ecclesiasticis obeundis functionibus laudabiliter emicuit, quique in Semioario-dioecesano grammatices, humaniorum literarum ac dein philosophiae Professor adlectus apud episcopale gymnasium Praefecti, ac penes illam curiam Cancellarii munere perfunctus est; Adriensi in Cathedrali Canonicus, eademque vacante Sede Vicarius Capitularis ad praesens usque est renunciatus.

Adria urbs Veneti in provincia Poli-r cinii Padum inter et Athesim aedificata et a flumine, cui vulgo nomen *Canal bianco* intersecta, duplicis circiter milliarii est ambitus, mille et quingentas continet domos, eamque undecim pene civium millia incolunt.

Cathedralis Ecclesia, praegrandis ac pulcherrime corinthiaci ordinis structurae, ss. Apostolorum Petri et Pauli titulo gloriatur, atque Venetiarum Patriarchae suffragatur.

Eius Capitulum unicam recenset Archipresbyteri dignitatem, undecim cum utraque Praebenda Canonicos, sex Cappellanos Beneficiarios, aliosque Presbyteros et Clericos res divinae operam navantes.

Penes Capitulum extat animarum cura, eaque per Archipresbyterum in Cathedrali exercetur, ubi fons adest baptismalis etc. atque extra urbem coemeterium.

Praeter Cathedralem alia reperitur Adriae paroecialis Ecclesia baptismali fonte munita, ac tres succursales, pau-

perum hospitium, duplex laicorum sodalitas, nosocomium, Episcopale gymnasium atque Rodigii seminarium cum alumnis; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus latissime patet, ac plura sub se complectitur loca.

ECCLESIAM CATHEDBALEM IAURINEN. vacantem per translationem R. P. D. Ioannis Simor ad Metropolitanam Sedem Strigoniensem ; ad quam promotus est R. D. Ioannes Zalka Presbyter dioeceseos laurinensis ex benignitate SSmi D. N. ad nominationem S. C. M. Francisci Iosephi 1. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici. Idem promotus in sacra Theologia Doctor, in cura animarum sese laudabiliter exercuit; in seminario Strigoniensi Rector, ibique historiae ecclesiasticae ac iuris canonici Professor adlectus, Synodalis Examinatoris, Censoris Archidioecesani, ac studior. Theologor. pro-directoris munere perfunctus est: in ea metropolitana Canonicus theologus ad praesens usque renunciatus, atque iuter Cappellanos secretos SSmi D. N. ad honorem, et inter Cubicularios a secretis supranumerarios cooptatus est.

Iaurioum libera regia urbs Hungariae in eiusdem nominis Comitatu ad Arabonem fluvium amoena in planitie aedificata, bis mille continet domos, et amplius sexdecim catholicorum millibus inhabitator sub temporali domiuio eiusdem Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Cathedralis Ecclesia, nuperrime interius ad omnem splendorem restaurata, Brnae Virginis Mariae ad coelos assumptae titulo Archiepiscopo Strigoniensi suffragatur.

Eius Capitulum quatuordecim recenset cum theologali praebenda Canonicatus reales, ex quibus duo sunt praepositi reales, septem archidiaconi, et quatuor dignitates , quarum post pontificalem prima est Praepositura maior; sex insuper Canonicos honorarios,ac plures alios Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Per Canonicum-Parochum a duobus Curatis adiutum animarum cura in Cathedrali exercetur, ubi fons adest baptismalis etc. atque inter Sanctorum reliquias nominatim eranium S. Ladislai Hungariae Regis religiosissime adservatur.

Tres aliae recensentur laurini paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, duplex pro viris, ac mulieribus monasterium , quaedam laicorum sodalitates, quatuor nosocomia, magnum ac parvum recens erectum seminarium, et Sopronii est in dioecesi Collegiata; mons autem pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus per quatuor Comitatus protenditur ac ducentas et triginta sub se complectitur paroecias.

ECCLESIAM IIJLIAE CAESAREAE, sive ALGERIAN. per Literas Apostolicas « *Catholicae Ecclesiae Auctor»* datas octavo Kalendas Augusti 1866 ad Metropolitanae honorem evectam, et vacantem per obitum bo. me. Antistitis Ludovici Pary, ad quam translatus est R. P. D. Carolus Martialis Allemand Lavigerie hactenus Nanceyensis ac Tullensis Episcopus ex benignitate SSmi D. N. ad nominationem Serenissimi Gallorum Imperatoris.

Iulia Caesarea, vel Algerium ampla et pulchra urbs Africae et caput coloniae Galliae ad oram mediterranei et ad montis radices aedificata, plusq. sexaginta continet incolarum millia , quorum fere dimidia pars catholicam profitetur religionem sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia, satis amplae recentisque structurae, ac s. Philippo Apostolo dicata, ex praecitatis Literis Apostolicis ad Metropolitanae fastigium elata est, eique Constantinianus et Oranensis suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum iuxta memoratas Literas Apostolicas caeteris Galliae Capitulis Metropolitanis aequiparandum et Beneficiariorum numero augendum, octo ad praesens enumerat sicut antea Canonicos titulares, quos inter Decanus recen-

setur qui eum Parocho, primam et post pontificalem obtinet dignitatem; ex ipsis -vero alii duo dignitatis titulum praeseferre, ac duo alii Theologi ac Poenitentiarii munere perfungi debebunt. Insuper plures Canonici honorarii, atque diebus festis etiam Alumni magni seminarii divinis inserviunt.

Per Decanum a quatuor Vicariis adiutum animarum cura in eadem Metropolitana exercetur, ubi fons adest baptismalis et inter Sanctorum reliquias brachium s. Augustini Episcopi et Doctoris religiosissime adservatur, et extra urbem habet coemeterium.

Praeter Metropolitanam quatuor aliae recensentur Algerii paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, nonnullae pro viris, ac mulieribus religiosae domus, sorores a charitate s. Vincentii a Paulo nosocomio inservientes, domus SSmi Cordis pro puellis educandis, societas Boni Pastoris, orphanotropbium in suburbio, aliquot laicorum sodalitates, et magnum, ac parvum seminarium ; mons autem pietatis desideratur.

Archidioceseos ambitus totam complectitur Algerianam provinciam, ac plura sub se continet loca.

ECCLESIAM CONSTANTINIAN. per Literas Apostolicas « *Clementissimus Deus* » datas octavo Kalendas Augusti 1866 ad Cathedralis honorem evectam et a primaeva erectione sua vacantem, ad quam promotus est R. D. Felix de Las Cases Presbyter Archidioeceseos Albiensis ex benignitate SSmi D. N. ad nominationem Serenimi Francorum Imperatoris: idem vir promotus in ecclesiasticis functionibus obeundis apprime emicuit, pro dioecesi Petrocoricensi Vicarius generalis olim adlectus, et Monialium, quibus a bono Pastore nomen est, in Dioecesi Andegavensi Moderator supremus renunciatus , Parochi munere ad B. V. Mariae Audegavi ad praesens usque perfunctus est.

Constantina urbs Africae septemtrionalis apud Ampsagam fluvium in montis cacumine aedificata satis ampla ac pulchra est, moeniis circumducitur et a quindecim fere incolarum millibus inhabitatur sub temporali gallico dominio.

Templum paroeciale satis ornatum, amplum, ac modernae structurae, sub titulo Bfiiae Virginis Mariae Perdolentis, ex praecitatis Literis Apostolicis ad Cathedralis honorem evectum est, priscis retentis titulo ac parochialitate, Iuliae Caesareae Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum quoad numerum Capitularium ad normam aliorum in Gallia extantium Capitulorum erigendum, iuxta memoratas Literas Apostolicas duo ex Canonicis erunt dignitari!, Praepositus nempe post pontificalem prima dignitas, et Archidiaconus, ac duo alii Theologus ac Poenitentiarius; interea tamen ob Presbyterorum deficientiam tribus tantum Canonicis, quos inter Praepositus recenseatur, constabit.

Per Parochum a quibusdam Vicariis adiutum animarum cura, sicut antea, exercebitur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis atque sacrarium sacra supellectili ad divinum cultum explendumsufficienter instructum.

Deficientiae episcopalis palatii consuletur per gallicum gubernium.

Fructus taxati sunt in Libris Camerae ad Florenos 170.

Nulla alia praeter cathedralem reperitur in urbe Constantiniana paroecialis Ecclesia , sed tantum fratres a schola christiana et sorores charitatis pro pueris, puellisque instruendis et infirmis curandis; seminarium item erigendum erit, ac interim alumni dioecesani in Algeriauo seminario erunt instituendi.

Dioeceseos ambitus totam complectitur Constantinae provinciam ac plura sub se complectitur loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM RUPELLEN. vacantem per translationem R. P. D. Ioaunis Baptistae Annae Landriot ad Metropolitanam sedem Rhemensem; ad quam

promotus est B. D. Benedictus Leo Thomas Presbyter Dioeceseos Augustodunensis ex benignitate SSmi D. N. ad nominationem Serenmi Galliarum Imperatoris. Idem promotus penes romanam Universitatem JU sacra theologia doctorali laurea donatus in ecclesiasticis functionibus obeundis operam navavit, Vicarius Paroeciae Cathedralis Augustudunensis, Presbyteris suae dioecesos sacris Missionibus addictis Praepositus adlectus est, plures annos Vicarii Generalis munere usque in praesens perfunctus est.

Rupella urbs Galliae in provincia inferioris Carentonis ad litus Oceani Aquitanici aedificata quindecim circiter incolarum millia continet.

Cathedralis Ecclesia, ampla satis ac decora, s. Ludovici Regis titulo, Burdigalensi Archiepiscopo suffragatur.

Eius Capitulum novem recenset cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos, plures insuper bonorarios, alios Presbyteros, ac pueros de choro, queis adiunguntur festis diebus alumni seminarii pro divino servitio.

Per Canonicum Archipresbyterum a quibusdam Vicariis adiutum animarum cura in Cathedrali exercetur, ubi fons adest baptismalis etc. et extra urbem habet coemeterium.

Quatuor aliae recensentur Rupellae paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae; aliquot pro viris, mulieribusque religiosae domus, quaedam laicorum sodalitates, duplex nosocomium, mons Pietatis, atque magnum seminarium, et iu dioecesi parvum.

Dioeceseos ammtus totam complectitur inferioris Carentonis provinciam, quingenta fere animarum millia, et plura sub se continet loca.

ECCLESIAM METROPOLITANAM RHEMEN, **vacantem per obitum clar. me. Thomae S. R. E. Presbyteri Cardinalis Gousset, ad quam translatus est R. P. D. Ioannes Baptista Anna Laudriot hactenus Rupellensis Antistes, ex benignitate SSmi D.** N. **ad nominationem Serenarli-Gallo.r-rum Imperatoris.**

Rhemi seu Durocortorum ampia, elegans et culta Galliae urbs, in provincia: Matronae ac plano in loco aedificata, % quatuor supra quinquaginta incolarum millibus inhabitator.

Metropolitana Ecclesia , amplae et eximiae gothicae structurae, Bmae Virginis Mariae titulo gloriatur, et quatuor eidem suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum decem recenset cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos titulares, plures honorarios, aliosque Presbyteros et pueros de choro divinis inservientes.

Penes Capitulum extat habitualis animarum cura, eaque per unum ex Canonicis in Metropolitana exercetur ubi fons adest baptismalis etc.

Praeter Metropolitanam quinque aliae recensentur Rhemis paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, plures virorum , ac mulierum religiosae domus, nonnullae laicorum sodalitates, duplex nosocomium, mons pietatis, ac magnum, et parvum seminarium.

Archidioeceseos ambitus ad triginta circiter leucas in longitudinem, ad quindecim in latitudinem protenditur; quingenta fere animarum millia et plura subse complectitur loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM VIBDUNEN. **vacantem per obitum bo. me. Episcopi Ludovici Rossat, ad quam promotus est R. D. Augustinus Hacquard Presbyter dioeceseos s. Deodati ex benignitate SSmi D.** N. **ad nominationem Serenissimi Galliarum Imperatoris idem promotus in Versaliensi dioecesi Parochus adiutus , ibique Vicarius in spiritualibus Generalis renunciatus, a pluribus annis usque ad praesens Parochi munere Symphonii Versaliae perfunctus est**

Virodunum vel Yerodunum ampla urbs Galliae in provincia Mosae ad eiusdem nominis fluvium et in montis cacumine aedificata, salubri gaudet aere,.

atque amplius duodecim incolarum millibus inhabitatur sub temporali gallico dominio. Cathedralis Ecclesia, Biiiae Virginis Mariae titulo, Archiepiscopo Bisuntino suffragatur. Eius Capitulum octo recenset cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos titulares , plures honorarios , aliosque Presbyteros, queis adiunguntur festis diebus alumni seminarii magni pro divino servitio. Per Presbyterum Canonicum a duobus Vicariis adiutura animarum cura in cathedrali exercetur, ubi fons adest baptismalis, et plures coluntur sanctorum reliquiae, quas inter corpus s. Santini primi Virdunensis Episcopi religiosissime adservatur.

Praeter Cathedralem duae aliae recensentur Viroduni paroeciales Ecclesiae baptismali fonte munitae, plures virorum ac mulierum religiosae domus, duplex nosocomium, magnum ac parvum seminarium ; mons vero pietatis desideratur.

Dioeceseos ambitus totam complectitur Mosae provinciam, ad leucas fere triginta extenditur in longitudinem, ad viginti in latitudinem, plusquam trecenta incolarum millia, et plura sub se continet loca.

ECCLESIAM CATHEDRALEM NANCEVEN. cui Tullensis adnexus est titulus, vacantem per translationem R. P. D. Caroli Martialis Allemand Lavigerie ad metropolitanam sedem Iuliae Caesareae vel Algeriauam ; ad quam promotus est R. D. Iosephus Alfridi Faulou Presbyter Parisiensis ex benignitate S$nxi D. N. ad nominationem Serenissimi Gallorum Imperatoris. Idem promotus Presbyter in sacris fidelium Confessionibus excipiendis, Deique Verbo praedicando laudabiliter emicuit; humaniorum literarum ac Rethorices Professor plures per annos in Seminario Parisiis adlectus eiusque Cleri examinator effectus eiusdem Seminarii Director atque ad ' raesens usque Superior renunciatus est.

Nanceium urbs Galliae ac olim Lo* tharingiae caput in provincia Murtae ad eiusdem nominis amnem, et ad montis radices in planitie, optimoque sub caelo aedificata, a quinquaginta circiter incolarum millibus inhabitatur sub temporali gallico dominio.

Cathedralis Ecclesia, ampla satis ac graecae structurae, Bmae Virginis Mariae titulo, Bisuntino Archiepiscopo suffragatur. Eius Capitulum novem recenset cum Theologo ac Poenitentiario Canonicos titulares, nonnullos alios Praebendatos dictos, plures honorarios, tres paroeciae Vicarios, alios presbyteros et Clericos de choro, queis adiunguntur festis diebus alumni Seminarii pro divino servitio. Per Canonicum-Archipresbyterum a tribus Vicarii adiutum animarum cura ipsamet exercetur in Cathedrali, ubi fons adest baptismalis, et plures praesto sunt Sanctorum reliquiae, quas inter corpus s. Sigisberti Regis, ac civitatis Patroni religiosissime adservatur: et extra urbem extat coemeterium.

Octo aliae recensentur Nanceii paroeciales, et nonnullae in suburbio succursales Ecclesiae baptismali fonte munitae, aliquot pro viris ac mulieribus religiosae domus, plures laicorum sodalitates, quaedam nosocomia, mons pietatis, ac magnum seminarium et infra dioecesim item duo parva Seminaria. Dioeceseos ambitus totam complectitur Murtae provinciam, ad leucas triginta circiter quinque in longitudinem, ad decem in latitudinem protenditur, ultra quadrigenta incolarum millia, et plura sub se continet loca.

ECCLESIAM PATRIARCHALEM ALEXANDRINAM in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me.. Patriarchae Dauli Augusti Foseolo, ad quam promotus est R. P. D. Paulus Ballerini iam Mediolanensis Archiepiscopus, quique in Consistorio mense Iunio an. 1859 fuerat electus, consecrationemque susceperat, ministerium tamen notis de causis in sua ecclesia non potuit exercere.

Alexandria celeberrima Aegypti urbs patriarchalis, cognomento magna, opus Alexandri Magni, ab infidelibus miserrime detinetur.

ECCLESIAM CATHEDBALEM AMPDBIEN. et TEMPLEN. **ad quam promotus est R. D. Petrus Viridis e dioecesi Bisarchiensi, Vicarius Capitularis dioecesis eiusdem.**

Dein petitio facta est sacri pallii pro metropolitana ecclesia Cataniensi adstante in Consistorio Archiepiscopo Dusmet: item pro ecclesiis Mediolanensi, Rhemensi, Iulia Caesarea, Taurinensi Messanensi: nec non pro ecclesia Scodrensi recens erecta in Archiepiscopalem ~a SSmo D. N. et iuncta metropolitanae Antibarensi.

EX CONSISTORIO HABITO DIE 17 MAII 1867.

SSmus proposuit.

ECCLESIAS METBOPOLITANAS COLOCEN, et BACSIEN. **invicem perpetuo canonice unitas vacantes per obitum bo. me. Archiepiscopi Iosephi Lonovics, ad quas translatus est R. P. D. Ludovicus Haynald hactenus Archiepiscopus Carthaginensis in partibus infidelium, ad nominationem S. C. M. Francisci Iosephi I. Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.**

Colocia, residentia Archiepiscopi Colocensis et Bacsiensis, urbs regni Hungariae, in comitatu Pestiensi, prope Danubium ampla in planitie aedificata, ultra mille et biscentum enumerat domos, et a quindecim pene millibus incolarum catholicorum inhabitatur sub temporali dominio dicti Serenissimi Imperatoris ac Regis.

Metropolitanae Ecclesiae Bmae Virginis Mariae in caelum Assumptae titulo quatuor suffragantur Episcopi.

Eius Capitulum quatuor recenset dignitates, quarum post pontificalem prima Praepositus maior est, decem cum theologo ac poenitentiario Canonicos praebendatos, octo honorarios, aliosque Presbyteros et Clericos divinis inservientes.

Animarum cura non exercetur in Metropolitana, ut quae baptismali fonte caret; ibidem inter sacras reliquias corpus S. Pii Martyris decenter adservatur.

Colocae unica extat cum fonte baptismali paroecialis Ecclesia , pro viris, alterumque pro mulieribus monasterium, convictus iuvenum, et puellarum institutum, tres laicorum sodalitates, nosocomium, seminarium; mons vero pietatis desideratur.

ECCLESIAM ABCHIEPISCOPALEM ICONIEN. **in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Archiepiscopi Antonii Ligi, ad quam promotus est R. P, fr. Aloisius Puecher Passavalli Presbyter dioeceseos Tridentinae et Professus Ordinis Minorum Capucinorum S. Francisci qui ad sacram theologiam dogmaticam in suo Ordine tradendam assumptus, tum suae provinciae Ministri provincialis, tum Romae Definitoris generalis ac Apostolici Palatii concionatoris muneribus perfunctus est.**

Iconium etiamnum ampla, celebris urbset caput provinciae Lycaoniae in Asia minori, saepius in sacris novi testamenti paginis commemorata, adhuc infidelium iugo miserrime subest.

ECCLESIAM EPISCOPALEM CALYDONIEN. **sub Archiepiscopo Nsupactensi in partibus infidelium vacantem per obitum bo. me. Episcopi Iosephi Antonii Chaves, ad quam promotus est R. P. D. Antonius Grech Delicata Testaferrata Presbyter dioeceseos Melitensis, qui in utroque iure. Romae laurea donatus in ecclesiasticis obeundis functionibus nominatim vero in e"cipiendis sacramentalibus confessionibus operam navavit, atque inter Praesules domesticos SSmi D. N., tum inter Signaturae Iustitiae Referendarios adnumeratus est.**

Calydon urbs olim primaria Aetoliae ad Evenum fluvium , adhuc infidelium iugo miserrime subest.

Dein facta est a SSmo petitio sacri pallii pro ecclesiis metropolitanis unitis Colocensi et Bacsiensi praesente in Consistorio Archiepiscopo Haynald: item pro ecclesia Cathedrali Aretina ex privilegio concesso a Clemente Xli. s. m.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC SECUNDO VOLUMINE CONTINENTUR.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.

BREVITER SCILICET

DESCRIBUNTUR ECCLESIAE: EX DITIONE PONTIFICIA, ET RELIQUA ITALTA.

EX S. CONGREG. EPISCOPORUM ET REGULARIUM.

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM.

EX S. CONGREG SS. RITUUM.

EX S. CONGREGATIONE IMMUNITATIS ECCLESIASTICAE.

EX S. CONGREGATIONE SUPER STATU REGULARIUM.

EX PRAXI SECRETARIAE EMINENT. IN URBE VICARII.

APPENDICES.

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM, QUAE IN PLERISQUE ACTIS HOC VOLUMINE RELATIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN RESPECTIVIS ACTIS AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUB

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Abbates.

Calices.

Cauonizatio.

Cappellaniae.

Distributiones Chorales.

Divortium.

Emphyteusis.

Episcopus quoad Regulares.

Episcopus quoad testamenta.

Exemptio.

Fidei ussio.

Gubernia Civilia.

Horae Canonicae.

Immunitas Localis.

Ius asyli.

Ijegatarias quoad Missas.

Matrimonium.

«cfae Sedis et Ecclesiae praxi, haereticos quodque comprehendit, qui in paroeciis Decreto subiectis degunt, ibid.

Quare omnes quaestiones multipliciter implexae, quae circa eiusmodi matrimonia oriuntur, non quidem in iuris principio, sed in applicatione principii eiusdem ad singula factorum et locorum adiuncta totae versantur, ibid

media Annata.

In Italia, et insulis adiacentibus pro fabrica ecclesiarum cathedralium et collegiatarum a recens suffectis *media annata* solvenda est, pag. 96

Excipiuntur tamen ecclesiae quae sufficienti patrimonio potiuntur, aut patronatui Communitatum aliarumque personarum obnoxiae sunt, ibid.

In computatione autem fructuum detrahenda quidem sunt onera fixa et realia, minime vero personalia, ibid.

Mediae Annatae solutionem exigi quidem possunt pro tuendo ecclesiae aedificio, non autem pro sacra tuenda supellectili, ibid.

Eademque solutio declinali non potest praetextu consuetudinis aliter obtinentis, ibid.

Medicus quoad Monasteria.

Fiducia deperdita in monasterio erga Peritum medicae aut chirurgicae facultatis, cui ius Perpetuum sive plenum sive semiplenum curandi monasterium fuerit commissum, potest a monasterio Peritus simpliciter dimitti, pag. 27.

Medicus autem ita dimissus, non aliud potest exigere, quam aequam compensationem, non quidem iuris perpetui eidem quodammodo concessi, sed *peiis quod in facto praestitit, ea proportione aestimati, qua solent iuxta regionis morem, ibidem.

Etenim quamvis intervenire in huiusmodi casibus censeatur contractus locationis et conductionis, ob operarum praestationem et ob fixum honorarium ; nihilominus censensus, qui dat contractui formam, eiusmodi esse intelligitur, ut quemadmodum Medico facultas • inest pro lubito a conventione residendi; ita eliam facultas maneat religiosae familiae sibi prospiciendi, uti melius existimaverit, si praeconcepfae communitatis opinioni operae «inductae non respondeant, pag. 28.

Missa Conventualis.

Missa conventualis praecipuum obtinet locum inter munera choralia pag 204.

Illi omnes qui beneficium chorale possident, quique ad corpus Capituli pertinent, tenentur ad eam celebrandam et applicandam pro benefactoribus in genere, pag. 24.

Ad eam celebrandam canendamque tenetur qui reliquis choralibus officiis ratione choralis beneficii sunt addicti, sua quisque vice iuxta singulares consuetudines, et peculiaria statuta, pag. 204 et 24.

Seiungi non potest celebratio Missae con ventualis ab applicatione eiusdem pro benefactoribus in genere, quae applicatio ex vetusto ecclesiastico more primo est repetenda, ibidem.

Quare sicut celebratio ita et applicatio est onus reale choralibus beneficiis inhaerens; proindeque neque Canonicus celebrans neque Beneficiatus exigere absolute potest retributionem titulo eleemosynae pro eiusmodi celebrationibus ibidem.

Convenit, aequitate suadente, ut qui Missam conventualem canit retributionem peculiarem habeat, quae licet Missae eleemosyna appellari solet, est tamen potius pars quaedam distributionum, quae officiis choralibus sunt adsignatae, ibidem.

Ex quibus pariter consequitur, collegia distincta, quae ad unum chorale corpus pertinent, ex suis distinctis redditibus memoratam retributionem decerpere *regulariter* debere, vel ex communibus, si distincti non sint distributionum redditus, servata quantitate ex consuetudine , vel ex peculiari lege constituta, pag. 20S.

In Capitulis recentioris institutionis seu renovatis, aequum est, ut omnes contribuant ex suis redditibus ad Massam constituendam ex qua eleemosyna Missae conventualis decerni possit, pag pag 24.

Parochos quoad iura.

Parochus quoad Remotionem.

Parochus qnoad Residentiam.

Praescriptio et Consuetudo.

Reliquiae Sacrae.

Simonia.

Sodalitates.

Sponsalia.

Statuta Capitularia.

Suspensio.

Templa fatiscentia

Theologalis Praebenda.

Tribunal competens.

Unio Paroeciarum.

Unitas Catholica.

Vicaria Perpetua.

MONITUM

AD HUMANISSIMOS LECTORES

CIRCA SOCIETATEM INSTITUENDAM

PRINCIPUM APOSTOLORUM.

Cum hoc fasciculo Immanissimi Lectores quoddam Programma recipient, quod iam, appropinquante soleuinissima Festivitate» Principum Apostolorum, Romae evulgare cogitavimus: illud autem ideo Lectoribus nostris tradimus, ut, eo perfecto; societatem de qua est senno promovere velint: iam plura nomina Romae habuimus Virorum Ecclesiasticorum, qui munus Promotorum iti ea societate constituenda susceperunt: quae quidem nomina suo tempore publicabimus.

Adortamur itaque benevolos Lectores nostros, qui hac in re animo sint bene comparati, ut suum nomen tradant suscipientes sive Promotorum sive Oblatorum munus: res enim propter quam haec instituitur societas veluti confecta esset existimanda si singuli Lectores munus Promotorum susciperent, aut saltem alios sui loco subrogare curarent: ita ut aliquo labore, et quidem non gravi, singulorum, magnum opus in obsequium Principum Apostolorum, quod in Ecclesiae utilitatem cessurum est, initium* duceret.